


BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
17 A
22


METAPHYSICA
PARISIIS
Apud Georgium Iosse via Iacobæa sub
signo Coronæ Spineæ ANNO M.D.C.L


IDEA PHILOSOPHIÆ VNIVERSALIS SEV METAPHYSICA,

Paucis multa complectens de rationibus vniuersalibus rerum.

Pars secunda vniuersæ Philosophiæ.

Auctore,
D. PETRO A SANCTO IOSEPH
Fuliensi.





PARISIIS,
Apud GEORGIVM IOSSE, via Iacobæâ, sub signo Coronæ Spineæ.

M. DC. LIV.
Cum Priuilegio, & Approbatione.

[illegible]



MONITIO.



Ts i hæc pars ſecundum magis conſuetum docendi morem poſt Phyſicam tradi ſoleat, eaque maximé ratione Metaphyſica appelletur, placet tamen ſecundum locum inter partes Philoſophiæ noſtræ illi tribuere, tum quia cum fuſe tractet quæ breuiter in Logica de vniuerſalibus & categoriis perſtricta ſunt, connexio materiarum vetat ne ad finem curſus reiiciatur. Tum quia cum multa tradat de ente, de ſubſtantia, & de accidente in genere, vel eo titulo præmittenda fuit Phyſicæ quæ paſſim in tractationibus rerum naturalium notiones illas vniuerſales ſupponit. Aliunde verò cum opus non ſit hoc loco repetere quæ de Deo & Angelis in Idea Theologiæ ſpeculatiuæ à nobis iamdiu tractata ſunt, nullum ex hoc capite nobis onus incumbit iis morem gerendi qui ideo Phyſicam Metaphyſicæ præmittunt quia per rerum terrenarum & viſibilium diſquiſitionem veluti manu ducimur ad aliqualem rerum cœle-

ſtium & inuiſibilium notitiam & amorem.

Hæc ergo ſit ſecunda pars totius noſtræ Philoſophiæ in tres libros diſtribuenda, quorum primo agetur de vniuerſalibus tam in genere quam in ſpecie, ſimulque patefiet quam inutilis ſit labor quem fere omnes Philoſophi impendunt in compingendo vniuerſali ſiue à parte rei, ſiue per mentem. Secundò de ente per ſe ſpectato, vbi nonnulla ſatis difficilia de conceptu & analogia entis, de eſſentia & exiſtentia, de gradibus eſſentialibus rerum, de principio indiuiduationis, aliiſque eo ſpectantibus exponentur. Tertio de generalioribus membris entis, nempe ſubſtantia & accidente & conſequenter de qualitate, de habitibus, de relatione, aliiſque entibus prædicamentalibus quæ ad Metaphyſicam abſtractionem ſpectare videntur.



ERRATA.

Pag. 4.*lin.* 27. *lege* & pictus, *p.* 11. *l.* 10. *l.* vnitatem, veritatem, *p.* 18. *l.* 5. *l.* intrinsecæ, *p.* 32 *l* 23. *l.* refellitur, 3. *p.* 34. *l.* 4. *l.* propriam, *p.* 4. *l.* 8. *l.* concurrens, *p.* 48. *l.* 25. *l.* fit, *p.* 57. *l.* 3. *l.* genereitate, *& lin. sequenti*, æquo, *p.* 80. *l.* 24. *l.* inferiora, *& lin.* 30. *l.* distinctas, *p.* 81. *in titulo lege*, an, *p.* 82. *l.* 23. *l.* differentia, *p.* 104. *l.* 30. *l.* exploratum, *p.* 126. *l.* 25. *l.* prædicata, *p.* 131. *l* 28. *l.* eas, *p.* 141. *l.* 3. *l.* saltem, *p.* 163. *l.* 4. *l.* idque. *p.* 173. *l.* 16. *l.* non competit, *p.* 180 *l.* 19. *l.* odibilitatem, *p.* 208. *l.* 11. *l.* quia, *p.* 238. *l.* 1. *l.* putamus, *p.* 278. *l.* 9. *l.* lumine, *p.* 289. *l.* 9. *l.* subsistentiæ, *p.* 316. *l.* 1. *l.* suppleatur, *p.* 331. *l.* 21. *l.* aliis, *p.* 348. *l.* 25. *l.* sedes, *p.* 352. *l.* 32. *l* accedat, *p.* 359. *l.* 11. *l.* requiri, *p.* 376. *l.* 28. *l.* intellectiuos, *p.* 377. *l.* 13. *l.* ipse, *p.* 379. *l.* 7. *l.* eubuliam, *p.* 398. *l.* 11. *l.* qua, *p.* 418. *l.* 31. *l.* conseruant, *p.* 428. *l.* 10. *l.* adhuc, *p.* 443. *& l.* 30. *l.* docens.

ã iiij



INDEX LIBRORVM, CAPITVM, ET ARTICVLORVM.

PRÆFATIO.

De ipsa Metaphysica secundum se.

LIBER I.

De Vniuersali.

CAP. I. De Vniuersali à parte rei.

AR. I.	Qvid vulgò Philosophi intelligant nomine vniuersalis.	25
II.	Refellitur primus modus sententiæ statuentis vniuersalia à parte rei.	28
III.	Refellitur secundus modus dicendi eiusdē sentētiæ.	30
IV.	Soluuntur nonnulla obiectiones.	33
V.	Refellitur tertius modus dicendi prædictæ sentētiæ.	36
	CAP. II. De vniuersali per mentis operam.	
AR. I.	Primus modus sentiendi excluditur.	39
II.	Alius dicendi modus impugnatur.	42
III.	Tertius modus dicendi exploditur.	47
IV.	Soluuntur nonnulla obiectiones.	51
V.	De nonnullis proprietatibus vniuersalis.	54
	CAP. III. De Genere.	
AR. I.	Qvidnam sit definitum in definitione generis.	56
II.	De genere prædictæ definitionis.	59
III.	An genus necessariò requirat plures species.	62
IV.	Quomodo genus se habeat ad species, & ad indiuidua, de quibus prædicatur.	65

CAP. IV. De Specie & indiuiduo.

AR. I. *AN Species rectè definiatur*, Id quod subiicitur generi, & de quo genus prædicatur in quid. 69
II. *An species infima rectè definiatur*, Quæ de multis numero differentibus prædicatur in quid. 73
III. *An rectè assignata sint speciei habitudines seu respectus.* 78
IV. *An possit abstrahi communis & vniuoca ratio indiuidui ab omnibus indiuiduis.* 81

CAP. V. De Differentia.

AR. I. *AN dentur differentiæ infimæ & simplices.* 86
II. *An differentia inferior superiorem formaliter contineat.*
III. *An genus sit extra conceptum differentiæ, & differentia extra conceptum generis.* 92
IV. *Quo sensu genus sumatur à materia, & differentia à forma.* 95

CAP. VI. De Proprio & accidente.

AR. I *DVæ proprij definitiones expenduntur.* 97
II. *Duæ accidentis definitiones declarantur.* 101

LIBER II.

De Ente secundum se.

CAP. I. De Conceptu & Analogia Entis.

AR. I. *DE duplici acceptione entis.* 105
II. *De prædicabilitate entis.* 107
III. *De conceptu entis* 111
IV. *De Analogia entis.* 117

CAP. II. De essentia, gradibusque rerum essentialibus.

AR. I. *DE essentia rerum.* 126
II. *Qualiter se habeat existentia creaturarum ad earum essentiam.* 132
III. *Quomodo se habeant inter se gradus rerum essentiales,* 140
IV. *De gradu singularitatis, seu indiuiduationis.* 145

CAP. III. De proprietatibus entis tam in genere, quàm in ſpecie.

AR. I. DE proprietatibus entis in genere. 155
II. De vnitate entis. 160
III. De veritate entis. 164
IV. De bonitate entis. 173

CAP. IV. De variis rerum diſtinctionibus.

AR. I. DE diſtinctione reali. 181
II. De diſtinctione rationis. 187
III. De diſtinctione quam aliqui ex natura rei, alij formalem appellant. 195

CAP. V. De rerum cauſis in genere.

AR. I. DE cauſæ definitione & cauſalitate. 199
II. Quotuplex ſit cauſa. 205
III. Quomodo cauſæ mutuò ſe habeant inter ſe. 206
IV. De habitudine cauſæ ad effectus. 209
V. De habitudine effectuum ad cauſas. 213

CAP. VI. De cauſa efficiente.

AR. I. DE cauſa efficiente in genere. 221
II. De cauſa efficiente creata. 226
III. De cauſa efficiente increata. 232
IV. De cauſa determinationis effectuum. 240

CAP. VII. De cauſa finali & quibuſdam cauſis minus propriis.

AR. I DE iis quæ ſpectant ad cauſam finalem. 244
II. De cauſa inſtrumentali. 248
III. De cauſa exemplari ſeu ideali. 251
IV. De caſu, fortuna & fato. 255

CAP. VIII. De ente rationis.

AR. I. DE exiſtentia & natura entis rationis. 258
II. De cauſa effectiua entis rationis. 263
III. De diuiſionibus entis rationis. 268

LIBER III.
De ſpeciebus primariis entis.

CAP. I. De Subſtantia ſecundum ſe.

AR. I. DE quidditate ſubſtantiæ 271
II. De ſubſtantia quæ competit ſubſtantiæ 275

III. *De substantia compositi naturalis.* 281
IV. *De causis substantiæ, & de formali illius effectu.* 284
V. *Quomodo se habeat subsistentia ad existentiam, hypostasim, personalitatem, & suppositum.* 291

CAP. II. De accidente secundum se.

AR. I. *IN quo consistat ratio accidentis.* 295
II. *De accidente, vt actu inhærente & separato.* 302
III. *De diuisione accidentis.* 306
IV. *De productione accidentium.* 309

CAP. III. De qualitate.

AR. I. *DE essentia qualitatis.* 311
II. *De prima specie qualitatis, quæ est habitus & dispositio.* 312
III. *De secunda specie qualitatis, quæ est naturalis potentia & impotentia.* 315
IV. *De potentia obedientiali.* 317
V. *De tertia specie qualitatis, quæ est patibilis qualitas & passio.* 324
VI. *De quarta specie qualitatis, forma nempe & figura.* 326
VII. *Dubia dubitationes expenduntur.* 327

CAP. IV. De variis oppositionibus rerum.

AR. I. *OBseruationes circa opposita.* 330
II. *Nonnulla dubitationes proponuntur circa oppositiones prædictas.* 333
III. *De regressu à priuatione ad habitum.* 335
IV. *Nonnulla obseruanda circa proprietates contrariorum ab Aristotele assignatas.* 340

CAP. V. De habitibus in genere.

AR. I. *DE essentia & existentia habitus.* 343
II. *De subiecto habituum.* 347
III. *De causis habituum.* 353
IV. *De incremento & diminutione habituum.* 360
V. *De causalitate habituum.* 367
VI. *De diuisione habituum.* 374

CAP. VI. De Relatione.

AR. I. *Quomodo relatio distinguatur à fundamento.* 381
II. *De subiecto relationis.* 389
III. *De termino relationis.* 392
IV. *An relatio tendat ad terminum vt absolutum, aut vt respectiuum.* 396

CAP. VII. De actione & passione.

AR. I. *De natura actionis & passionis.* 400
II. *De coniunctione agentis ad patient.* 404
III. *De distinctione inter agens & patiens.* 407
IV. *An simile agat in sibi perfectè simile.* 413
V. *De resistentia & reactione patientis.* 417

CAP. VIII. De alteratione.

AR. I. *De natura alterationis.* 421
II. *An alteratio successiua fiat continuè, & sine interruptione.* 423
III. *Quid tenendum sit de intensione qualitatis.* 428
IV. *Quomodo gradus intensionis se habeant inter se.* 436

CAP. IX. De rerum vbicatione, & duratione.

AR. I. *Per quid res sint formaliter in loco.* 441
II. *De rerum duratione.* 445
III. *De tempore.* 450
IV. *De inceptione & desitione rerum.* 494

FINIS.

IDEA



IDEA PHILOSOPHIÆ VNIVERSALIS, SEV METAPHYSICA,

Paucis multa complectens de rationibus vniuersalibus rerum.

PRÆFATIO.

De ipsa Metaphysica secundum se.



VÆRITVR 1. quibus nominibus scientia illa de qua modo acturi sumus, insigniri soleat. Respondeo eam varia sortiri nomina, ac maximè quatuor. Vocatur pri-

mò Philoſophia per antonomaſiam, quia cæteris Philoſophiæ partibus antecellit. Secundò dicitur ſapientia, quia tractat de rebus altiſſimis, & difficillimis nempè de ente ſecundum ſe, de Deo, ac de Angelis. Vocatur tertiò Theologia naturalis, quia agit de rebus diuinis prout lumine naturæ cognoſci poſſunt, ſicque diſtinguitur à Theologia quam Doctores Catholici tractare ſolent; quia hæc procedit ex principijs fidei reuelatis, & eatenus à nonnullis dicitur ſcientia ſupernaturalis. Quartò dicitur Metaphyſica, quod idem eſt ac vltra, ſeu poſt Phyſicam, quia iuxta mentem Ariſtotelis, moremque magis conſuetum poſt Phyſicam tradi ſolet, cùm ſit de rebus à ſenſu remotioribus, & conſequenter difficilioribus, ad quas perueſtigandas & addiſcendas per rerum faciliorum conſiderationem intellectus veluti manu duci debet. Tandem vocari meritò poteſt ſcientia vniuerſalis, eò quòd vniuerſaliores gradus entis contemplatur.

Quæritur 2. An Metaphyſica ſit propriè ſcientia. Reſpondeo ex communi omnium Philoſophorum ſententia, affirmatiuè: quod probatur tum ex Ariſt. 4. Metaph. cap. 1. vbi ait, eſſe quandam ſcientiam quæ ſpeculatur ens, inquantum ens;

hæc enim verba non possunt intelligi nisi de Metaphysica, cùm nulla alia scientia contempletur ens, inquantum ens. Tum quia ea est propriè scientia, quæ demonstrat proprietates de suo objecto, per principia illius interna; at hoc præstat Metaphysica, cùm demonstret v. c objectum suum esse bonum, quia est ens. Tum denique quia Philosophia omnium consensu, est scientia propriè dicta; at Metaphysica est nobilior alijs Philosophię partibus, ergo est propriè scientia.

Dices non sequi, quia vt nobilior alijs est sapientia, adeoque non scientia, cùm sapientia & scientia diuersi sint habitus. Respondeo rationem sapientiæ non impedire quin Metaphysica sit scientia, imò ex eo quod est sapientia, colligendum esse eam quoque habere rationem scientiæ; quia ad scientiam sufficit cognitio effectus per causam, at sapientia est cognitio effectus per causam, cùm id habeat speciale vt sit per causam altissimam.

Nec refert vulgaris diuisio habitus in intelligentiam, sapientiam, scientiam, prudentiam, & artem; ibi enim scientia sumitur vulgariter pro quacunque cognitione effectus per causam, quomodo scientia est habitus à sapientia specie distin-

ctus; non autem pro ſcientia perfectiſſima, quæ ſcilicet habetur per cauſas altiſſimas, quomodo ratio ſcientię includitur in ſapientia, & vtraque competit Metaphyſicæ.

Quæritur 3. quodnam ſit obiectum Metaphyſicæ. Reſpondeo hac in re varios eſſe dicendi modos: Nonnulli putant objectum Metaphyſicæ eſſe ens communiſſimè ſumptum, vt dicitur de ente reali, & de ente rationis. Sed hoc refellitur, quia quę non conueniunt in conceptu aliquo reali, non poſſunt ſpectare ad idem obiectum alicuius ſcientiæ, vt patet in Phyſica, quæ non conſiderat niſi ea quæ conueniunt in ratione corporis naturalis: atqui ens reale & ens rationis non conueniunt in conceptu aliquo reali, cùm in ente rationis nihil ſit reale, ſed mera fictio intellectus; ergo non poſſunt ſpectare ad idem obiectum Metaphyſicæ.

Confirmatur, nam ſicut Phyſica non agit de homine, vt dicitur de vero homine, & de homine picto; ita Metaphyſica non debet tractare de ente vt includit ens reale & rationis: eò quòd quemadmodum homo verus & probus in ſolo hominis nomine conueniunt, ita ens reale & rationis in ſola voce entis.

Nec refert quod in Metaphyſica tracte-

tur de ente rationis, de eo enim agitur indirectè vt per illud meliùs percipiatur natura entis realis; quemadmodum in Physica agitur de priuatione, vt ex illa habitus oppositus clariùs intelligatur; & in Ethica de malo, vt ex illius consideratione bonum dilucidiùs innotescat.

Alij non modo entia rationis excludunt ab obiecto Metaphysicæ, sed etiam accidentia realia, adeoque existimant solam substantiam abstrahentem à materiali & immateriali esse obiectum adæquatum Metaphysicæ. At neque hoc placet, quia accidens est verum ens reale, & ex se abstrahit à materiali & immateriali, non secus ac substantia: quare si substantia spectat ad obiectum Metaphysicæ, quia est ens reale abstrahens à materiali & immateriali, idem à pari de accidente affirmandum est. Confirmatur, quia accidens sub ea abstractione est aliquid scibile: ergo vt sic spectat ad Metaphysicam, cùm nulla alia scientia eò pertingere possit.

Obijcies, proprietas obiecti non est obiectum, atqui accidens est proprietas substantiæ, ergo non potest cum illa obiectum Metaphysicæ constituere. Respondeo minorem ita generatim sumptam

falsam esse præsertim in Metaphysica: quia hæc non considerat accidens vt passionem substantiæ, sed vt ens reale ab ea distinctum per differentiam oppositam, adeoque vt diuersam speciem entis constituens: qua ratione sub Metaphysica, tanquam obiectum partiale, cadere potest. Vnde quas proprietates demonstrat de substantia, vt ens est, nempè vnitatem, veritatem, & bonitatem: easdem de accidente vt ens est, demonstrat.

Alij docent substantiam immaterialem, vt Deum, & intelligentias duntaxat comprehendit, esse obiectum totale Metaphysicæ. At neque hoc probatur, tum quia vel assignanda est alia Metaphysica, quæ agat de ente materiali, quod repugnat communi Philosophorum sensui: vel fatendum eandem Metaphysicam, quæ agit de substantia immateriali, agere etiam de ente materiali, cùm ratio entis realis ab vtraque præscindi possit. Tum quia Metaphysica, quæ agit de substantia immateriali, simul agit de vno, vero, & bono quæ non magis sunt passiones intelligentiarum, quàm rerum materialium: ergo etiam res materiales spectant ad obiectum Metaphysicæ, cùm repugnet eam scientiam non agnoscere pro obiecto suo, id cui proprietates

quas demonſtrat conueniunt.

Obijcies 1 ex Ariſt. 6. Metaph. tex. 3. Si nulla eſſet ſubſtantia præter eas quæ natura conſtant, Phyſicam fore primam ſcientiarum: ex quo ſequitur nullam fore Metaphyſicam, ſi nullæ eſſent ſubſtantiæ immateriales, adeoque Metaphyſicam verſari tantùm circa eiuſmodi ſubſtantias. Reſpondeo hoc poſterius non ſequi, licèt enim Metaphyſica conſideret ens abſtractum à materiali & immateriali: ſi tamen nullum eſſet ens immateriale, non opus eſſet aliquam Metaphyſicam conſtituere pro ſolo ente materiali, cùm hoc in Phyſica ſufficienter tractetur.

Obijcies 2 Metaphyſica non conſiderat niſi res abſtractas à materia, atqui ſubſtantiæ immateriales duntaxat abſtrahunt à materia, ergo illæ tantùm conſiderantur à Metaphyſica, & ſunt obiectum illius adæquatum. Reſpondeo duplicem eſſe abſtractionem à materia, aliam realem, aliam rationis: quarum prior competit ſubſtantiis ſpiritualibus, quia reipſa ſunt ſeparatæ à materia: poſterior verò poteſt competere ſubſtantiis materialibus, etſi enim reuera ſint coniunctæ cum materia, concipiuntur ab intellectu ſecundum gradum entis & ſubſtantiæ, qui ex ſe abſtrahit à materia, cùm rebus ſpiri-

tualibus competere possit. Vnde Metaphysica potest considerare substantias tam materiales, quàm immateriales sub illis rationibus abstractis, nec necesse est vt quidquid considerat, realiter sit abstractum à materia.

Alij putant solum Deum esse obiectum adęquatum Metaphysicę Sed & hi videntur decipi, tum quia in Metaphysica non tantùm agitur de Deo sed etiam de intelligentiis, imò de ente abstracto à rebus spiritualibus & corporeis: quare repugnat quod Deus sit totale & adæquatum obiectum Metaphysicę.

Confirmatur, quia sicut nec sensus, nec intellectus, nec vlla alia potentia potest excurrere extra suum obiectum adęquatum, ita nec vlla scientia: eò quòd cum nullo nisi cum adęquato obiecto commensurationem habet: quare ab eo solo ita limitatur, vt in aliud excurrere non possit.

Tum quia obiectum totale scientiæ alicuius tale esse debet, vt quidquid in ea tractatur per se, spectet ad obiectum illius, vel tanquam principium, vel tanquam pars, vel tanquam passio: sic enim consequitur perfectam cognitionem sui obiecti, quam maximè intendit, & propter quam est instituta. At perspicuum est

multa tractari per se in Metaphysica, quæ nullo ex modis prædictis ad Deum referri possunt, vt patebit ex dicendis: esto ad eum omnia referantur vt ad causam primam, & vltimum finem. Ergo fatendum est Deum solum non esse obiectum adæquatum Metaphysicæ, sed ad summum esse partem nobiliorem obiecti illius adæquati.

Obijcies Metaphysicam dici Theologiam, seu scientiam de Deo, ex quo sequi videtur Deum esse totale illius obiectum. Verùm id non bene colligitur, quia vt Metaphysica dicatur scientia de Deo, sufficit quod de Deo disserat, siuè agat de illo vt de obiecto totali, siue vt de partiali duntaxat. Quemadmodum dici potest visum esse potentiam colorum perceptiuam, etsi non solos colores percipiat.

Alij existimant ens prędicamentale esse obiectum adæquatum Metaphysicæ. Verùm hoc etiam refellitur, nam Deus spectat ad obiectum Metaphysicæ, nec tamen est ens prædicamentale, vt dictum est in Logica: ergo solum ens prædicamentale non est obiectum Metaphysicæ. Maior suadetur, tum ex Arist. tum quia cum multa possimus de Deo cognoscere naturæ lumine, vel constituenda est specialis scientia naturalis agens de Deo, quod super-

fluum videtur, & communi sententiæ repugnat: vel fatendum considerationem de Deo ad nostram Metaphysicam spectare.

Nec dicas in Physica agi de Deo, cùm tamen Deus non spectet ad obiectum illius: non enim est par ratio, siquidem Deus in Physica consideratur tantùm extrinsecè, & per accidens, nempè vt est causa efficiens, & primus motor corporis naturalis, quod est obiectum illius: in Metaphysica verò spectatur per se vt est ens infinitum, æternum, immensum, simplicissimum &c. adeoque vt habet rationem obiecti respectu illius.

Quod si instes, non posse dari scientiam de re indemonstrabili, qualis est Deus: respondeo plura posse demonstrari de Deo, tum à posteriori per effectus, tum aliquo modo à priori: quia per essentiam probamus attributa, & vnum attributum per aliud, v. c. æternitatem per immutabilitatem, voluntatem per intellectum, &c. non vt per veram & realem causam, sed tanquam per causam virtualem, seu rationem à priori à qua alia manare concipitur

Itaque his opinionibus reiectis, dicendum est cum communi sententia, obiectum Metaphysicæ esse ens reale, quate-

nus ens eſt. Probatur tum quia ſecluſis obiectis allatis, nihil aliud ſupereſt in quo obiectum Metaphyſicæ conſtitui poſſit. Tum quia enti reali vt ens eſt, competunt omnes conditiones obiecti huius ſcientię, cùm habeat principia interna, ex quibus iuxta conceptum noſtrum quodammodo conſtituitur, nempe eſſentiam & exiſtentiam; habeat varias paſſiones quæ de illo demonſtrari poſſunt, nempe vnitatem, & bonitatem; habeat denique varias veluti ſpecies ſub ſe contentas, nempe ſubſtantiam, accidens, Deum, intelligentias.

Obiicies, cùm Metaphyſica ſit ſcientia nobiliſſima, debet habere obiectum omnium nobiliſſimum: at ens vt ſic, non eſt obiectum nobiliſſimum, quin potiùs eſt omnium imperfectiſſimum; cùm gradus eò ſint imperfectiores quò ſunt vniuerſaliores, vt liquèt ex arbore Porphirij. Reſpondeo ens vt eſt obiectum Metaphyſicæ, non debere ſumi ita pręciſum à ſuis inferioribus, vt non includat, ſaltem confusè, ſuas ſpecies, nempe ſubſtantiam & accidens, Deum & Angelos, qua ratione eſt nobiliſſimum. Neque mirum cuiquam videri debet, quòd Metaphyſica ad ſpecialem earum rerum conſiderationem deſcendat: non enim limites ſui obiecti præ-

tergreditur quamdiu ea tantùm considerat quibus conuenit abstractio ipsi propria, nempe à materia singulari, sensibili, & intelligibili, quales sunt entis species iam memoratæ.

Quæritur 4. qualis scientia sit Metaphysica. Respondeo & Dico 1. *Metaphysicam esse scientiam speculatiuam.* Probatur tum ex Arist. 6. Metaph cap. 1. vbi Philosophiam contemplatricem diuidit in Physicam, Mathematicam, & Theologiam seu Metaphysicam: tum quia ea scientia est speculatiua, quæ versatur circa suum obiectum modo merè speculatiuo, seu quæ in cognitione sui obiecti conquiescit, neque illam ex se dirigit ad praxim, præscribendo regulas operationis: atqui Metaphysica versatur circa suum obiectum modo merè speculatiuo, ita vt in illius cognitione conquiesçat: ergo est scientia speculatiua.

Neque dicas Metaphysicam agere de Deo vt summè bono, adeoque vt summè à nobis diligendo, sicque dirigere praxim: prior enim consequentia falsa est; quia etsi Metaphysica agat de attributis diuinis quæ naturali lumine cognosci possunt, agit tamen de illis speculatiuè duntaxat, quatenus scilicet Deus in se æternus, infinitus, & summè bonus est: neque

vllas præscribit regulas eum diligendi, sed id muneris relinquit Philosophiæ Morali, quæ Deum practicè considerat vt est summè bonus, & vltimus finis noster naturalis, adeòque vt à nobis diligendus & inquirendus. Vnde illud est discrimen inter Metaphysicam, & Theologiam; quod hæc considerat Deum sub altiori lumine, & tanquam obiectum adæquatum; nec quiescit in speculatione veritatum ad illius naturam spectantium, sed vlteriùs præscribit modum quo illum vt finem nostrum consequi possimus; nempe eum diligendo, & illius mandatis obtemperando.

Dico 2. *Metaphysicam totaliter spectatam, non esse vnum simplicem habitum, sed complexionem multorum habituum partialium.* Probatur ratione generali, ad omnes scientias spectante, nam necessitas ponendi habitum aliquem scientiæ in intellectu, est ad superandam difficultatem quæ in obiecti alicuius cognitione reperitur; ergo vbi occurrunt multæ difficultates superandæ, quarum vna non pendet ab alia, necesse est vt ibi multiplicentur habitus: at in Metaphysica, vt & in qualibet alia scientia totali, occurrunt multæ difficultates superandæ, vt patet, nam v. c. etsi habeas habitum quo facilè cognos-

cas ens esse vnum, non ideo facilè iudicas quid tenendum sit de conceptu, vel analogia entis, aut de locutione Angelorum, aliisve ad Metaphysicam considerationem spectantibus. Quare præter habitum quo priorem conclusionem facilè percipis, requiruntur alij quibus reliquis eadem facilitate assentiaris.

Confirmatur, nam diuersæ conclusiones illæ diuersis rationibus & mediis probantur, ergo exigunt diuersos scientiæ habitus; sequela patet, quia si ex communi sententia, ad probandam eandem conclusionem diuersis medijs, requiruntur diuersi habitus, v. c. scientia & opinio ad idem probandum medio vno certo, & alio probabili; quidni requirentur diuersi scientiæ habitus, ad diuersas conclusiones probandas diuersis mediis scientificis?

Obiicies 1. non ponitur nisi vna potentia visiua ad percipienda omnia obiecta visibilia, quæ sunt multiplicis speciei; ergo vnus scientiæ habitus sufficit ad omnia scibilia intelligenda. Respondeo negando consequentiam, & ratio discriminis est, quia cùm potentia visiua emanet naturaliter ab anima, non potest multiplicari iuxta diuersitatem obiectorum; cùm autem habitus producatur per actus, necesse est vt iuxta distinctionem actuum & obie-

ctorum distincti producantur habitus. Alias non esset ponendus in intellectu nisi vnicus habitus ad omnia intelligibilia percipienda, quod ne ab arguentibus quidem concedendum puto.

Obiicies 2. vnus fidei habitus sufficit ad credenda omnia reuelata, ergo & vna scientia ad omnia scibilia cognoscenda. Respondeo non sequi, & ratio discriminis est, quia fides vni tantùm motiuo innititur, nempe testimonio diuino; quare qui ex fide aliquid credit ob hoc motiuum, paratus est ob illud aliis omnibus à Deo reuelatis firmiter assentiri; cùm Dei testimonium æqualiter verum & certum sit in omnibus. At non omnibus conclusionibus Metaphysicæ, vel alterius scientiæ assensum damus ex eodem motiuo, sed ex diuersis, vt perspicuum est: quare etsi acquiramus facilitatem ad assentiendum alicui conclusioni, non sequitur quòd eandem aut similem propensionem experiamur ad assentiendum aliis; maximè si nullam habeant cum illa connexionem.

Dico 3. *Metaphysicam non esse propriè subalternantem respectu aliarum scientiarum.* Quod vt probetur

Notandum 1. subalternationem scientiarum posse variis modis contingere: primò ratione finis, cùm scilicet finis vnius

refertur in finem alterius. Verùm hæc conditio non habet locum vt liquet, nisi in artibus, & scientijs practicis. Secundò ratione obiecti, cùm scilicet scientia subalternata addit obiecto scientiæ subalternantis rationem aliquam propriam & accidentalem, per quam ab illa distinguitur; quomodo Medicina, quæ agit de corpore humano vt sanabili, subalternatur Physicæ quæ sanabilitatem illam non considerat; & Musica subalternatur Arithmeticæ, quia hæc considerat simpliciter numerum vt numerus est, illa verò vt sonorum, seu harmonicum. Tertiò ratione principiorum, cùm scilicet principia scientiæ inferioris sunt conclusiones euidenter probatæ in scientia superiori; quo etiam titulo Medicina subalternatur Physicæ, quia huius conclusiones sunt principia illius; vnde vulgò dicitur ibi incipere medicum, vbi desinit Physicus. Exempli causa, Physicus probat contraria contrariis curanda, eò quòd vnum contrariorum expellit aliud, medicus verò eam conclusionem assumit tanquam principium ex quo colligit, remedia frigida morbis calidis, & vice versa, calida frigidis adhibenda esse.

Notandum 2. ad veram & perfectam subalternationem duas illas posteriores

conditiones requiri, scilicet vt scientia subalternata assumat vel totale, vel partiale obiectum scientiæ subalternantis, eique addat aliquam formalitatem accidentariam & extrinsecam, ratione cuius illud consideret; assumat etiam pro principiis conclusiones in superiori scientia euidenter probatas. Ex quo patet 1. non esse propriam subalternationem, quando scientia inferior assumit partem obiecti materialis & formalis scientiæ superioris; quomodo scientia de cœlo, vel de elementis non est propriè subalternata Physicæ generali; quia illa considerat cœlum vel elementa vt sunt corpora naturalia, quæ est formalitas obiecti Physicæ generalis. Patet 2. non sufficere ad exactam subalternationem, quòd principia vnius scientiæ vtcunque probentur in alia, sed requiri quòd in ea probentur demonstratiuè, & scientificè; quò fit vt Physica non subalternetur propriè Dialecticæ, etsi hæc possit probabiliter illius principia probare.

His positis probatur nostra assertio, nam in vera subalternatione requiritur vt scientia subalternata addat obiecto subalternantis rationem aliquam propriam, & accidentalem per quam ab illa distinguatur: Item vt principia illius sint conclusiones demonstratæ in scientia subalternante,

atqui hæ conditiones non reperiuntur in alijs ſcientijs, reſpectu Metaphyſicæ: non quidem prior: quia rationes ab iis additæ enti, non ſunt illi extrinſecę, ſed extrinſecę: cùm naturale, quod eſt differentia obiecti Phyſicę, quantum, quod eſt differentia obiecti Mathematicę, ſint intrinſecè & eſſentialiter entia. Non etiam poſterior, quia etſi principia aliarum ſcientiarum demonſtrentur à Metaphyſica indirectè, & per deductionem ad impoſſibile: non tamen directè & oſtenſiuè ſeu à priori Quare Metaphyſica non eſt propriè ſcientia ſubalternans reſpectu aliarum ſcientiarum.

Quęritur 5. quęnam ſint cauſę Metaphyſicę. Reſpondeo & Dico 1. *quatuor cauſas Metaphyſicæ, vt & aliis ſcientiis ſpeculatiuis, poſſe aſsignari, nempe materialem, formalem, effectiuam, & finalem.* Materialis ſeu ſubiectiua eſt intellectus, formalis ipſe habitus Metaphyſicę, qui eſt in ſe intrinſecè forma quędam accidentalis: verùm quia per ordinem ad obiectum ſpeciem ſumit, hinc fit vt etiam obiectum habeat rationem quandam formę extrinſecę reſpectu illius. Cauſa verò efficiens Metaphyſicę proxima ſunt actus intellectus per quos eſt acquiſita; ac denique finis abſolutus & internus Metaphyſicę eſt contem-

platio veritatis, non cuiuflibet, fed eius quę ad obiectum altiffimum & nobiliffimum fpectat. Cùm enim hęc fcientia verfetur circa res altiffimas, quarum cognitio eft maximè propter fe expetenda, & nullam operationem circa eiufmodi obiecta pręfcribat, hinc perfpicuè fequitur finem illius abfolutum & intrinfecum effe meram veritatum altiffimarum contemplationem. Dubitatur autem de fine illius refpectiuo & extrinfeco, pro quo

Dico 2. *Metaphyficam ex communi fententia, non modo propter feipfam effe valde conuenientem, quatenus intellectum cognitione rerum præftantifsimarum exornat, fed etiam ad alias fcientias acquirendas effe valde vtilem.* Quod non ita intelligendum eft, vt hęc fcientia tendat ad perfectionem aliarum tanquam medium ad finem: cum enim fit maximè propter fe, non poteft eo modo ad alias fcientias ordinari: fed ita vt Metaphyfica tanquam fcientia fuperior, & eminentior alias iuuet, lucem aliquam & firmitatem ijs conferendo: partim plerofque terminos vniuerfales quibus paffim alię fcientię vtuntur, fcientificè explicando: partim varijs diuifionibus entis, & graduum eius quos affignat, viam aperiendo ad diftinguenda aliarum fcientiarum obiecta: partim

earum principia contra peruicaces probando deductione ad impoſſibile: quod poſtremum vt clarius percipias,

Obſeruandum eſt dari quędam principia complexa, quibus Metaphyſica vtitur in demonſtrationibus deducentibus ad impoſſibile, qualia ſunt vulgata illa, *quodlibet eſt, vel non eſt*; *impoſſibile eſt aliquid ſimul eſſe, & non eſſe*; aliaque huiuſmodi. Eſt autem non leuis controuerſia, quodnam ex illis principijs cenſendum ſit omnium primum & firmiſſimum, ita vt cùm ad illud peruentum eſt, vltrà progredi non liceat.

Quorundam eſt ſententia, principium illud, *ens eſt ens*, eſſe omnium primum. Verùm hoc reijcitur, quia etſi illud principium ſit omnium primum in ratione propoſitionis, eò quòd conſtat ex terminis ſimplicibus, & in alios priores minimè reſolubilibus; non tamen in ratione principij, quia cùm ſit propoſitio omnino identica & nugatoria, nulli vſui eſſe poteſt ad aliquid probandum, tantùm abeſt vt principia omnium ſcientiarum per illam demonſtrentur.

Alij dicunt hoc eſſe primum omnium principium, *de quolibet vera eſt affirmatio, vel negatio*. Sed contra, nam illud non eſt principium omnium primum, quod in

aliud resolui potest; at principium allatum in aliud resolui potest, puta in istud, *quodlibet est, vel non est:* Siquidem ex eo quod res est, vel non est, propositio affirmans, aut negans vera est.

Alij primitatem tribuunt huic principio, *quodlibet est, vel non est*, illudque præferunt isti, *impossibile est aliquid simul esse, & non esse:* tum quia est simplicius, tum quia est affirmatiuum. Verùm hæ rationes non concludunt, quia ad summum ostendunt principium illud esse prius in ratione propositionis, de quo non est quæstio.

Itaque dicēdum est cum communi sententia, sumpta ex Arist. 4. Metaph. cap. 3. principium omnium primum & indemonstrabile esse illud; *Impossibile est aliquid simul esse, & non esse.* Licèt enim non multum à præcedenti distinguatur, maiorem tamen vim probandi continet, cùm non dicat simpliciter quidlibet esse, vel non esse, sed declaret esse impossibile vt aliquid simul sit, & non sit. Vnde demonstratio per deductionem ad impossibile in hoc principio sistere debet, cùm nihil possit fingi impossibilius quam quod eo infertur, nempe idem simul esse, & non esse. Quare cùm aliunde principium illud sit vniuersalissimum, notissimum, & fir-



miſſimum, nihil illi deeſſe poteſt ad rationem principij omnium primi.

Nec dicas principium illud poſſe reſolui in iſtud prius, & per illud probari, *impoſsibile eſt duo contradictoria ſimul eſſe vera*, hoc enim falſum eſt, quia potiùs è contra ideo impoſſibile eſt duo contradictoria ſimul eſſe vera, quia impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe; vt impoſſibile eſt parietem eſſe ſimul album & non album, quia repugnat idem ſimul eſſe & non eſſe.

Quæritur 6. quis ordo conſtituendus ſit inter Phyſicam, & Metaphyſicam. Reſpondeo iuxta methodum Ariſtotelis, quam Philoſophi communiter ſequuntur, Phyſicam Metaphyſicæ preponendam eſſe; ille enim non niſi poſt tractationem rerum Phyſicarum egit de Metaphyſicis. Vnde & hanc ſcientiam vocauit Metaphyſicam, non vt quidam putant, quaſi ſit de rebus ſupernaturalibus; ſiquidem non ſpectat ad Philoſophum de eiuſmodi obiectis ſermonem habere, cùm excedant lumen rationis naturalis quo in ſuis ſpeculationibus ducitur, ſed quia poſt Phyſicam tractari debet. Cuius ratio afferri poteſt, quia cùm Metaphyſica agat de Deo, & de Angelis, prout lumine naturali innoteſcunt, rectus ordo poſtulat vt Phyſica illi præ-

mittatur; cùm non nisi per cognitionem rerum materialium & sensibilium, ad spiritualium & insensibilium contemplationem animus noster, in hoc vitæ statu, prouehi possit.

Verùm ordo iste non caret difficultate, quia etsi Metaphysica Physicæ postponi debeat, quatenus tractat de Deo, & Angelis; aliunde tamen illi præmittenda videtur, quatenus nempe agit de summis rerum generibus, siquidem specialis ratio alicuius entis, substantiæ, vel accidentis, satis perspecta haberi nequit, quandiu quid in genere sit ens, substantia, vel accidens ignoratur. Quare cùm tractatio de Deo & Angelis, vt pote in Idea Theologiæ speculatiuę satis fusè tradita, à nobis hoc loco omittenda sit, nil vetat quin pars ista Philosophiæ, quæ tota versatur circa gradus vniuersales rerum, disputationibus Physicis iure suo præmittatur. Vnde & eo titulo Prophysica potiùs quàm Metaphysica appellari debet.

Confirmatur, nam cùm Logica ante alias omnes scientias, adeoque ante Physicam explicari debeat, dubitari non potest quin etiam Metaphysica nostra, quæ est veluti supplementum quoddam Logicę, quatenus fusè tractat varias difficultates ad vniuersalia & categorias spectan-

tes, quę in Logica à plerisque minùs commodè agitari solent, ante Physicam tradenda sit.

Porro tota hęc tractatio tribus libris absoluetur, quorum primo agetur de vniuersali, secundo de ente secundum se, tertio de pręcipuis speciebus entis, substantia nempe, & accidente.



LIBER



LIBER I.

DE VNIVERSALI.

Suppositis ijs quæ breuiter in Logica dicta sunt de vniuersali, nonnullas hic quæstiones difficiliores expendemus, quæ spectant partim ad vniuersale secundum se, partim ad species illius.

CAPVT PRIMVM.

DE VNIVERSALI A parte rei.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid vulgò Philosophi intelligant nomine vniuersalis.



Ræmoneo 1. Vniuersale pro eo sumi generatim quod aliqua ratione dicit ordinem ad multa. Sic Deus dicitur vniuersalis in causando, quia ad omnes effectus creatos concurrit. Sic imago, quæ est in mente pictoris, dicitur vniuersalis in repræsentando; quia multæ imagines ad illius

imitationem depingi possunt. Sic vox illa, *equus*, dicitur vniuersalis in significando, quia naturam omnium equorum significat.

Præmoneo 2. hic non agi de vniuersali in ijs significationibus, sed de vniuersali in essendo, aut prædicando, seu quod multis inesse potest, & de ijs prædicari: quorum illud definitur, *vnum aptum inesse multis*, hoc verò, *vnum aptum prædicari de multis*. Qua ratione homo censetur vniuersale in essendo, quia inest Petro, Paulo, alijsque indiuiduis naturæ humanæ; & in prædicando, quia de omnibus, & singulis hominibus prædicari potest.

Præmoneo 3. esse in multis, & prædicari de multis esse duas rationes distinctas in vniuersali, quarum illa est prior, hæc posterior; cùm non possit aliquid prædicari de multis, nisi quia illis inest. Imò quia nihil priùs concipitur in vniuersali, quàm quod possit inesse multis; posse esse in multis, dicit essentiam vniuersalis, adeoque prima definitio censetur essentialis. Quia verò secunda cum illa reciprocatur, hinc aiunt, posse prædicari de multis esse passionem seu proprietatem vniuersalis; ac proinde secundam definitionem esse tantùm descriptiuam, non essentialem. Et prior quidem definitio communiter Metaphysica appellatur, quia ad Metaphysicum spectat considerare essentiam vniuersalium; posterior verò Logica, eò quòd Logicus agit de prædicabilibus.

Ex his autem definitionibus colligitur, tria requiri ad constitutionem vniuersalis, primò vt res quæ dicitur vniuersalis, sit aliqua natura realis & positiua; de hac enim procedit difficultas postea tractanda, an detur vniuer-

ſale ſiue à parte rei, ſiue per mentis operam; cùm de entibus rationis, quæ ab intellectu noſtro fingi conſtat, id meritò inquiri non poſſit.

Secundò vt ea natura ſit vna, cùm enim vniuerſale ſit quid multis commune, neceſsariò in ſe debet habere vnitatem; quia aliàs non eſset aliquid commune multis, ſed tantùm multa eſsent in multis. Vnum autem dicitur quod eſt indiuiſum in ſe, & diuiſum à quouis alio, vt infrà dicemus, vbi de proprietatibus entis.

Tertiò vt illa natura ſit ex ſe apta ineſse multis, per veram & realem ſui multiplicationem in illis, ita vt ratio ſuperior prædicetur de quolibet inferiori, non tantùm ſecundum aliquam ſui partem, ſed ſecundum ſe totam adæquatè. Quomodo animal dicitur prædicari de homine, & equo, & homo de Petro, & Paulo; ſiue illa multiplicatio fieri poſſit per potentiam naturalem in rebus creatis exiſtentem, vt multiplicatio hominum & equorum; ſiue tantum virtute ſupernaturali, vt multiplicatio ſolis & lunæ; alterutrum enim, ex communi ſententia, ad vniuerſale ſufficit.

Vnde intelligis naturam diuinam non eſſe vniuerſalem, etſi ſit in tribus perſonis, quia eſt vna in illis, non multiplex. Itemque animam rationalem non eſſe vniuerſalem, etſi vna ſit in pluribus corporis partibus, quia in illis non multiplicatur; ſiquidem ad verum vniuerſale requiritur vt eadem natura ſit in ſe vna, & in inferioribus multiplex, in eadem illa ratione in qua eſt vna.

Intelligis etiam lignum, aquam, aliaque corpora homogenea non eſſe vniuerſalia, etſi

habeant multas partes eiusdem rationis, in quibus saluatur essẽtialis ratio aquæ, ligni,&c. Cum enim corpus homogeneum omnes suas partes positiuè includat, vt esset vniuersale respectu illarum, deberent singulæ partes omnes partes includere, quod manifestè repugnat. Est autem grauis difficultas, an naturæ rerum sint eo modo vniuersales, siue ex se & à parte rei, quod hoc capite inquirimus, siue saltem per mentis operam, quod in sequenti inuestigandum erit.

ARTICVLVS II.

Refellitur primus modus sententiæ statuentis vniuersalia à parte rei.

DVæ sunt generales sententiæ circa existentiam vniuersalium, prior est eorum qui existimant admittenda esse vniuersalia à parte rei, & citra mentis operam, quod tribus modis intelligi potest. Primò ita vt vniuersalia sint naturæ realiter separatæ à singularibus, & extra illa existentes, qui modus vulgò tribuitur Platoni, quem ferunt posuisse Ideas quasdam vniuersales rerum omnium, ab ijs realiter separatas, v. c. Ideam hominis quam solam dicebat esse per se & essentialiter hominem: Ita vt Petrus & Paulus non sint homines nisi imitatione quadam & participatione illius; quemadmodum homo pictus dicitur homo, quia est quædam imitatio & participatio veri hominis.

Verum modus ille refellitur primò, quia nihil existit per se in rerum natura, quod non sit singulare; quare si ideæ illæ existunt per se

& realiter vt supponitur, sunt singulares, adeoque non possunt esse simul vniuersales in essendo, sed ad summum in causando, quatenus res sensibiles ab ijs procedere dicuntur; aut in repræsentando, quatenus fiunt ad imitationem illarum.

Secundò, quia quando dico, Petrus est homo, est prædicatio essentialis, cùm Petrus essentialiter sit homo, ergo significatum hominis est in Petro; quæ enim spectant ad alicuius rei essentiam, sunt maximè illi intrinseca. Quare per vocem homo, non significatur Idea illa Platonica à Petro realiter separata, ac proinde cùm verbis illis, Petrus est homo, vniuersale ex communi sententia, prædicetur de indiuiduo, sequitur manifestè vniuersale non esse Ideam quandam à rebus singularibus realiter separatam.

Dices, hinc quidem sequi vniuersale non esse Ideam, vt ab indiuiduis separatam; non tamen inde colligi non esse Ideam, vt indiuiduis coniunctam. Sed contra, tum quia gratis fingitur Ideam esse realiter à singularibus separatam, & illis realiter coniunctam, cùm hoc contradictionem inuoluat. Tum quia vel Idea quæ supponitur esse in Petro, est eadem cum Idea quæ est in Paulo, vel distincta; si eadem, iam Petrus & Paulus sunt vnus & idem homo, quod repugnat; si distincta, iam in se est realiter vna, & in singularibus realiter multiplex, quod etiam contradictionem implicat. Verùm ad soluendas nonnullas obiectiones,

Nota 1. non esse necessarias Ideas ad veram scientiam de rebus creatis habendam, vt vel ex eo patet, quòd nemo negat dari veram scientiam de cœlis, de elementis, de animalibus, aliisque rebus corporeis; cùm tamen

in tradenda eiusmodi scientia nulla fiat Idearum mentio. Cuius ratio est, quia scientia de re aliqua versari debet circa essentiam & proprietates illius, de quibus dantur veritates certissimæ & necessariæ. Quare perperam & immeritò ad scientiam alicuius rei comparandam, animus versaretur circa Ideam aliquam ab ea realiter distinctam & separatam.

Nota 2. non etiam esse necessariam Ideam separatam ad procreationem rei imperfectæ, quæ à sibi simili non generatur, quasi verò requiratur rana quædam Idealis ad procreandas ranas,& mus Idealis ad generandos mures qui ex putri materia formantur. Eiusmodi enim animalia vel generantur à sole, vt multi existimant, vel à prima causa, vt nobis probabilius videtur.

Nota 3. si Idea sumatur pro causa exemplari, ad cuius imitationem res fiunt, ad hoc sufficere Ideas quæ sunt in mente diuina; neque propterea fingendas esse aliquas Ideas extra Deum existentes, quales Plato dicitur admisisse.

ARTICVLVS III.

Refellitur secundus modus dicendi eiusdem sententiæ.

SEcundò vniuersalia existere à parte rei ita intelligi potest, vt natura sit vniuersalis, non quidem extra singularia modo iam dicto, sed intra ipsa singularia; adeo vt v. c. natura humana existens in Petro, Paulo, aliisque hominibus sit verè & à parte rei vniuersalis, antequam intellectus de ea quidquam cogitet.

Quæ opinio communiter tribuitur Scotiſtis, etſi multi recentiores contendant eam à mente Scoti prorſus eſſe alienam.

Verùm modus etiam iſte, cuiuſcunque ſit, refellitur 1. quia ad vniuerſale requiritur vt habeat vnitatem multis communem; at natura quæ eſt in indiuiduis, non habet vnitatem multis communem, ſed potiùs multiplicitatem tali vnitati repugnantem. Siquidem in Petro, & Paulo duæ ſunt humanitates realiter diſtinctæ, & non vna communis humanitas, ergo natura non eſt communis in indiuiduis.

Confirmatur, nam ſicut Petrus & Paulus habent duo corpora, & duas animas diſtinctas, ita ſunt duo homines realiter diſtincti, ergo non eſt in illis vna communis humanitas. Sequela patet, quia ſi in Petro & Paulo eſſet vna communis humanitas, non poſſent illi dici duo homines propter Petreitatem & Pauleitatem, ſed ad ſummum vnus homo cum duabus differentijs numericis. Quemadmodum tres perſonæ diuinæ non dicuntur tres Dij, ſed vnus Deus cum tribus perſonalitatibus. Quare cùm ſint duo homines realiter diſtincti, cõſequenter non eſt in illis vna communis humanitas.

Refellitur 2. quia ſi natura eſt vniuerſalis in ipſis indiuiduis, vel id habet quatenus eſt contracta ad indiuidua, vel ſecundum ſe; at priùs ne quidem ab Aduerſarijs admittitur, cùm natura vt contracta, ſit ſingularis. Poſteriùs etiam defendi non poteſt, quia quæ cõpetunt naturæ ſecundum ſe, ſeu ex principijs intrinſecis illius, cõueniunt ſingulis illius indiuiduis, vt patet in Petro & Paulo qui ſunt rationales & riſibiles, quia eſſe rationalem & riſibilem cõpetit homini ſecũdum ſe. Quare ſi natura eſſet vniuerſa-

lis ſecundum ſe, ſequeretur quemlibet hominem habere in ſe naturam communem omnibus hominibus, totque eſse ſpecies hominis, quot ſunt indiuidua naturæ humanæ; quod planè abſurdum & imaginarium eſt.

Vnde refelluntur qui dicunt id non ſequi, eò quòd indiuiduum non habet vniuerſalitatē per ſe immediatè, ſed ratione ſuæ naturæ. Nam ſicut Petrus verè dicitur homo, etſi talis non dicatur niſi ratione ſuæ humanitatis, quæ eſt illius natura; ita etſi non habeat vniuerſalitatem niſi ratione ſuæ naturæ, id non impedit quin verè & propriè debeat dici vniuerſalis. Confirmatur, nam Petrus dicitur intellectiuus ratione animæ rationalis, quantus ratione quantitatis, qualis ratione qualitatis, &c. Ergo à fortiori debet dici ſpecies ſeu vniuerſalis ratione propriæ naturæ, ſi hæc per ſeipſam eſt ſpecies ſeu vniuerſalis. Eò vel maximè quia inter Petrum, & naturam Petri nulla eſt realis diſtinctio, vt infrà probabitur.

Repellitur 3. dicta ſententia ab abſurdo, nam ſi natura humana ſeu humanitas eſt realiter vna in omnibus hominibus, ſequitur totam naturam humanam fuiſſe productam in Adamo, ac proinde nullam humanitatem produci cùm alii homines generantur, ſed tantùm veterem cum nouis differentiis indiuidualibus copulari. Hoc autē abſurdum eſse perſpicuum eſt, tum quia copulatio illa eſt planè fictitia & inintelligibilis; tum quia cùm alij & alij homines de nouo producātur, producuntur quoque cum illis aliæ, & aliæ humanitates quæ nunquam antea extiterant, quæque proinde ſunt realiter diſtinctæ ab humanitate Adæ.

Confirmatur, nam ſicut Adæ humanitas in-

trinſecè conſtabat ex corpore & anima ſimul vnitis, ita in aliis hominibus ſunt alia corpora, & animæ, & vniones omnino diſtinctæ, adeoque aliæ humanitates. Eò vel maximè quia etſi Adæ humanitas iamdiu interierit, nec ampliùs exiſtat in rerum natura, id non impedit quin aliæ ſint ſuperſtites, & realiter exiſtant; cum tamen planè repugnet eandem rem ſimul exiſtere, & non exiſtere.

Nec dicas humanitatem interiiſſe quatenus erat in Adamo, non quæ erat in illo; id enim perinde eſt ac ſi diceres, Adamo pereunte naturam illius non periiſſe, ſed tantùm fuiſſe ſeparatam ab Adameitate, & ad nos ſaluam & integram tranſuolaſſe; quod quam à recta ratione alienum ſit, nemo eſt qui non videat.

ARTICVLVS IV.

Soluuntur nonnullæ obiectiones.

OBiicies 1. à parte rei & nemine cogitante, Petrus & Paulus ſunt eiuſdem ſpeciei; ergo datur ſpecies, adeoque vniuerſale à parte rei. Confirmatur, nam etſi Petrus & Paulus non ſint vnum numero, ſunt tamen vnum formaliter in natura humana, quod ſufficit ad vniuerſale. Reſpondeo antecedens falſum eſſe in ſenſu arguentium, quatenus putant eſſe in Petro & Paulo à parte rei vnam communem humanitatem, & ita eſſe eiuſdem ſpeciei; oppoſitum enim iam oſtenſum eſt. Quare non aliter Petrus & Paulus poſſunt dici à parte rei eiuſdem ſpeciei, niſi quia conueniunt, & ſunt reipſa ſimiles in natura humana.

Vnde ad confirmationem dico, Petrum & Paulum aliaque indiuidua humana habere vnitatem formalem, non omnia eandem, sed singula proprias, ab vnitatibus aliorum distinctam. Cum enim singula habeant propriam & integram entitatem, ab entitatibus aliorum omnino realiter distinctam, vt ex eo manifestum est, quòd tota vnius entitas remanet tota entitate alterius destructa, aut nondum producta; repugnat quod inter illa reperiatur aliquid, quod sit à parte rei formaliter vnum & indiuisum.

Obijcies 2. citra mentis operam, est relatio identitatis inter Petrum & Paulum; at ex Arist. relatio illa fundatur in vnitate naturæ, sicut relatio similitudinis in vnitate qualitatis. Respondeo relationem identitatis qua Petrus refertur ad Paulum, fundari in vnitate conformitatis quæ est inter naturam Petri & Pauli, non autem in vnitate reali quæ sit inter illas; vt ex eo ostenditur, quia aliàs non esset realis relatio identitatis inter Petrum & Paulum; sicut nec est inter personas diuinas, ob vnitatem naturæ. Potest etiam admitti inter homines vnitas quædam Logica, de qua aliquid dicetur cap. sequenti, articulo 4.

Obijcies 3. Petrus & Paulus à parte rei magis conueniunt inter se, quàm Petrus & Bucephalus, ergo habent naturam realiter communem; sequela patet, quia si non habent naturam communem, nullo modo conueniunt, adeoque non magis quàm Petrus & Bucephalus. Respondeo negando sequelam, quia etsi Petrus & Paulus non habeant vnam naturã communem, sed duas realiter inter se distinctas, maior tamen est conformitas & similitudo à parte rei inter naturas ipsorum, quàm

inter naturam Petri, & naturam Bucephali: quo fit vt magis conueniant inter se, quàm cum Bucephalo.

Obijcitur 4. vniuersale ex Arist. est vnum aptum inesse multis, seu quod ex natura sua potest multis inesse, at quod ex natura sua tale est, est tale à parte rei, & citra mentis operam. Ergo datur vniuersale à parte rei, & citra mẽtis operam. Respondeo non sequi, nam ad vniuersale requiruntur vnitas, & aptitudo; at quamuis natura habeat à parte rei aptitudinem vt sit in multis, non tamen vnitatem; cum à parte rei vna sit in vno, & alia in alio.

Dices, Petrus & Paulus sunt vnum à parte rei in ratione essentiali hominis; ergo homo non tantùm habet aptitudinem vt sit in Petro, & Paulo, sed etiam vnitatẽ. Probatur antecedẽs, tum quia ratio essentialis hominis vnica definitione explicatur, tum quia si Petrus & Paulus non essent vnum in ratione essentiali hominis, essent diuisi in plures essentias hominis, sicque multiplicarentur essentiæ humanæ iuxta multiplicationem indiuiduorum, quod inauditum est. Tum denique quia aliàs æquè Petrus distingueretur à Paulo ratione humanitatis, ac ratione Petreïtatis, quod dici non potest. Respõdeo negando antecedẽs, & ad primã illius probationem dico, vnitatem definitionis non arguere vnitatẽ realem rei definitæ, sed vnitatem conformitatis, vel ad summum rationis. Ad secundã, non esse absurdũ dicere Petrũ & Paulũ esse diuisos in plures essentias, si diuisio sumamatur pro reali distinctione, cũ alter ab altero, quoad totũ quod est, realiter sit distinctus, vulgò tamẽ dicitur Petrum & Paulum esse eiusdẽ essentiæ, vel non habere diuersam essentiam, quo nihil aliud indicatur quàm eorũ essentias

etsi reipsa distinctas, posse vnica definitione explicari, propter conformitatem quam inter se habent. Ad tertiam, Petrum non minus distingui à Paulo per humanitatem, distinctione reali, quàm per petreïtatem; quia quia cum humanitas & petreïtas sint eadem entitas in Petro, non potest Petrus à Paulo per vnam distingui; quin eo ipso distinguatur per aliam: non tamen ab eo distingui per humanitatem, sed per petreïtatem, si distinctio sumatur pro negatione conuenientiæ; cùm ambo conueniant in ratione hominis, & discrepent in ratione Petri & Pauli.

ARTICVLVS V.

Refellitur tertius modus dicendi prædictæ sententiæ.

Tertiò nonnulli recentiores ponunt in natura vnitatem quandam, quam vocant præcisionis, cum aptitudine essendi in multis; non quidem realiter extra singularia, vt volebat Plato; neque in natura jam contracta in suis inferioribus, vt volunt Scotistæ, sed secundum se, quatenus naturæ ordine præcedit contractionem sui ad inferiora.

At modus etiam iste displicet 1. quia vel natura in eo statu est realiter indifferens vt contrahatur ad inferiora, vel tantùm per rationem; si hoc posterius dicatur, sequitur non dari vniuersale nisi ad summum per rationem, contra arguentes. Si verò priùs, hinc consequens est naturam secundum se esse rea-

liter distinctam ab inferioribus, quod communi Philosophorum sensui, ipsisque arguentibus repugnat.

Displicet 2. quia si natura quæ est in aliquo singulari, erat indifferens ex se vt contraheretur ad hoc vel illud indiuiduum, ergo humanitas quæ est in Petro, æque poterat ex se ante contractionem esse in Paulo, & vice versa quæ est in Paulo, esse in Petro. Imo jam posset Deus humanitatem Petri conferre Paulo, & eam quæ est in Paulo transferre in Petrum: Posset etiam similiter animalitas equi & asini in hominem transferri, quia ex se erat indifferens vt esset in bruto vel in homine. Quis autem non videt eiusmodi transformationes planè absurdas & chimericas esse?

Displicet 3. quia quamuis gratis concederetur naturam Petri, in statu illo præcisionis fuisse indifferentem vt esset in Petro vel in Paulo, inde tamen non sequeretur eam fuisse indifferentem vt esset simul in Petro & in Paulo, adeoque in eo statu non esset vniuersalis. Siquidem ad vniuersale non sufficit quod possit esse in hoc, vel illo indiuiduo disjunctiuè, sed requiritur vt possit esse simul in hoc & illo copulatiuè.

Obijcies 1. actus essendi in pluribus non pendet ab operatione intellectus, ergo nec aptitudo quæ ordine naturæ præcedit actum; ergo vniuersalitas conuenit naturæ à parte rei. Respondeo dimisso antecedente, & priori consequentia, posteriorem negandam esse, nam etsi natura à parte rei sit in pluribus, & antequam esset in illis habuerit quandam aptitudinem vt in illis esset, inde non benè colligitur eam in illo priori fuisse vniuersalem.

Quia vt talis esset, deberet esse vna, vt patet ex dictis: at in eo priori non est vna, sed multiplex, sicut enim non vna sed multiplex natura est actu in pluribus; ita non vna sed multiplex habuit aptitudinem vt in illis esset.

Obijcies 2. diuersæ naturæ rerum diuersas habent aptitudines, vt sint per modum identitatis in his aut illis, v.c. natura animalis in animalibus, non in lapidibus; natura lapidis in lapidibus, non in animalibus. Hæc autem diuersitas non oritur ex operatione intellectus abstrahentis naturas communes à suis particularibus, cùm omnes eodem modo abstrahat; ergo prouenit ex ipsis rerum naturis, sicque res à parte rei sunt vniuersales. Respondeo ex jam dictis, non dari à parte rei naturam quandam communem animalis, quæ habeat aptitudinem essendi in his & illis animalibus. Nec naturam quandam communem lapidis, quæ possit esse in hoc & illo lapide, vt gratis supponitur: sed sola singularia animalium & lapidum quæ realiter existunt, habuisse antequam existerent, non repugnantiam existendi; quod non sufficit ad vniuersale, vt perspicuum est.

Obijcies 3. in hoc res omnes creatæ à natura diuina differunt, quod natura diuina non est communicabilis pluribus inferioribus, quæ plures naturas diuinas contineant; at verò natura omnis creata sit ex se eo modo apta esse in pluribus; ita vt in illis multiplicetur, vt patet in natura humana quæ, nemine cogitante, est multiplex in multis particularibus hominibus. Respondeo discrimen illud frustra admitti, quia supponitur naturam quandam in

ſe vnam multiplicari in inferioribus, quod jam, ſatis rejectum eſt, poteſtque exemplo ipſius naturæ diuinæ amplius refelli. Nam ſi illa, quia eſt in ſe vna, non conſtituit tres perſonas tres Deos, ſed vnum tantùm Deum; quî fieri poteſt vt humanitas ex ſe ſit vna, & tamen ita in Petro, Paulo, & Iacobo multiplicetur, vt eos conſtituat tres homines realiter inter ſe diſtinctos?

CAPVT II.

DE VNIVERSALI PER mentis operam.

ARTICVLVS PRIMVS.

Primus modus ſentiendi excluditur.

HActenus de priori ſententia, varijſque modis quibus defendi ſolet. Poſterior, quæ eſt communis Thomiſtarum, & aliorum, ſtatuit naturas non eſſe vniuerſales niſi per operationem mentis; quod tribus etiam modis, in hoc & ſequentibus articulis expendendis, intelligi poteſt.

Primus modus eſt eorum qui putant vniuerſale fieri per abſtractionem intellectus agentis, cuius officium eſſe aiunt denudare phantaſmata à conditionibus indiuiduantibus; ita vt ſpecies quæ repræſentabat hunc vel illum hominem ſingularem, repræſentet tantùm hominem præcisè & ſecundum

se. sicque illum constituat in ratione vniuersalis.

Verùm hic modus reijcitur 1. quia gratis supponit speciem ab intellectu agente productam abstrahere à singularibus, adeoque intellectum patientem non percipere nisi vniuersalia: oppositum enim ex communi sententia ostendetur tertio libro Physicæ.

Reijcitur 2. quia quamuis gratis daretur secundum vniuersale fieri per abstractionem speciei intelligibilis à singularibus, idem tamen dici non posset de primo, seu de genere; quia cùm intellectus possibilis possit, etiam ex sententia aduersariorum, intelligere species sub genere contentas, eò quòd sunt naturæ vniuersales, frustrà intellectus agens genus à suis speciebus abstraheret; sicut dicitur abstrahere speciem à suis indiuiduis, vt intellectus possibilis eam cognoscat.

Reijcitur 3. quia tunc natura censetur fieri vniuersalis per mentem, quando concipitur vt quid vnum aptum inesse multis; hoc autem non fit per fabricationem speciei intelligibilis, tum quia talis operatio non est cognitio objecti, sed efformatio instrumenti quo mediante objectum postea cognoscetur per intellectum possibilem. Tum quia species ab intellectu agente fabricata non potest abstrahere à conditionibus indiuiduantibus, nisi naturam per phantasma repræsentatam, quæ est singularis. At natura ab vno tantùm singulari abstracta non nisi in illo esse potest, quia cùm illo tantùm identificatur, adeoque non est positiuè vniuersalis; sed ad summum negatiuè, quatenus non cognoscitur vt singularis. Hinc autem facilè solui possunt nonnulla quæ pro allata sententia afferri solent.

Verùm adhuc

Obijcies 1. species impressa est imago & formalis repræsentatio naturæ, non vt singularis, cùm sit abstracta à conditionibus indiuiduantibus, ergo vt vniuersalis. Respondeo 1. antecedens falsum esse, species siquidem impressa ex communi sententia, non est formalis obiecti repræsentatio, sed causa partialis cum intellectu possibili occurrens ad eiusmodi repræsentationem, quæ in specie expressa seu in actuali intellectione consistit. Vnde ex communi sententia Thomistarum, natura non fit vniuersalis quando species illa effingitur, nisi ad summum remotè & impropriè; quatenus illius beneficio intellectus possibilis poterit postea cognoscere naturas sine conditionibus indiuiduantibus, seque eas facere vniuersales.

Respondeo 2. etsi gratis daretur obiectum formaliter per speciem impressam repræsentari, non inde sequeretur illud esse vniuersale, eò ipso quo illa species fit per intellectum agentem: quia natura ab vno singulari præcisa non potest esse vniuersalis, vt dictum est. Et quamuis esset, non tamen talis deberet dici respectu intellectus agentis, cùm illam non cognoscat; præsertim in eorum sententia qui nobiscum putant, intellectum agentem verbo tenus dici intellectum, & esse facultatem quandam ab intellectu patiente & cognoscente realiter distinctam de quo alibi.

Obijcies 2. eo ipso quòd natura intelligitur abstracta, seu à conditionibus indiuiduantibus denudata per intellectum agentem, censetur habere per intellectum totum id quod Plato in vniuersali separato realiter constituebat; ergo id sufficit ad constituendum

vniuerſale. Reſpondeo 1. abſtractionem illam gratis ſupponi, vt dictum eſt. 2. quamuis daretur, negandam eſſe paritatem, quia Plato conſtituebat naturam aliquam vniuerſalem extra ſingularia realiter exiſtentem; at intellectus agens fabricando ſpeciem, non verſatur circa ipſam naturam, cùm eam non cognoſcat; adeoque non poteſt illam conſtituere actu & formaliter vniuerſalem. 3. etſi intellectus agens verſaretur circa ipſam naturam, non tamen eo ipſo eam vniuerſalem conſtitueret; cùm natura ſingularis non euadat vniuerſalis, quatenus præcisè concipitur ſine ſingularitate, vt ante dictum eſt, & ex dicendis clariùs intelligetur.

ARTICVLVS II.

Alius dicendi modus impugnatur.

SEcundus modus eſt eorum qui docent, vniuerſale reſultare in natura per abſtractionem præciſiuam intellectus poſſibilis; quod ita fieri putant vt intellectus poſſibilis ſpecie intelligibili, directè naturam ſine conditionibus indiuiduantibus repræſentante, informatus, producat in ſeipſo ſpeciem expreſſam ſeu conceptum, quo formaliter cognoſcat naturam præcisè ſecundum ſua prædicata eſſentialia, non cognoſcendo ſingularia, ſed ab illis præſcindendo, ſicque naturam abſtractam conſtituat vniuerſalem.

Licèt autem multi quoad hoc conueniant, adhuc tamen inter illos eſt controuerſia circa actum quo fit vniuerſale; quidam enim exiſtimant illud fieri per comparationem ſimpli-

cem intellectus possibilis, quod sic explicant. Supposita cognitione qua natura fuit præcisa à suis inferioribus, aduenit actio reflexa intellectus qua cognoscit naturam vt participabilem à suis inferioribus, & hæc cognitio dicitur comparatio, estque simplex quando fit per simplicem apprehensionem, ita vt intellectus concipiat naturam per ordinem ad inferiora, nihil affirmando aut negando.

Alij verò dicunt vniuersale fieri per comparationem compositam, quæ tunc habet locum quando non tantum intellectus considerat naturam per ordinem ad sua inferiora, sed etiam eam illis attribuit per actualem prædicationem, dicendo v. c. Petrus est homo, homo est animal.

Sunt etiam nonnulli qui neutram comparationem putant necessariam ad constitutionem vniuersalis, adeoque existimant vel solam abstractionem seu præcisionem naturæ à conditionibus indiuiduantibus sufficere vt sit vniuersalis; quia sic concipitur vt vna, & ipsa aliunde multiplicatur in indiuiduis, adeoque habet conditiones essentialiter requisitas & sufficientes ad vniuersale.

Verum hic dicendi modus, etsi longè probabilior & communior præcedenti, non satis solidè videtur excogitatus. Probatur 1. nam ad vniuersale requiritur vnitas, at vnitas non potest tribui alicui naturæ per mentem, siquidem non potest mens nostra tribuere vnitatem alicui naturæ, nisi quatenus eam concipit vt vnam, at certè longè aliud est concipere naturam vt vnam, & eam facere vnam: sicut aliud est concipere Æthiopem vt album, & eum facere album.

Probatur 2. quia cùm natura quæ dicitur

vniuersalis, debeat vna & eadem prædicari de multis, vt mens nostra faciat vniuersale, debet consequenter facere vt natura eadem prædicetur de multis, v. c. eadem humanitas de Petro & Paulo: at hoc per mentem fieri nequit, siquidem vt natura prædicetur de Petro, debet esse in Petro; & vt prædicetur de Paulo, debet esse in Paulo: quare si eadem natura de vtroque prædicatur, sequitur eandem naturam esse in illis, sicque eam esse re ipsa vnam & vniuersalem, non autem per mentis operam.

Probatur 3. quia dum hominem per modum vnius concipis, vel conceptus tuus est verus, vel falsus; si verus, ergo est conformis rei, adeoque homo est vniuersalis independenter à tuo intellectu; si falsus, ergo homo non est vniuersalis nisi per fictionem mentis, ex quo sequitur totam fabricam vniuersalis esse fictitiam & chimericam. At quis credat figmenta esse necessaria ad cognitionem veri? quo tamen sine vniuersalia dicuntur inuenta.

Probatur 4. quia natura vniuersalis debet intimè & adæquatè prædicari de quolibet inferiori; at homo ille quem abstrahis ab omnibus indiuiduis, nec potest intimè prædicari de Petro, cùm repugnet id quod ab aliquo abstrahitur esse illi intimum; nec adæquatè, quia cùm homo abstractus ab omnibus indiuiduis naturæ humanæ, contineat in se naturam communem omnium hominum, sequeretur Petrum in se habere naturam omnium hominum, & cum illa identificari; quo nihil absurdius cogitari potest. Vt autem huius rationis vim clariùs percipias, variasque responsiones quibus eludi potest, faciliùs soluas,

recole quæ dicta sunt de natura vniuersalis cap. 1. art. 1.

Obiicies, illud est vniuersale, quod est vnum aptum inesse multis; at cùm concipio hominem sine Petreitate, homo à me conceptus est vnus & indiuisus, habetque vt sic aptitudinem essendi in multis, ergo ratio vniuersalis illi competit. Maior patet ex definitione vniuersalis superiùs allata, probatur minor quoad primam partem, quia cùm homo diuidatur & multiplicetur per differentias indiuiduales, eo ipso est indiuisus & vnus quo per mentem ab illis abstrahitur. Quoad secundam verò ostenditur, quia conceptus hominis vt sic, non minùs Paulo, aliisque indiuiduis naturæ humanæ, quàm Petro applicari potest; cùm omnes æqualiter conueniant in ratione præcisa hominis. Respondeo negando minorem quoad vtramque partem, & ad earum probationem dico, falsum esse quòd homo abstractus à Petreitate habeat vnitatem propriam vniuersalis, per quam aptus sit inesse multis; licèt enim humanitas Petri consideretur sine Petreitate, id non impedit quin verè sit illius humanitas, planè distincta ab humanitate Pauli, de quo proinde prædicari non potest. Confirmatur nam quod Petri humanitatem concipiam sine Petreitate, id non facit vt humanitas illa insit Paulo, ergo nec facit vt possit de Paulo prædicari; cùm de illo prædicari nequeat, nisi illi insit. Nec refert quod conceptus hominis vt sic, dicatur de Paulo; hoc enim falsum est agendo de conceptu hominis, constantis ex humanitate abstracta à Petreitate; cùm hæc nunquam possit verè fieri Pauli, sed tantum per fictionem mentis, quæ ad veram prædicationem

vnius de alio non sufficit, vt perspicuum videtur.

Instabis, sicut natura fit singularis ex eo quod contrahatur per conditiones indiuiduantes, ita debet fieri vniuersalis per præcisionem ab eiusmodi conditionibus. Respondent aliqui hanc contractionem & præcisionem gratis fingi, quia cùm natura ex se & per propriam entitatem sit singularis, hinc fit eam neque contrahi posse ex parte obiecti, neque præscindi. Verùm data præcisione, dicendum est naturam per illam non fieri vniuersalem positiuè, sed tantùm negatiuè, quod non sufficit ad verum vniuersale de quo agimus; hoc enim dicit positiuam aptitudinem ad essendum in multis, quæ nulli naturæ per opus mentis, nisi falsò & fictè competere potest.

Vrgebis adhuc, esto natura abstracta ab vno singulari sit vniuersalis tantum negatiuè; quæ tamen præcisa est à multis indiuiduis est vniuersalis positiuè; quia sic est vna apta inesse multis. Respondeo neque id sequi, nam sicut natura abstracta à Petro est vniuersalis tantùm negatiuè, ita abstracta à Paulo est vniuersalis tantùm negatiuè. Nec fieri potest vt ex duobus vniuersalibus negatiuis fiat vnum vniuersale positiuum: aut quòd natura abstracta à Petro verè dicatur de Paulo, & abstracta à Paulo verè prædicetur de Petro; cùm eiusmodi abstractio planè extrinseca rebus & imaginaria earum entitatem nullo modo attingat.

Atque ex his constat nihil referre ad constitutionem vniuersalis, quod abstractioni pręcisiuæ addatur cognitio comparatiua siue simplex, siue composita. Quia cum per illam

abſtractionem natura non accipiat vnitatem neceſſariam ad vniuerſale, vt probatum fuit, conſequens eſt comparationem ei ſuperadditam per intellectum in ordine ad inferiora, cùm talem defectum non corrigat, ſed ſupponat, non ſufficere vt natura verè ſit vniuerſalis.

Confirmatur nam intellectus non facit naturam vnam ex eo præciſe quod illam comparat cum inferioribus, ergo ſupponit aliunde vnam, nempe per abſtractionem præcedentem, quam tamen ad id non ſufficere oſtendimus.

ARTICVLVS III.

Tertius dicendi modus exploditur.

SVpereſt tertius modus defendendi vniuerſalia per mentis operam, eorum nempe qui docent ea fieri non per præciſionem obiectiuam, qua dicuntur cognoſci naturæ ex parte obiecti, vt abſtractæ à conditionibus indiuiduantibus; ſed per aliam quam vocant formalem, quæ in eo poſita eſt, vt omnia indiuidua cognoſcantur ex parte obiecti, intellectus tamen ea cognoſcat confusè per modum vnius, ſicque faciat vniuerſale.

Verùm hic modus refellitur 1. ex doctrina communi de vniuerſali, quam ipſimet Aduerſarij expreſsè defendunt. Dicunt enim ad vniuerſale requiri & vnitatem, & pluralitatem; vnitatem in ipſo vniuerſali, pluralitatem in inferioribus in eadem omnino ratione quæ reperiatur adæquatè in pluribus; ita vt tota ſit in quolibet, & non vna pars in vno,

alia in alio. Nam si hoc ita se habet, cùm iuxta eorum sententiam, vniuersale includat omnia indiuidua, conceptus hominis v. c. omnes homines particulares, hinc manifestè sequitur omnia indiuidua debere reperiri in quolibet indiuiduo, & consequenter in quolibet homine esse omnes homines. Sequela patet, quia si in Petro non reperitur nisi vna & singularis humanitas, & in Paulo alia singularis humanitas, perspicuum est in quolibet inferiori hominis non reperiri totam hominis vniuersalis rationem, quæ omnes & singulas humanitates includit, sed vnam tantùm partem in vno, aliam in alio. Cum ergo repugnet in quolibet indiuiduo reperiri totam & adæquatam rationem vniuersalis, eo modo explicati; hinc manifestè concluditur vniuersale non fieri per actum illum confusum, quem præcisionem formalem appellant.

Confirmatur, nam ipsimet Aduersarij ea ratione probant vniuersale non fieri per præcisionem obiectiuam; quia natura sic præcisa obiectiuè non potest prædicari intrinsecè de quolibet indiuiduo; cum sic natura omnium hominum, & natura omnium hominum non possit prædicari intrinsecè de Petro, adeoque nec de quolibet indiuiduo: Quia alias quilibet homo haberet naturas omnium hominum sibi identificatas, essetque verè & realiter omnes homines. At hæc ratio, quæ optima est, æquè contra illos retorqueri potest, cùm velint naturam formaliter præcisam includere omnia indiuidua. Imò maiorem vim habet contra illos, quia natura obiectiuè præcisa, est abstracta à differentiis indiuidualibus; at formaliter præcisa, non abstrahit ab eiusmodi

di differentiis, ſed eas includit; eſt autem abſurdius attribuere cuilibet indiuiduo naturas omnium indiuiduorum, vt indiuiduatas, quàm vt abſtractas.

Refellitur 2. quia ideo maximè ſtatuuntur vniuerſalia, vt dentur prædicationes vniuerſales & ſcientificæ; at ſi vniuerſale complectitur omnia indiuidua, nulla dari poteſt prædicatio vniuerſalis; cùm fieri nequeat vt omnia indiuidua prædicentur de quolibet inferiori; quare vniuerſale eo modo conſtitui non debet.

Nec dicas cum Aduerſarijs, ad prædicationem vniuerſalem non requiri vt tota natura vniuerſalis prædicetur de quolibet, ſed ſolùm vt prædicetur illa natura particularis quæ in apprehenſione præcedenti fuerat vniuerſalis, quatenus ſimul cum aliis confusè cognita fuerat. Nam in primis hæc reſponſio directè repugnat ſententiæ communi, quam iidem autores defendunt, & vrgent contra Thomiſtas: ſæpe enim inculcant totum vniuerſale debere prædicari de quolibet inferiori, iam verò parum ſui memores, exiſtimant ſatis eſſe quòd pars aliqua vniuerſalis de inferiori prædicetur.

Illi etiam docent cum ſententia communi, idem eſſe poſſe vniuerſale Metaphyſicum & Logicum; quia eo ipſo quod res eſt apta eſſe in multis, eſt quoque apta vt prædicetur de multis. At contendunt vniuerſale in eſſendo conſtitui per apprehenſionem omnium naturarum; quomodo ergo iam fatentur ad vniuerſale in prædicando ſufficere, quod natura ſic concepta ſit prædicabilis de quolibet inadæquatè, id eſt vna de vno, & alia de alio? Iſta enim inter ſe non bene cohærent, vt perſpicuum eſt.

Rurſus, ſi natura in actuali prædicatione eſt particularis, nonne æquius eſt vt prædicatio propter illam dicatur particularis, quàm quòd ob apprehenſionem præcedentem, quæ amplius non eſt, dicatur vniuerſalis? Cur verò neceſſe eſt vt concipiam omnes homines ſingulares per modum vnius hominis, ad hoc vt hominem de Petro enunciem? Et quo fundamento dicitur naturam Petri in præcedenti apprehenſione fuiſſe vniuerſalem, ſi vniuerſale dicit intrinſecè multas naturas cognitas ad modum vnius? Sanè ad ſummum dici poteſt, naturam Petri in illa apprehenſione omnium ſingularium per modum vnius, fuiſſe partem vniuerſalis: vnde ſequitur prædicationem illam, Petrus eſt homo, ideo dici vniuerſalem, quia etſi non prædicetur de Petro niſi natura ipſius ſingularis, ea tamen ante prædicationem fuit pars naturæ vniuerſalis; quod quàm ſine fundamento dicatur; nemo non videt.

Obiicies, vnitas quam intellectus tribuit omnibus hominibus ſingularibus, quatenus illos confusè cognoſcit, ac ſi eſſent vnus ſolus homo, non eſt vnitas ſingularis, quia per illum actum nullum indiuiduum in particulari cognoſcitur, ſed omnia confusè; ergo eſt vnitas vniuerſalis. Reſpondeo non ſequi, tum quia vnitas illa non deſcendit adæquatè ad ſingula inferiora, vt dictum eſt; tum quia ſi ſufficeret ad vnitatem vniuerſalem, quòd multa ſingularia confusè cognoſcerentur, ciuitas eſſet nomen vniuerſale, cùm dicat multos homines confusè, & nullum particularem diſtinctè. Sequeretur etiam me facere vniuerſale, quando eminus video confusè plura animalia, ac ſi eſſent tantum vnum animal; cum

tamen ex communi ſententia, ſenſus non poſſit facere vniuerſale. Atque ex his ſatis conſtare videtur, nullum dari vniuerſale ſiue à parte rei, ſiue per mentis operam, eo ſenſu quo in Sholis intelligi, & defendi ſolet.

ARTICVLVS IV.

Soluuntur nonnullæ obiectiones.

OBiicies 1. nos pugnare contra omnes Philoſophos, qui vno conſenſu vniuerſalia admittunt; quod videtur temerarium, & periculoſum. Reſpondeo 1. opinionem negantem vniuerſalia fuiſſe communem inter Philoſophos, ante tempora Ariſt. 2. Scotiſtas noſtræ ſententiæ fauere, quatenus negamus dari vniuerſale per mentis operam; & Thomiſtas eidem ſubſcribere, quatenus negamus illud dari à parte rei. 3. in rebus ad fidem minimè ſpectantibus, nullam temeritatis notam ab iis incurri, qui non tam autoritate humana, quàm ratione ducuntur: & cuilibet licitum eſſe illud ex Ariſt. vſurpare, *amicus Plato, ſed magis amica veritas.*

Obiicies 2. nullas dari ſcientias, ſi non ſint vniuerſalia, cùm non ſit ſcientia de ſingularibus. Reſpondeo etſi non ſit ſcientia de ſingularibus, quatenus ſunt corruptibilia; cùm tamen non corrumpantur niſi quoad exiſtentiam, nihil vetare quin de eorum prædicatis eſſentialibus vera ſcientia dari poſſit: v. c. de Petro vt eſt corpus, viuens, animal, homo; neque vllo modo ad hoc requiri vt ſit, aut fingatur quidam homo communis, cui iſta prædicata per ſe primò conueniant.

Confirmatur, nam non datur ſcientia de homine communi, quia eſt homo communis; ſed quia de illius prædicatis eſſentialibus dari poſſunt propoſitiones indefectibiles, & æternæ veritatis: at idem dici poteſt de homine particulari, vt homo eſt, cum eadem habeat prædicata eſſentialia, ac homo communis. Quare nihil vetat quin de illo vt ſic, vera ſcientia detur.

Obiicies 3. ablato vniuerſali nulla vera definitio aſſignari poteſt, quia quæ competit vni indiuiduo, alteri applicari non poteſt. Reſpondeo id non ſequi, quia licet tale indiuiduum vt ſic, non poſſit definiri, poteſt tamen definiri natura illius ſecundum prædicata ſua eſſentialia, eaque definitio poteſt applicari aliis indiuiduis, quatenus ſimilem habent naturam; vt Petrus quatenus homo, poteſt definiri *animal rationale*, hæcque definitio Paulo, alijſque indiuiduis naturæ humanæ, vt ſunt homines, applicari poteſt.

Dices 1. eo ipſo quòd natura Petri ſecundum ſe ſpectatur vt ſeiuncta à conditionibus indiuiduantibus, eſt vniuerſalis; ſicque recidimus in communem ſententiam. Verùm antecedens falſum eſt, vt patet ex dictis, quia ea præciſio non ſufficit vt natura Petri ſit per ſe vna, & apta eſſe in pluribus indiuiduis, vt requiritur ad verum vniuerſale. Quod etiam ex mente Thomiſtarum communiter recepta poſtea confirmabitur.

Dices 2. ſi indiuidua, vt ſupponimus, habent ſimilem naturam, iam ſunt vnum in natura, cùm ſimilitudo ex Ariſt. in vnitate fundetur. Reſpondeo 1. hoc argumentum poſſe vrgeri contra Thomiſtas quatenus docent vni-

uerſale fieri per mentis operam;expreſsè enim ſtatuunt intellectum occaſionem ſumere ex ſimilitudine indiuiduorum concipiendi eorum naturam vt vnam, ſicque fabricandi vniuerſale. Quare ex eorum mente, ſimilitudo non fundatur in vnitate, ſed potiùs vnitas in ſimilitudine.

Reſpondeo 2. quod ſicut illi, vt huic difficultati ſatisfaciant; docent, cùm ait Ariſt. ea eſſe ſimilia quorum qualitas vna eſt, ſenſum eſſe, ea eſſe ſimilia quæ habent vnam qualitatem non re, ſed mente; ità nos dicimus, ea eſſe ſimilia quæ habent vnam qualitatem non re, aut mente, ſed Logicè ſeu æquiualenter; quatenus etſi diſtinctas qualitates habeant, perinde tamen ſe habent in ordine ad ſcientiam, ac ſi vnicam haberent qualitatem; vt ex definitione hominis ſuperius allata facilè intelligi poteſt.

Obiicies 4. deſtructo vniuerſali, propoſitiones omnes fore identicas, & nugatorias; quia cùm dico, Petrus eſt homo, ſenſus erit, Petrus eſt Petrus, & ſic de aliis. Reſpondeo neque id ſequi, nam ad propoſitionem identicam non ſufficit quòd attributum ſit idem realiter cum ſubiecto; quia ſic omnes propoſitiones affirmatiuæ eſſent identicæ, cùm ad veritatem illarum neceſſaria ſit identitas inter prædicatum & ſubiectum, vt omnes fatentur: ſed requiritur vt idem ſit prædicatum & ſubiectum etiam quoad voces, vt cum dico, Petrus eſt Petrus. Quò fit vt illa propoſitio, Petrus eſt homo, non ſit identica, eſto homo non ſumatur pro homine vniuerſali, quem ſupra oſtendimus de Petro dici non poſſe, ſed pro ratione eſſentiali hominis quæ eſt in Petro.

Atque hæc omnia ex ſententia communi Aduerſariorum euidenter confirmari poſſunt. Illi enim poſt S.Thomam conſiderant naturam in triplici ſtatu, 1. vt contractam ad indiuidua, 2. vt abſtractam per intellectum ab indiuiduis, qua ratione dicunt eam eſſe vniuerſalem 3. ſecundum ſe, ſeu ſecundum ſua prædicata eſſentialia, quomodo fatentur eam neque eſſe particularem, neque vniuerſalem. Hinc enim manifeſtum eſt ad veram ſcientiam, aut definitionem, aut prædicationem non opus eſſe quod natura abſtrahatur à ſingularibus, & fiat vniuerſalis; ſed ſufficere quòd illa quæ actu contracta eſt ad indiuidua, conſideretur ſecundum ſua prædicata eſſentialia.

Quæ omnia à nobis dicta ſint, ſaluo meliori iudicio, potiuſque diſputandi gratia, quàm quidquam ex proprio ſenſu in perniciem vniuerſalis innouandi. Quare quæ tractanda ſuperſunt de hac materia, conſentaneè ad communiorem opinionem, de vniuerſalibus per mentis operam, accipienda erunt.

ARTICVLVS V.

De nonnullis proprietatibus vniuerſalis.

VAriæ proprietates vniuerſalis à Philoſophis afferri ſolent, quæ hic breuiter proponendæ ſunt. Prima eſt, eſſe quoddam totum quod vocant poteſtatiuum, quia non continet actu partes ſuas, ſicut totum Phyſicum continet materiam & formam, ſed poteſtate; ita vt etſi earum entitatem contineat, non ta-

men distinctè, sed per modum confusionis, sub aliquo gradu communi per intellectum factæ.

Secunda est, vt sit prædicabile, essentia enim vniuersalis est quòd sit aptum inesse multis, vnde tanquam proprietas necessaria oritur, quòd possit prædicari de multis, vt animal de homine, & equo; homo de Petro, & Paulo. Cæterùm vniuersale prædicatur tanquam totum de inferiori, etsi explicitè vnam tantùm illius partem contineat. Vnde dicimus homo est animal, non autem homo est materia; quia animal prædicatur vt totum, materia autem vt pars.

Tertia est, vt vniuersale sit intelligibile, quod ita à nonnullis accipitur vt intellectus non possit cognoscere nisi vniuersale; sed ab aliis melius explicatur vt sensus sit, vniuersale quatenus vniuersale, posse quidem percipi ab intellectu, quia intellectus habet vim non modo percipiendi directè naturas quibus tribuit vniuersalitatem, sed etiam reflectendi supra actum quo illis tribuit vniuersalitatem; non tamen posse vt sic percipi à sensu, etsi natura vniuersalitati substrata ab ipsis sensibus percipi possit.

Quarta est, vt vniuersale dicatur esse posterius singularibus; quod dupliciter intelligi potest 1. spectato vniuersali secundum naturam realem quæ denominatur vniuersalis; ea enim non existit nisi in singularibus. 2. sumpto vniuersali formaliter pro ipsa vniuersalitate, hæc enim fit per abstractionem intellectus à singularibus; quorum proinde aliqua cognitio præcedere debet.

Quinta est, vt vniuersale sit semper, &

vbique, quod non debet intelligi positiuè, sic enim Deus solus est semper, & vbique, quia omni tempore & loco existit; sed negatiuè vt sensus sit, nullum esse tempus, nullumque locum in quo vniuersale secundum se non possit esse; quod de singulari creato affirmari nequit.

Sexta est, vt vniuersale dicatur esse æternum & incorruptibile; quod etiam intelligi debet negatiuè, iuxta iam dicta. Ita scilicet vt cùm vniuersale abstrahat ab existentia, in qua variatio contingere solet, & dicat tantùm prædicata essentialia, consequenter nullum habeat in se principium corruptionis, nec repugnet ex se quin sit ab æterno. Vnde quamuis nullus homo extiterit ab æterno, fuit tamen verum ab æterno, hominem esse animal rationale; adeo vt impossibile sit aliquem hominem vnquam existere, qui non sit animal rationale.

CAPVT III.

De Genere.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quodnam sit definitum in definitione generis.

EX dictis in Logica constat genus à Porphyrio definiri, *id quod pluribus & differentibus specie attribuitur in quæstione quid est.* Iam verò inquiritur quodnam sit definitum huius definitionis, an natura quæ dicitur

genus; an talis vniuersalitas ob quam genus appellatur, seu genereitas; an aggregatum ex natura & generetate; idque vel ita vt vtrumque ex equo definiatur; vel ita vt natura sit definitum materiale, & vt quod, genereitas verò definitum formale, & vt quo, aut vice versa.

Respondeo & Dico 1. *non definiri naturam secundum se, nec genereitatem per se spectatam, sed concretum ex natura & genereitate.* Prima pars probatur, quia natura secundum se spectata non prædicatur de multis specie differentibus in quid, sed tantùm quatenus substat secundæ intentioni; ergo secundum se non est id quod definitur, cùm id quod per definitionem explicatur, rei definitæ intrinsecè competere debeat. Confirmatur, quia alias speciei & indiuiduis generi subiectis competeret, posse prædicari de multis specie differentibus; quod absurdum est. Sequela patet, quia eadem natura, secundum se spectata, quæ est in genere, est etiam in speciebus, & indiuiduis generi subiectis: vt natura animalis in homine & equo; in Petro, & Bucephalo.

Secunda pars eodem modo ostendi potest, quia genereitas in abstracto non prædicatur de multis specie differentibus, adeoque non est id quod definitur in prædicta definitione. Confirmatur, nam genereitas non est genus, sed id quo genus constituitur; at definitur genus ipsum, non autem id quo genus constituitur.

Tertia pars ex præcedentibus colligitur, nam si non definitur natura secundum se, nec genereitas secundum se, consequens est vt concretum ex natura & genereitate definiatur. Confirmatur, quia hoc concretum est prædicabile de multis specie differentibus in quid, v. c. ani-

mal de homine & equo; ergo definitio allata ei competit, adeoque eſt id quod definitur; ad eum modum quo cùm album definitur, *id quod diſgregat viſum*, definitum non eſt ſubiectum cui inhæret albedo, præcisè ſpectatum, nec ipſa albedo per ſe ſpectata, ſed concretum ex ſubiecto & albedine; hoc enim eſt propriè quod viſum diſgregat.

Obiicies, ens per accidens non poteſt vnica definitione explicari, ſed concretum ex natura & genereitate eſt ens per accidens, ergo, &c. Reſpondeo maiorem veram eſſe de ente omnino per accidens, ſeu cuius partes nullum inter ſe dicunt ordinē, quale non eſt genus; cùm natura conſideretur vt ſubſtās genereitati, qua ratione vnum quodammodo cū illa conſtituit.

Dico 2. *naturam ſubſtantem genereitati eſſe definitum materiale, & vt quod, genereitatem verò definitum formale, & vt quo.* Primum patet, nam natura ipſa eſt id quod poteſt prædicari de multis ſpecie differentibus, animal *v. c.* de homine & bruto; ergo natura eſt definitum materiale, ſeu id quod definitur.

Secundum oſtenditur, quia natura non eſt prædicabilis ſecundum ſe de multis ſpecie differentibus, ſed tantum quatenus genereitati ſubſtat: quare genereitas eſt definitum formale, ſeu vt quo. Quemadmodum quando album definitur, *diſgregatiuum viſus*, materiale ſignificatum huius definitionis eſt id quod diſgregat viſum, nempe paries, nix, cygnus, &c. formale verò eſt albedo ipſa, quia eſt ratio formalis ob quam diſgregare viſum prædictis ſubiectis competit; non enim viſum diſgregant ſecundum ſe, ſed quatenus alba ſunt.

Obijcies 1. ſi natura eſſet definitum quod, definitio ei accidentaliter competeret, quod

absurdum est. Respondeo id non sequi, quia etsi posse de multis prædicari naturæ per se spectatæ accidentaliter competat, non tamen si consideretur vt substans vniuersalitati, & vnum cum illa constituens; sic enim animal essentialiter potest esse in multis specie differentibus, eique proprium est posse de illis prædicari in quid.

Obijcies 2. cùm definitio generis aliorũque prædicabilium sit logica, in illis secunda intentio, non natura definiri debet. Respondeo non sequi, quia etsi definitio naturæ secundũ se non sit logica, est tamen logica definitio illius, vt substat vniuersalitati; quomodo hic definitur.

ARTICVLVS II.

De genere prædictæ definitionis.

CVm genus, vt dictum est, definiatur id quod prædicatur de multis specie differentibus, neque ijs verbis clarè exprimatur genus, ex quo definitio constare debet; dubium est quidnam subintelligatur quod se habeat per modum generis, an vniuersale, an prædicabile, an vero subiectum ipsum genereitati substratum.

Respondeo & Dico 1. *Vniuersale non habere locum generis in illa definitione.* Probatur 1 quia si vniuersale est genus in illa definitione, ideo est quia quinque prædicabilia sunt veræ species vniuersalis, & vniuersale est genus respectu illorum; hoc autem non satis certum videtur cum probabilius sit non dari nisi duo vniuersalia strictè sumpta, etsi ex vsu communi quinque admittamus, vt alibi dictum est.

Probatur 2. quia Porphyrius exponens illam

definitionem ait, per illam particulam, *prædicari de pluribus*, excludi indiuiduum. Hoc autem falsum esset si vniuersale haberet locum generis, quia iam per illud exclusum esset indiuiduum; cùm non sit vniuersale. Quare si illa definitio expendatur iuxta mentem Porphyrij, dici non potest vniuersale in ea habere locum generis.

Dico 2. *in illa definitione subiectum non esse loco generis*. Probatur, quia si Porphyrius definiisset genus per subiectum, iam per id quod haberet locum generis in illa definitione, exclusum esset Indiuiduum saltem substantiale, cùm hoc nequeat esse in subiecto, adeoque immeritò dixisset indiuiduum excludi per particulas quæ in definitione locum tenent differentiæ; cùm per differentiam propriè non excludantur nisi quæ conueniunt in genere, & per illud iam exclusa non sunt.

Obiicies, illud est discrimen inter accidentia abstracta, & concreta, quòd abstracta definiuntur per verum genus, & per subiectũ loco differentiæ, vt cùm simitas definitur, *curuitas nasi*; concreta verò per subiectum loco generis, vt cùm simum definitur, *nasus curuus*; adeoque genus, cùm sit concretum accidentale, per subiectum loco generis est definiendum. Respõdeo, non tam hic inquiri quomodo genus definiri debeat, quàm qua ratione à Porphyrio definitũ fuerit. At nõ constat ab illo definitum esse per subiectum loco generis, quin potius oppositum ex allata ratione non obscurè colligitur.

Respondeo 2. etsi verum sit cõcreta accidentium sæpe per subiectum definiri, non minùs verum esse ea per genus posse definiri; vt patet: nam album definiri potest, vel *id quod est disgregatiuum visus*, quomodo definitur per subie-

ctum, vel, *coloratum disgregatiuum visus*, qua ratione definitur per concretum superius loco generis. Quare etsi genus sit concretum accidentale, inde non sequitur illud per subiectum debuisse definiri.

Dico 3. *prædicabile esse genus in allata definitione*, Sequitur ex dictis, cùm nihil aliud assignari possit exclusis vniuersali & subiecto. Confirmatur, tum quia cùm Porphyrius agat de quinque prædicabilibus, eorumque definitiones, adeoque id in quo inter se conueniunt, aut discrepant, tradat, verisimile est eum rationem communem prædicabilis, in qua omnia conueniũt, pro genere in eorum definitione vsurpasse, vt ipsa etiam verba quibus constant, satis indicare videntur.

Tum quia Porphyrius voluit assignare genus aliquod, in cuius ratione indiuiduum conueniret cum genere definito, vt ex antedictis colligitur. At nullum potest congruentius genus assignari, in cuius ratione indiuiduum cum genere definito conueniat, quodque per differẽtias generis & indiuidui proprias [illegible]atur, quàm prædicabile; vtrumque enim est prædicabile, sed genus de pluribus, & indiuiduum de vno: quare fatendum est prædicabile habere locum generis in prædicta definitione.

Obiicies, si definitio generis constat ex genere & differentia, iam datur genus generis, quod repugnat, quia quod subijcitur generi non est genus, sed species. Respondeo nõ repugnare quod idem sit genus & species diuerso respectu. Nam si primum vniuersale spectetur quatenus prædicatur tali modo de multis speciebus, sic dicitur genus; si autem quatenus conuenit cum aliis quatuor prædicabilibus in ratione prædicabilis, vt vult communis senten-

tia, & ab ijs differt in ratione talis prædicabilis, sub eo respectu, genus est species prædicabilis ab aliis quatuor speciebus distincta, & prædicabile est genus respectu earum quinque specierum.

ARTICVLVS III.

An genus necessariò requirat plures species.

HOc duobus modis intelligi potest 1. an genus necessario requirat plures species actu existentes. 2. an saltem exigat plures species possibiles, siue sint possibiles physicè, id est per potentiam naturalem in rebus existentem; siue logicè, id est per non repugnantiam, seu per potentiam supernaturalem.

Respondeo & Dico 1. *genus non requirere necessariò plures species actu existentes*. Probatur, quia creata vna specie animalis potest ab illa, & ab aliis possibilibus abstrahi conceptus quidam genericus contrahibilis ad illas species, & de illis prædicabilis; hoc autem ad verum genus sufficit, quia genus non definitur quod actu est in multis speciebus, sed quod potest esse in illis; sicut vniuersale in cõmuni definitur, quod aptum natum est inesse multis. Imo hinc sequitur ad rationem generis non requiri actualem existentiam vllius speciei; quo fit vt flos in hieme sit verum genus, etsi supponatur nullam tunc speciem floris in toto orbe existere.

Obiicies 1. ex Arist. & Porphyrio, in genere debere esse plures species. Respondeo hoc verum esse de pluribus speciebus vel actu existentibus, vel possibilibus.

Obijcies 2. genus diuiditur per differentias specierũ cõstitutiuas, & distinctiuas, vt animal

per rationale & irrationale, quibus homo & brutum constituuntur, & inter se distinguuntur. At differentiæ non distinguunt nisi species actu existentes, ac proinde genus necessariò exigit plures species actu existentes. Respōdeo minorem falsam esse, siquidem distinctio quæ inducitur inter species per differentias opposi-tas, cùm sit essentialis, abstrahit ab actuali existentia; vt satis patet exemplo florum, qui non minùs inter se specie distinguuntur, quando non sunt, quàm dum actu existunt.

Dico 2. *iuxta mentem Porphyrij, & Aristotelis, communiter probatam, ad verum genus requiri plures species saltem vt possibiles.* Probatur manifestè tum ex definitione generis quod dicitur prædicabile de multis specie differentibus in quid. Tum quia genus dici solet totum potentiale essentialiter diuisibile per differentias oppositas, at hæ necessario supponunt multas species possibiles quæ ijs constituantur.

Obijcies 1. si nullum animal esset possibile præter hominem, illa prædicatio, homo est animal, esset essentialis; nec tamen esset specifica, aut differentialis, cùm animal non sit species, aut differentia; ergo esset generica, adeoque animal etiam tunc verum esset genus. Respondeo prædicationem illam in eo casu fore specificam; quia enim nullum tunc esset animal præter rationale, eo ipso quòd enunciarem hominem esse animal, implicitè saltem dicerem eum esse rationalem, sicque prædicatio illa esset specifica.

Obijcies 2. nonne tota & essentialis ratio animalis reperitur in homine, imò & in quolibet hominis indiuiduo? ergo falsò dicitur genus necessariò exigere plures species saltem possibiles. Respondeo non sequi, nam aliud

est loqui de animali secundum se, vt est corpus animatum sentiens, qua ratione animal non est genus nisi materialiter; aliud vt est formaliter genus, seu vt est prædicabile de multis specie differentibus in quid. Vnde etsi sub priori ratione possit animalis essentia conseruari in vna specie, & in vno indiuiduo; non tamen sub posteriori, de qua tantùm hic agimus.

Dico 3. *sufficere ad genus, quod species possint existere siue per potentiam Physicam, siue per potentiam Logicam.* Probatur 1. ex definitione generis; nam genus definitur præcisè quod potest prædicari de multis specie differentibus in quid, nihil determinando de modo quo species illæ sunt possibiles. Quare dummodo naturæ specie differentes existere possint, id sufficiet ad saluandam definitionem generis.

Probatur 2. nam cùm ex communiori sententia, vniuersale fiat per mentis operationem, naturam communem abstrahentis ab inferioribus, tam facilè potest intellectus abstrahere genus à speciebus logicè tantùm possibilibus, quàm ab ijs quæ per vim naturalem existere possunt; & genus sic abstractum æquè prædicabitur in quid de speciebus non repugnantibus, ac de existentibus aut physicè possibilibus; vt animal de infinitis speciebus brutorum creabilibus, ac de ijs quæ hactenus productæ fuerunt, aut aliquando extituræ sunt.

Obijcies, vniuersale non esse meram fictionem mentis, sed habere fundamentum in rei natura; adeoque genus non respicere nisi species naturaliter possibiles. Respondeo non sequi, quia vt vniuersale nō sit mera fictio mētis,

ſufficit quod abſtrahatur à naturis verè & realiter multiplicabilibus, ſiue ſint multiplicabiles per potentiam naturalem, ſiue per ſupernaturalem. Sic enim omnes communiter intelligunt ſolem eſſe verum vniuerſale, etſi præter vnicum ſolem qui realiter exiſtit, alij non ſint poſſibiles niſi per potentiam Logicam; de quo infrà agetur.

ARTICVLVS IV.

Quomodo genus ſe habeat ad ſpecies, & ad indiuidua de quibus prædicatur.

PRæmoneo 1. genus prædicari de pluribus ſpeciebus, & de earum indiuiduis, v.c. animal de homine & equo, itemque de Petro & Bucephalo; quo fit vt genus tam ſpecies quàm earum indiuidua intrinſecè reſpiciat. Eſt autem difficultas quomodo genus ad illa omnia referatur, ſeu quodnam ſit tam proximum & immediatum, quàm adæquatum correlatiuum generis; an ſpecies, an indiuidua, an autem aliquid ipſis commune, nempè ſubiicibile in quid incomplete, vt nonnulli arbitrantur.

Præmoneo 2. Illud dici proximum & immediatum correlatiuum alicuius, quod ſine interuentu alterius terminat illius relationem; remotum verò & mediatum quod alio mediante eam terminat. Rurſus illud dicitur correlatiuum adæquatum, quod ita relationem terminat vt eam adæquet, ſeu vt nihil aliud præter ipſum eam terminet; inadæquatum autem quod non ſolum, ſed ſimul cum

alio relationem terminat. Atque hoc totum explicatur exemplo potentiæ quæ fertur in actum & obiectum; actus enim est proximum & immediatum illius correlatiuum, obiectum verò remotum & mediatum: at actus solus, & obiectum solum sunt correlatiua inadæquata, ambo autem simul constituunt correlatiuum totale & adæquatum. His positis,

Respondeo & dico 1. *Speciem esse proximum & immediatum generis correlatiuum.* Probatur 1. nam ex Arist. 6. Topic. cap. 2. relatiuum debet definiri per suum primum & immediatum correlatiuum; At Porphyrius cap. 2. Introduc. definiuit genus per speciem, & speciem per genus. Imò declarauit se necessitate compulsum ita definijsse, quia genus est speciei genus, & species est generis species; seu quia ad se mutuo respectu proximè referuntur. Quare negari non potest quin, saltem ex mente Porphyrij, species sit proximum & immediatum generis correlatiuum.

Probatur 2. nam illud est proximum & immediatum generis correlatiuum, cui genus proximè & immediatè communicatur; at genus proximè & immediatè communicatur speciebus; animal v. c. homini & bruto; ergo species sunt proximum & immediatum correlatiuum generis. Major negari non potest, minor verò perspicua est ex arbore Porphyrij ab omnibus admissa, in qua genus immediatè diuiditur per differentias specierum constitutiuas, & per species descendit ad indiuidua; quo ipso ostenditur species esse correlatiuum generis proximum & immediatum.

Obijcies, cùm species & indiuidua subij-

ciantur generi, non incongruè dici posse subijcibile commune speciebus, & indiuiduis, esse immediatum generis correlatiuum. Verùm hoc gratis affirmatur, quia sicut repugnat animal rationale abstrahi ab irrationali & rationali; ita & subijcibile immediatum à subijcibili mediato, qualia sunt indiuidua, & immediato, cuiusmodi sunt species.

Dico 2. *Totale & adæquatum generis correlatiuum non esse species solas, sed species simul cum indiuiduis.* Probatur 1. nam genus non tantùm prædicatur de speciebus in quid incompletè, sed etiam de omnibus earum indiuiduis; ergo non tantùm refertur ad species, sed etiam ad earum indiuidua; adeoque totale & adæquatum generis correlatiuum ex speciebus & indiuiduis constituitur.

Confirmatur, nam genus definitur, *quod prædicatur de multis specie differentibus in quid*; at quamuis diuersæ species eiusdem generis primò inter se specie differant, earum tamen indiuidua secundariò differunt specie, quatenus diuersas rationes specificas participant, quare etsi genus immediatè & proximè species respiciat, negari non potest quin mediatè & remotè feratur ad earum indiuidua, ac proinde quin hæc spectent ad totale & adæquatum correlatiuum generis.

Probatur 2. Nam cùm animal v. c. referatur non modò ad hominem & equum, sed etiam ad Petrum & Bucephalum, vel illa relatio respectu Petri & Bucephali est generica, vel non; si non est generica, qualis-nam est? Certè non est specifica, cùm species dicat totam essentiam indiuiduorum de quibus prædicatur, animal autem non dicat totam es-

ſentiam Petri, & Bucephali vt perſpicuum eſt: At nec dici poteſt illam prædicationem ſpectare ad aliquod ex tribus vltimis prædicabilibus, cùm animal nec ſit differentia, nec proprium, nec accidens commune reſpectu Petri & Bucephali: ergo fatendum eſt eſſe prædicationem genericam, cum non plura ſint quàm quinque vulgaria prædicabilia, & ridiculum ſit fingere cum Louanienſibus, ſextum aliquod vniuerſale innominatum, ad quod prædicatio generis de indiuiduis reducatur.

Obijcies, ſi genus refertur ad ſpecies & indiuidua, vel refertur ad illa eadem relatione, vel diuerſa: non eadem, quia termini ſunt diſtincti, non etiam diuerſa, quia ſic genus eſſentialiter includeret diuerſos reſpectus, adeoque eſſet quid æquiuocum. Ergo genus non refertur ſimul ad ſpecies & indiuidua, ſed ad ſpecies duntaxat. Reſpondeo genus referri ad ſpecies, & ad indiuidua eadem relatione, non obſtante diuerſitate terminorum, quia vnus reſpicitur immediatè, & alter mediatè: ſicut potentia fertur eadem relatione in actum ſuum immediatè, & eo mediante in obiectum.



CAPVT IV.

DE SPECIE ET INDIuiduo.

ARTICVLVS PRIMVS.

An species rectè definiatur, id quod subjicitur generi, *&*, de quo genus prædicatur in quid.

RESpondeo definitiones istas admittendas esse, tum quia communiter approbantur à Logicis, tum quia quæ contra illas obijciuntur facilè solui possunt, vt ex jam dicendis constabit: Si priùs obseruatum fuerit, speciem hic non considerari vt est prædicabilis, sed quatenus est subijcibilis, quod non habet nisi per ordinem ad genus, per quem proinde definiri debuit.

Obijcitur 1. genus à Porphyrio fuisse definitum per speciem, adeoque si jam species definitur per genus, committi vitiosum circulum; quia sequeretur idem esse magis & minus notum respectu eiusdem, quod repugnat. Respondent aliqui genus non fuisse definitum per speciem, sed per ordinem ad ea quæ specie differunt, qualia sunt non tantùm species, sed etiam specierum indiuidua; ac proinde cùm jam species definitur per genus, non committi circulum.

Verum quia negari non potest genus fuisse

præsertim definitum per speciem, tanquam per terminum proximum & immediatum, vt suprà ostendimus, quin & ipse Porphyrius affirmat se genus per speciem, & speciem per genus definijsse; ideo aliter Respondemus; in hoc definiendi modo nihil esse reprehendendum, quia vt idem autor monet, hoc est proprium relatiuorum vt vnum definiatur per ordinem ad aliud; at genus & species sunt relatiua, quoniam genus est speciei genus, & species est generis species. Quare genus debuit definiri per ordinem ad species, & species per ordinem ad genus.

Confirmatur, nam vniuersale dicit intrinsecè ordinem ad multa, & per talem ordinem essentialiter definitur, vt patet ex dictis cap. 1. quare cùm primum vniuersale dicatur genus per ordinem ad multas species, per respectum ad illas definiri debet. Contra verò subijcibile non potest intelligi nisi per ordinem ad id cui subijcitur, quo fit vt cùm species subijciatur generi, non nisi per ordinem ad illud, vt subijcibilis, definiri possit. Dico vt subijcibilis, nam si species consideretur vt prædicabilis, sic per ordinem ad inferiora definiri debet.

Obijcitur 2. si species rectè definiretur per genus, ea posset etiam legitimè definiri per definitionem generis, adeoque per seipsam, hoc modo, *species est id quod subijcitur prædicabili de multis specie differentibus in quid*, quæ tamen definitio absurda est & nugatoria. Sequela patet quia ex Arist. 2. Topic. cap. 5. quando aliquid ponitur in definitione, potest loco illius eius definitio in ea vsurpari, vt si in definitione hominis loco animalis vsurpetur corpus animatum sentiens. Respondeo ne-

gandam esse sequelam majoris, & ad illius probationem dicendum, Aristotelem intelligendum esse de eo quod ponitur in definitione, tanquam pars intrinseca rei definitæ, cujusmodi est animal in definitione hominis; non autem de eo quod ponitur tantùm vt terminus extrinsecus rei definitæ, quomodo genus ponitur in definitione speciei, & generatim vnum relatiuum in definitione illius.

Obijcitur 3. definitiones illas competere indiuiduo, adeoque non esse legitimas. Siquidem indiuiduum subijcitur generi, & genus de illo prædicatur. Respondeo antecedens falsum esse, quia definitiones prædictæ intelliguntur de subijcibilitate & prædicabilitate præstantiori, quæ est immediata & proxima, qualis non competit indiuiduo, sed tantùm speciei; eò quod indiuiduum non subijcitur generi, & genus non prædicatur de indiuiduo, nisi mediante specie.

Quòd si instes, animal prædicari immediatè de indiuiduis, & indiuidua immediatè subijci animali, vt patet in istis propositionibus ab omnibus admissis, Petrus est animal, Bucephalus est animal, ac proinde solutionem allatam non satisfacere. Respondeo prædicationem animalis de Petro & Bucephalo, etsi sit immediata quoad voces, in re tamen esse mediatam; quia cùm animal non descendat ad indiuidua illa nisi mediante specie, adeoque nec Petrus sit animal, nisi quia est homo, nec Bucephalus, nisi quia est equus; hinc euidenter sequitur Petrum & Bucephalum non subijci generi, & genus de illis non prædicari nisi mediatè.

Vrgebis adhuc, esto Petrus & Bucephalus qui sunt indiuidua completa & specifica, me-

diatè tantùm ſubijciantur generi; negari tamen non poteſt quin indiuidua quæ vocantur generica, vt hoc animal, & hæc qualitas ei immediatè ſubijciantur; vt cùm dicimus, hoc animal eſt animal, hæc qualitas eſt qualitas; tunc enim inter indiuiduum & genus nihil mediat, ſicque allatæ definitiones ſpeciei ſaltem indiuiduis genericis competunt. Reſpondeo 1. nullum dari à parte rei indiuiduum genericum, ſeu quod non conſtituatur in aliqua ſpecie, cùm repugnet genus immediatè contrahi per differentiam indiuidualem. Quare cùm dico, hoc animal eſt animal, demonſtro aliquod animal quod à parte rei eſt in aliqua ſpecie animalis, etſi verbis expreſsè id non declaretur; eique ratio animalis, quia eſt in tali ſpecie, adeoque mediatè competit.

Reſpondeo 2. etſi admitteretur indiuiduum genericum, illudque immediatè generi ſubjiceretur, non tamen eo modo quo ſpecies generi ſubijcitur; quia ſpecies ſubijcitur generi formaliter vt genus eſt, ſeu vt includit tantùm partem illius eſſentialem materiæ reſpondentem; at indiuiduum genericum ſi daretur, non ſubijceretur generi formaliter ſub ratione generis, ſed ſub ratione ſpeciei; quia genus quod reſpiceret, totam illius eſſentiam ad modum ſpeciei includeret; animal v. c. totam eſſentiam huius animalis, & qualitas totam eſſentiam huius qualitatis.

ART.

ARTICVLVS II.

An species infima rectè definiatur, quæ de multis numero differentibus prædicatur in quid.

HAnc etiam definitionem speciei infimæ omnes Philosophi communiter probant, tum propter autoritatem Porphyrij qui illam tradit, tum quia rectè per illam explicatur ratio speciei infimæ, vt constituit secundum vniuersale ab alijs distinctum. Tria tamen contra illam obijci possunt, 1. solem, lunam, & mundum veras esse species, cùm tamen non prædicentur, nisi de vnico indiuiduo. Respondet quidam Neotericus solem, lunam, & mundum esse res singulares, non vniuersales. Quod si arguas hoc quidem verùm esse de hoc sole, hac luna, hoc mundo, posse tamen ab hoc sole aliisque possibilibus abstrahi naturam specificam, quæ de illis ex æquo prædicetur, Respondet non posse esse plures soles, aut mundos, adeoque solem aut mundum non esse species.

Verùm hæc responsio parum tuta videtur; fides enim docet Deum posse efficere quidquid non implicat contradictionem; at non implicat contradictionem quod detur alius sol, alia luna, alius mundus. Vnde enim talis contradictio oritur? Nam sicut creato vno homine, vno leone, vno equo, alius creari potuit in eadem specie; ita non repugnat ex se creari alium solem, aliam lunam, alium mundum; adeoque si ista nihilominus mul-

tiplicari nequeunt, ideo est quia potentia Dei in creatione mundi fuit exhausta, nec ad tales effectus se extendere potest; quod non modò lumini naturali, sed etiam fidei Catholicæ repugnat.

Dicendum ergo ad objectionem allatam, solem, lunam & mundum posse abstrahi ab hoc sole, hac luna, hoc mundo aliisque possibilibus, sicque posse dici species. Et quamuis species illæ de facto non prædicentur nisi de vnico sole, vnica luna, vnico mundo, posse tamen de multis numero differentibus prædicari; quod sufficit ad rationem speciei. Fatendum tamen mundum non esse propriè speciem, cum sumatur pro hac vniuersitate ex cœlo, elementis, alijsque rebus non modo specie, sed etiam genere differentibus, coagmentata.

Obijcitur 2. ex mente S. Thomæ tot esse species Angelorum, quot sunt Angeli, ita vt nulla eorum species possit plura habere sub se indiuidua, numero tantùm distincta, hinc enim apertè sequitur non esse de ratione speciei, vt possit prædicari de multis numero differentibus. Verùm in primis hæc objectio facilè refellitur primo ex dictis lib. 3. Ideæ Theologiæ speculat. Vbi ostendimus ex communi Scholasticorum sententia, non repugnare multiplicationem numericam in eadem specie Angelica, imò de facto dari plures Angelos solo numero distinctos

Secundò, dato quòd species Angelorum essent immultiplicabiles in plura indiuidua solo numero distincta, eæ non haberent veram rationem vniuersalis, & prædicabilis; cum omnium consensu vniuersale sit vnum aptum inesse multis, & prædicari de il-

lis. Quare ſicut genus non poteſt conſeruari in vnica ſpecie, niſi aliæ ſint poſſibiles ſaltem Logicè, vt oſtendimus capite præcedenti; ita nec ſpecies in vno indiuiduo, niſi alia ſint poſſibilia, aut naturaliter, aut ſaltem per virtutem diuinam.

Reſpondent aliqui Thomiſtæ naturam v. c. Michaëlis, prout præciſam à ſua differentia indiuiduali, eſſe indifferentem ad multa indiuidua, & poſſe determinari ad illa (ſi eſſent poſſibilia) per differentiam indiuidualem vniuſcuiuſque, ſicque eſſe vniuerſalem & prædicabilem.

Verùm hæc reſponſio refellitur 1. quia Thomiſtæ communiter docent, rationem indiuidualem non diſtingui à ſpecifica in Angelis, quia carent materia, & conſequenter tot eſſe Angelorum ſpecies, quot ſunt indiuidua Angelica. Iſti vero ſupponunt naturam ſpecificam Angeli diſtingui à differentia illius indiuiduali, quod non ſatis cohæret cum doctrina illa apud ipſos recepta.

Refellitur 2. quia valdè abſurdum eſt ponere aliquam ſpeciem vniuerſalem, cuius indiuidua ſint impoſſibilia, cùm potiùs eo ipſo cenſeri debeat ſpecies illa impoſſibilis, ſub ratione vniuerſalis, quod impoſſibile eſt indiuidua ſub illa multiplicari; vt manifeſtum eſt tum ex definitione ſpeciei communiter ab omnibus probata, tum ex definitionibus vniuerſalis ſuperiùs, ex conſenſu omnium, etiam Aduerſariorum traditis.

Confirmatur, quia eadem libertate dici poſſet, Deum eſſe veram ſpeciem vniuerſalem, etſi non ſit, nec eſſe poſſit niſi vnicus numero Deus. Siquidem diuinitas ex ſe

poſſet reperiri in multis indiuiduis naturæ diuinæ, ſi illa eſſent poſſibilia.

Obijcitur 3. definitionem prædictam competere generi, cùm de multis numero differentibus prædicetur, vt animal de Petro; & Paulo. Reſpondeo longè aliter genus prædicari de indiuiduis, quàm ſpeciem: genus enim prædicatur de illis tantùm mediatè, & incompletè, ſpecies verò immediatè, & completè: ac prætereà genus de multis ſpecie & numero differentibus prædicatur, cùm ſpecies infima tantùm de multis numero.

Inſtabis, duas animas rationales poſſe diuinitus informare materias ſpecie diſtinctas, cum quibus proinde componerent duos homines ſpecie diſtinctos, de quibus tamen homo eſſentialiter prædicaretur, ſicque ſpeciem poſſe prædicari de multis ſpecie differentibus. Reſpondeo 1. caſum illum eſſe fictitium, agendo de anima rationali qualis de facto exiſtit; cùm enim omnes animæ rationales ſint omninò ſimiles quoad eſſentiam, ita ex natura ſua determinantur ad materiam eiuſdem rationis, vt ne quidem diuinitus materias ſpecie diſtinctas informare poſſint.

Reſpondeo 2. admiſſa ea hypotheſi, homo non eſſet ſpecies infima, ſed genus eo ipſo quod de multis ſpecie diſtinctis prædicaretur, eſto diſtinctio ſpecifica non orietur eo caſu à formis, vt fit jam in ſpeciebus diſtinctis, ſed à diuerſitate materiæ, vt ſupponitur. Et idem dicendum eſt ſi ſupponamus, poſſe dari homines ſpecie diſtinctos ratione formæ, vt fert probabilior ſententia; hoc enim ſuppoſito fateri de-

bemus non modo hominem forè genus, si crearetur noua hominum species, sed etiam de facto esse; cum ad denominationem generis sufficiat quod species sub illo diuinitus multiplicari possint, vt supra dictum est. Quare quoties loquimur de homine vt de specie infima, id accipiendum est iuxta vulgarem hominum sensum, qui sine examine supponunt tanquam certum, non posse creari homines alterius speciei; cuius oppositum tanquam probabilius amplectemur, vbi de anima rationali.

Si instes, hinc colligi nullam dari speciem infimam, adeoque speciem è numero vniuersalium eradendam esse, cùm quod dicitur de homine, à pari de alijs omnibus speciebus infimis dici possit. Respondeo 1. id non benè ex dictis colligi, quia licèt detur gradum hominis ex se esse genericum, & posse diuidi in plures species, inde non sequitur eandem illimitationem rebus omnibus competere; cùm saltem fatendum sit aliqua accidentia ita esse contracta & determinata ad vnicam speciem, vt in plures species diuidi non possint, vt manifestum est in figuris & numeris. Constat enim omnes circulos esse eiusdem speciei, omnesque ternarios, & sic de alijs; quod absolutè sufficit vt dicamus dari aliquas species infimas; etsi, vt verum fatear, satis operosum sit speciem infimam inter substantias reperire, spectata Dei omnipotentia, cui nihil denegare possumus nisi quod apertam inuoluit repugnantiam.

Respondeo 2. etsi nulla daretur species infima per ordinem ad omnipotentiam Dei, inde non sequi secundum vniuersale abo-

lendum esse, quia cùm dentur multæ species quæ de facto non habent, nec vnquam habituræ sunt sub se nisi indiuidua solo numero distincta, id sufficit vt secundum vniuersale ex eiusmodi speciebus constituatur. Præsertim cùm non pauci contendant repugnare etiam de potentia absoluta, quod de indiuiduis specie distinctis prædicentur. Alij verò qui id nobiscum possibile existimant, putent naturas illas quæ sub se non continent nisi indiuidua eiusdem rationis, dicendas esse species actu, & genera tantùm in potentia; quatenus de potentia extraordinaria plures species habere possunt.

ARTICVLVS III.

An rectè assignatæ sint speciei habitudines seu respectus.

EX dictis constat duplicem esse speciem, aliam subalternam, aliam infimam; cuius diuisionis ratio inde sumitur, quia cùm species componatur intrinsecè ex genere & differentia, contingit interdum eam ita perfici per differentiam, vt per gradum aliquem vlteriorem sit adhuc essentialiter perfectibilis; quomodo constituitur species subalterna potens sub se habere plures species. Interdum verò per differentiam ita actuatur vt suum habeat vltimum complementum essentiale, & jam immediatè sit capax differentiæ indiuidualis; qua ratione dicitur species infima, quæ scilicet non po-

test in alias species diuidi, sed tantùm in indiuidua: Quo posito,

RESPONDEO & dico 1. *Speciem subalternam duplicem habere habitudinem, alteram ad genus, alteram ad inferiora: & priori respectu dici speciem, posteriori verò genus, quia sic multa respicit specie distincta.* Ex quo patet duas illas habitudines esse formaliter inter se distinctas, cum earum termini adæquati sint formaliter distincti, & fieri nequeat vt denominationes generis & speciei ex eodem respectu eidem tribuantur. Est autem maior dubitatio quo sensu Porphyrius dixerit, speciem infimam non habere nisi vnam habitudinem, cùm constet eam habere suprà se genera, & sub se indiuidua ad quæ refertur. Quod vt intelligas,

Dico 2. *Speciem infimam seu specialissimam habere duas habitudines distinctas, alteram ad genus cui subijcitur, alteram ad indiuidua de quibus prædicatur.* Probatur quia tunc admittendæ sunt relationes distinctæ, quando termini sunt formaliter distincti, vt patet ex jam dictis: at species infima quatenus ex vna parte refertur ad genus, & ex alia ad indiuidua, habet terminos formaliter distinctos; ergo vt sic, duplicem habet relationem, alteram ad genus, alteram ad indiuidua.

Confirmatur, nam ideo species subalterna habet duas habitudines distinctas, quia quatenus respicit superiora & inferiora, habet terminos formaliter distinctos, nempè ex vna parte genus, & ex alia speciem: ergo similiter in specie infima admittendæ sunt duæ relationes, cùm supra se respiciat genus, & sub se indiuidua. Eo vel

maximè quia respectu generis se habet vt inferius, & subiectum de quo genus prædicatur; at respectu indiuiduorum se habet vt superius, & attributum quod de illis prædicatur.

Dico 3. *Etsi relationes prædictæ sint duæ, ambas tamen eandem denominationem speciei infimæ tribuere.* Probatur, quia siue species infima referatur ad genus, siue ad indiuidua, semper denominatur species, & in hoc differt à specie subalterna, quod hæc relata ad superiora dicitur quidem species, relata vero ad inferiora dicitur genus. Exempli gratia, animal vt relatum ad viuens, vel ad corpus dicitur species; vt relatum verò ad hominem, vel ad equum dicitur genus: at homo relatus ad animal dicitur species, & relatus ad Petrum, & Paulum dicitur etiam species.

Atque hoc sensu Porphyrius supra relatus dixit, speciem specialissimam vnam dicere habitudinem, *Quia*, inquit, *etsi superiora & inferiora respiciat, ea respicit tanquam species, inferiora quidem vt ea continens, superiora verò vt ab ijs contenta.* In quibus verbis duo obseruanda sunt 1. vnam poni habitudinem nomine, quatenus vnam tribuit denominationem. 2. non tamen esse propriè vnam habitudinem, sed duas essentialiter disiunctas, alteram contenti ad continens, nimirum speciei ad genus; species enim continetur sub genere tanquam inferius sub superiori, & pars subiectiua sub toto potestatiuo: alteram continentis ad contentum, nimirum speciei ad indiuidua; species enim est superius, & totum respectu indiuiduorum.

Nota 1. ſpeciem vt ſubijcibilem non conſtituere ſecundum prædicabile, ſed vt dicit ordinem ad inferiora; cùm hoc tantum poſteriori modo ſit quid ſuperius, & de multis prædicari poſſit.

Nota 2. ſpeciem vt præcisè de multis prædicabilem, non conſtituere ſecundum prædicabile, cùm ſpecies ſubalterna de multis ſpecie differentibus poſſit prædicari, nec tamen vt ſic ſpectet ad ſecundum prædicabile, ſed ad primum. Vnde ſequitur ſpeciem quæ conſtituit ſecundum vniuerſale, eſſe illam quæ prædicatur tantùm de multis numero differentibus; quod ſoli ſpeciei infimæ competit.

ARTICVLVS IV.

An poſsit abſtrahi communis & vniuoca ratio indiuidui ab omnibus indiuiduis.

NOn quærimus an poſſit abſtrahi communis & vniuoca ratio ſpeciei ab omnibus indiuiduis quoad naturam ſpectatis, v. c. communis ratio hominis à Petro & Paulo, quatenus ſunt homines. Iam enim ſupra non ſemel ſuppoſuimus, ex communi ſententia, id fieri poſſe, ſed dubium eſt an ex indiuiduis formaliter vt ſunt indiuidua, abſtrahi poſſit communis ratio indiuidui; adeo vt indiuiduum vt ſic, ſit terminus vniuerſalis & vniuocus reſpectu huius & illius indiuidui, quatenus ſunt indiuidua.

Reſpondeo & Dico 1. *non facilè à nobis in-*

tellrgi quomodo abstractio illa admitti possit, iuxta sententiam communiorem inferiùs tractandam, de præcisione graduum obiectiua. Probatur, quia si ratio illa communis indiuidui abstrahi potest, ea eodem modo proportione seruata abstrahi debet, ac ratio hominis abstrahitur à Petro & Paulo, & ratio animalis ab homine & bruto; at impossibile est iuxta illam sententiam, quòd ratio communis indiuidui eo modo abstrahatur, siquidem per præcisionem obiectiuam ita abstraho rationem communem hominis à Petro & Paulo, vt remaneant in ijs differentiæ indiuiduales quibus distinguuntur; & ab homine & equo sic abstraho rationem communem animalis, vt in ijs remaneant differentiæ specificæ per quas distinguuntur, quatenus illæ ab intellectu abstrahente non attinguntur, ac si verè à gradu communi distinguerentur: at si abstraho à Petro & Paulo, ipsam rationem indiuidualem, iam in ijs nihil remanet quod talis abstractionis fundamentum esse possit; siquidem indifferentia indiuidualis est, *id quo vnum indiuiduum vltimò differt à quocunque alio*, adeoque non potest in illa poni aliqua formalitas communis omnibus indiuiduis, & ratione distincta à formalitatibus proprijs quibus inter se differunt; cùm sine illa indiuiduum sufficienter constitutum intelligatur.

Confirmatur, nam etsi homo & equus conueniant in ratione animalis, per differentias tamen specificas vltimò differunt, ita vt nulla in ijs possit assignari formalitas homini & equo communis. Aliàs si conceptus differentiæ posset cum fundamento secari in duos conceptus, quorum vnus esset com-

munis, & alter proprius; dicendum esset similiter conceptum hunc proprium posse rursus diuidi in duas formalitates, quarum alia esset communis, & alia differentialis, sicque in infinitum abiretur. Quare cùm iste progressus sit impossibilis, fatendum est in differentia specifica esse vnam tantùm formalitatem, per quam secundum se totam vna species distinguitur ab alia. Quod autem dicimus de differentia specifica, ad indiuidualem proportione seruata applicandum est, ita scilicet vt Petrus per totam Petreitatem distinguatur à Paulo, neque in ea concipiatur cum fundamento, aliqua formalitas in qua cum Paulo conueniat.

Vbi aduerte me loqui, iuxta sententiam communiorem quæ præcisiones obiectiuas admittit; nam si quæstio determinanda sit iuxta illos qui non nisi præcisiones formales amplectuntur, dicendum videtur non repugnare quod detur ratio communis indiuidui ab hoc & illo indiuiduo abstracta. Hoc enim fiet per actum intellectus quo omnia indiuidua confusè cognoscantur per modum vnius; sicut homo dicitur in ea sententia fieri vniuersalis, per actum intellectus confundentem omnes homines, ac si esset vnus homo duntaxat. Verùm contra responsionem in priori sensu negantem,

Obijcies 1. definitio allata communis est omnibus indiuiduis substantiæ; ergo per illam aliquid commune definitur, non sola vox, ergo aliquid reale per vocem significatum. Respondeo per illam definitionem non definiri solam vocem, nec aliquid om-


nibus indiuiduis realiter commune, sed singula indiuidua per se. Vnde cum homo in communi per se definiatur, non per Petrum, vel Paulum; indiuiduum è contra non per se definitur, sed per Petrum & Paulum.

Obijcies 2. legitimum esse hunc syllogismum, omne indiuiduum est incommunicabile, Petrus est indiuiduum, ergo est incommunicabilis: at hoc dici non posset si nihil daretur commune vniuocum indiuiduis, quia sic medium, nempe indiuiduum, esset æquiuocum, vt pote nihil commune indiuiduis significans præter vocem. Respondeo negando minorem, quia vt syllogismus prædictus rectè concludat, sufficit quod maior propositio verificetur de omnibus & singulis indiuiduis, quotquot existunt, quia nullum est quod non sit incommunicabile. Quare verba illa, omne indiuiduum, non significant aliquid indiuiduis commune, sed confusè singula indiuidua, atque adeo perinde est ac si inductione probares, Petrum esse incommunicabilem, eo quod omnia alia indiuidua sunt incommunicabilia.

Obijcitur 3. Petrum & Paulum id habere commune vt sint incommunicabiles; ac proinde rationem aliquam communem ab ijs abstrahi posse. Respondeo id quod dicitur commune Petro & Paulo, non esse commune nisi quoad voces, vel ad summum quoad conceptum nostrum formalem, sine fundamento in re: nam à parte rei ea conuenientia in eo consistit, quòd Petrus non possit esse Paulus, nec Paulus esse Petrus; id est quòd summè inter se differant. Vnde id perinde est ac si diceres, Petrum & Paulum con-

uenire in eo in quo summopere inter se discrepant; vel albedinem & nigredinem in eo inter se similes esse, quod sicut illa huic est dissimilis, ita hæc illi.

Dico 2. *etsi daretur conceptum communem indiuidui abstrahi posse ab omnibus indiuiduis, non tamen concedendum esset conceptum illum esse vniuocum, sed tantùm analogum.* Probatur, nam vel ratio communis quæ supponitur abstracta, relinquit aliquam rationem specialem, vel nihil; hoc posterius falsum est, quia sic non est abstractio, seu præcisio vnius gradus ab alio, sed integra totius indiuidui ablatio: si verò prius verum est, vt profectò esse debet, sicut quod post præcisionem remanet, debet necessariò esse ens, ita debet esse vnum, & indiuisum, adeoque indiuiduum. Vnde cùm ratio communis indiuidui non perfectè præscindat à rationibus specialibus, sed eas transcendat eo modo quo ens transcendit suas differentias, ea non potest esse vniuoca, sed tantùm analoga; vt ex infrà dicendis, vbi de analogia entis, clariùs intelligetur.



CAPVT V.

De Differentia.

ARTICVLVS PRIMVS.

An dentur differentiæ infimæ, & simplices.

SEnſus eſt, an ſpecies infimæ conſtituantur per differentias infimas, quæ ſcilicet cum illis ſpeciebus reciprocentur, ita vt nulli alteri conueniant; an verò eiuſmodi ſpecies conſtituantur per combinationem plurium differentiarum, quarum ſingulæ aliis ſpeciebus conueniant, non tamen omnes ſimul iunctæ; ad eum modum quo in Logica diximus ex Porphyrio, indiuiduum conſtare ex collectione multorum accidentium, quæ ſingula quidem eſſe poſſunt in alio, non tamen omnia.

Reſpondeo admittendas eſſe de facto differentias ſimplices, quibus ſpecies infimæ conſtituantur. Probatur 1. quia non eſt potior ratio cur ſpecies ſubalternæ conſtituantur per differentias ſimplices, quàm ſpecies infimæ; at ſpecies ſubalternæ eo modo conſtituuntur, vt patet, nam animatum additum corpori facit viuens, ſenſitiuum additum viuenti facit animal, &c. Ergo & ſpecies infima per vnam ſimplicem differentiam conſtituitur.

Probatur 2. quia ſpecies infimæ habent proprietates vltimas & reciprocas, vt homo

risibilitatem, equus hinnibilitatem, &c. Ergo & differentias vltimas; sequela patet, quia cùm proprietates à differentia oriantur, melius intelligitur vnam simplicem proprietatem ab vna simplici differentia oriri; quàm à multarum combinatione.

Confirmatur, nam dummodo intelligas hominem esse rationalem, ex eo satis intelligis eum esse aptum ad ridendum; adeoque sicut non requiritur alia differentia ad inferendam illam proprietatem, quæ cum homine reciprocatur, ita neque ad constituendam hominis speciem.

Probatur 3. nam ex omnium consensu, differentia respondet formæ, sicut genus materiæ, vt infrà explicabitur: at forma reciprocatur cum composito naturali quod ex ea constituitur, ita vt neque magis, neque minùs latè pateat; vt constat in forma lapidis quæ omnibus & solis lapidibus competit, in forma equi quæ in omnibus & solis equis reperitur; & sic de alijs: ergo similiter differentia reciprocatur cum specie quam constituit, adeoque vel negandæ sunt omnes species infimæ, vel admittendæ differentiæ aliquæ infimæ, seu quæ cum ijs reciprocentur; ita vt ijs omnibus, & nulli alij competant.

Obiicies 1. Aristotelem 2. poster. tex. 17. docere ad definiendam speciem infimam sumendas esse plures differentias subalternas, quarum singulæ latiùs pateant re definita, omnes verò simul sumptæ cum ea conuertantur. Respondeo Aristotelem id non dixisse quod putaret speciem infimam eo modo exactè definiri, aut non dari differentiam infimam: oppositum enim patet ex 7. Metaph.

tex. 41. vbi ait vnius rei vnicam esse differentiam, & per illam dandam esse definitionem; sed vt innueret per varias proprietatum combinationes essentiam speciei infimæ, vt plurimum nobis ignotam, aliquo modo declarari.

Obiicies 2. Porphyrium definiisse differentiam, *id quod prædicatur de pluribus specie differentibus in quale quid*, ex qua definitione cum sit generalis, colligitur omnem differentiam esse genericam, adeoque nullam esse specificam seu infimam. Respondeo definitionem illam non comprehendere omnes differentias, vt vel ex eo patet quòd Porphyrius aliis locis apertè fauet nostræ sententiæ; vt cum Introduct. cap. 12. ait, *Differentia in multis speciebus sæpe cernitur, vt quadrupes in pluribus animalibus specie differentibus.* Illa enim particula *sæpe*, clarè indicat non omnes differentias prædicari de multis specie differentibus, adeoque esse aliquas quæ cum specie infima conuertuntur: quare ex ea definitione nihil concludi potest contra differentiam infimam.

Putant autem aliqui ideo Porphyrium definiisse solas differentias genericas, vel quia genericæ sunt valde notæ, & infimæ ignotæ; vel quia hic Porphyrius non agit nisi ex communi aliorum sententia, suo autem tempore Philosophi communiter negabant differentias vltimas; vel quia ex assignata definitione facilè potest colligi generalis definitio competens etiam differentiis vltimis, si nimirum omittantur duo illa verba, *differentibus specie*, vt in Logica obseruatum est.

Obijcies 3. eundem Porphyrium in definitione speciei semper afferre plures differentias, quarum quælibet latius patet specie definita, vt cum hominem definit, *animal rationale mortale*; nam rationale dicitur de Deo & Angelis, mortale verò de omnibus animalibus, at vtrumque soli homini competit Respondeo, quòd Porphyrius eo modo hominem definierit, id, vt alibi aduertimus, ex Platonicorum errore profectum, qui falsò existimabant Deum, & Angelos esse animalia rationalia. Inde tamen non sequitur quòd nullam differentiam infimam admiserit, sed ad summum quòd pluribus vtendum putauit, quando veræ differentiæ ignorantur, vt plerumque contingit.

ARTICVLVS II.

An differentia inferior superiorem formaliter contineat.

DIco, formaliter, non enim dubitatur an differentia inferior includat materialiter seu identicè superiorem, cum ex communi sententia inter se realiter non distinguantur. Dubium est ergo an differentia inferior formaliter spectata, secundum gradum & perfectionem quam dicit, includat in conceptu suo differentiam superiorem, rationale v. g. includat sensitiuum, & hoc corporeum.

Qua in re pars negatiua amplectenda est, tum quia Aristoteles 4. Topic. cap. 2. ait differentiam non esse generis participem, quod sanè falsum esset si differentia inferior superiorem includeret; cùm per illam genus constituatur.

Tum quia multa dicuntur de illis differentiis, quæ subsistere non possunt cum inclusione superioris in inferiori, putà quod superior constituat genus, & inferior speciem, quòd illa sit communior & latiùs patens ista, quòd superior contrahatur per inferiorem; quòd cùm vtraque concurrat ad compositionem totius Metaphysici, superior se habeat per modum potentiæ, & inferior per modum actus, &c.

Tum quia si sensibile v. c. includeretur formaliter in rationali, sequeretur cum dico, homo est animal rationale, in ista definitione sensibile bis includi, semel ratione generis, semel ratione differentiæ, atque adeo hominem duplici titulo habere quod sit sensibilis: hoc autem cum admitti non debeat, fatendum est differentiam superiorem ita præscindere ab inferiori, vt in formali illius conceptu non includatur.

Obiicies 1. quod prædicatur de alio in abstracto est de conceptu illius, atqui differentia superior prædicatur de inferiori in abstracto, vt patet ex Arist. 7. Metaph. tex. 43. cùm ait, *Fissio pedum aliqua peditas est*, ergo differentia superior est de conceptu inferioris. Respondeo maiorem veram esse, si vnum prædicetur de alio in sensu formali, non autem si solùm in sensu identico seu materiali, quo modo exemplum allatum intelligi debet. Non enim Aristoteles dicit simpliciter fissionem esse peditatem, sed aliquam peditatem, id est aliquam differentiam peditatis; quatenus animalium habentium pedes, alia habent fissos, alia non fissos. Vt si diceres, rationale est aliquod sensibile, sensus esset, rationale esse differentiam aliquam sensibilis, quatenus scili-

cet ſenſibile diuiditur in rationale & non rationale.

Obiicies 2. hunc ſyllogiſmum in Darapti: omnis homo eſt ſenſibilis, omnis homo eſt rationalis, ergo aliquod rationale eſt ſenſibile. Ex quo concluditur eodem modo ſenſibile dici de rationali, quo rationale & ſenſibile dicuntur de homine, adeoque formaliter. Sed malè id deducitur, non enim neceſſe eſt vt extrema tam arctè inter ſe vniantur, quàm cum medio, vt patet ſi in allato ſyllogiſmo loco rationalis ponatur riſibile; nemo enim cõcludet riſibile eſſe formaliter ſenſibile, cum illud dicat proprietatem accidentalem, hoc differentiam ſubſtantialem. Quare ſatis eſt ad veritatem ſyllogiſmi propoſiti, quòd concluſio ſit vera tantum in ſenſu identico.

Obijcies 3. differentia equi eſt radix operationum equinarum, quæ ſine ſenſibilitate intelligi nequeunt, ergo ſenſibile eſt de conceptu illius. Reſpondeo antecedens falſum eſſe, ſi intelligatur, vt debet, de conceptu directo & explicito; quia differentia equi dicit aliquid proprium equo, ſenſibile verò dicit aliquid commune omnibus animalibus; poteſt autem proprium intelligi, etſi commune explicitè non intelligatur.

Declaratur, nam ſenſibile dicit principium ſentiendi, differentia verò equi dicit principium hinniendi; at hæc principia ita ſunt diſtincta in ordine ad cognitionem noſtram, vt vnum poſſit intelligi alio directè & explicitè minimè concepto: ſicut etiam poſſum concipere rationale, tanquam principium diſcurrendi & ridendi, etſi directè non concipiam principium ſentiendi.

ARTICVLVS III.

An genus sit extra conceptum differentiæ, & differentia extra conceptum generis.

REspondeo, cum communi sententia, genus esse extra conceptum differentiarum, & differentias extra conceptum generis, adeoque vnum ab alio perfectè præscindere. Sequitur ex dictis præcedenti articulo, hic enim agimus de differentia speciei constitutiua, quæ cum præscindat à differentia generica, consequenter etiam ab ipso genere præscindit, vt rationale ab animali. Verum eadem assertio rursus

Probatur 1. nam quæ habent formalitates distinctas ea non se inuicem includunt, quin potiùs vnum excludit aliud: at genus & differentia habent formalitates distinctas, genus enim dicit formaliter aliquid ex se commune, potentiale, perfectibile, contrahibile; & differentia vice versa aliquid proprium, actuale, perfectiuum, & contractiuum; quæ rationes distinctæ sunt, imò & formaliter oppositæ, adeoque vna non potest includi in alia.

Probatur 2. nam quæ se inuicem formaliter includunt, ea de se possunt mutuò formaliter prædicari; siquidem aliquid prædicatur de subiecto, quia est in illo; & eo modo prædicari potest quo in illo est: vnde quia animal est formaliter in homine, ideo vera est illa prædicatio, homo est formaliter animal: at non potest genus formaliter prædicari de differentia, nec differentia de genere; non enim

valent istæ propositiones, in sensu formali sumptæ, rationale est animal, animal est rationale. Vnde sequitur genus & differentiam non se mutuò includere.

Probatur 3. Nam si genus est de conceptu differentiarum, cùm hæ species oppositas constituant, sequitur species illas inter se conuenire non tantùm in ratione communi generis, sed etiam in rationibus peculiaribus propriarum differentiarum, quod planè implicat; quia alioqui species illæ essent & non essent oppositæ per differentias, idemque esset gradus communis & proprius illarum. Si verò differentiæ essent de conceptu generis, cùm illæ sint oppositæ; sequeretur genus ex rationibus oppositis constare. Cumque differentia iuncta generi constituat speciem, iam genus esset species, eaque multiplex. Quare cùm hæc aliaque id genus nimis absurda sint, fatendum est genus & differentiam ita à se inuicem præscindere, vt vnum non sit de conceptu alterius.

Obijcies 1. quando substantia diuiditur in corpoream & spiritualem, corporeitas & spiritualitas sunt differentiæ substantiales, adeoque includunt rationem substantiæ. Respondeo non sequi, sicut enim modi substantiarum, qualis est subsistentia, sunt substantiales, non tamen substantiæ; ita differentiæ prædictæ sunt substantiales, quia determinant & perficiunt substantiam, non tamen includunt propriè rationem substantiæ completæ & prædicamentalis; qualis est illa quæ constituit summum genus, & diuiditur in corpoream & spiritualem.

Obijcies 2. qui dicit rationale, dicit viuens, ergo differentia includit genus. Respondeo

negando antecedens, si ita intelligatur vt rationale dicat formaliter viuens, illudque in suo conceptu includat; rationale enim non dicit viuens, vt sic, sed tale viuens, sicut non dicit animal, sed tale animal. Et hoc apertius constat si prædicta sumantur in abstracto, non enim rationalitas dicit formaliter vitalitatem, sed talem modum vitæ, non vegetantis, aut sensitiuæ, sed rationalis seu intellectiuæ.

Obijcies 3. ex Arist. 7. Metaph. text. 43. vltimam differentiam esse totam substantiam speciei; at genus est de substantia speciei, ergo differentia includit genus. Confirmatur, quia ob inclusionem illam Aristoteles prohibet, quando differentia inferior ponitur in definitione, ne aliqua superior differentia simul in ea vsurpetur; quia fieret inutilis repetitio, vt si homo definiretur animal rationale sensibile. Respondeo ad obiectionem, vltimam differentiam esse totam substantiam speciei, non integraliter, sed completiuè, quatenus addita generi speciem cum illo constituit. Vnde non sequitur quod genus formaliter includat, sed ad summum identicè & materialiter, quatenus cum eo identificatur.

Ad confirmationem autem dico, Philosophum non prohibere ne differentia superior simul cum inferiori in definitione vsurpetur, quod illa in hac formaliter contineatur, sed quia continetur in genere, vt sensibile inanimali; vnde sequeretur inutilis illa repetitio quam cauere intendit.

ARTICVLVS IV.

Quo ſenſu genus ſumatur à materia & differentia à forma.

NOnnulli hoc ita volunt intelligi, vt genus verè à ſola materia ſumatur, nullo modo à forma; differentia verò à ſola forma, nullo modo à materia. Verùm communis ſententia ſtatuit genus & differentiam deſumi à tota natura, cùm eo tamen diſcrimine quòd genus ab ea ſumitur, quatenus dicit aliquid potentiale & perfectibile; differentia verò vt dicit aliquid actuale & perfectiuum. Quod vt declaretur apertiùs,

Reſpondeo & Dico 1. *Genus non poſſe vniuerſim deſumi præciſè à materia, nec differentiam præciſè à forma.* Probatur manifeſtè, nam ſunt aliqua quæ componuntur ex genere & differentia, etſi non conſtent ex materia & forma, vt patet in Angelis quos certum eſt non repugnare inter ſe ſpecie differre, etſi non conſtent ex materia & forma, vt alibi oſtendimus.

Idem ſuadetur in accidentibus, ea enim habent genera & ſpecies, adeoque componuntur ex genere & differentia, licèt ex materia & forma non coaleſcant. Exemplum ſit albedo quæ eſt ſpecies coloris, & definitur *color viſum diſgregans*, ita vt in illa definitione, color ſit genus, & viſum diſgregans, differentia. Et tamen nemo dicet colorem, cùm ſit qualitas, conſtare ex materia & forma.

Dico 2. *Neque in ſubſtantijs materialibus genus ſemper poſſe deſumi præciſè à materia, & differentiam à forma.* Prior pars probatur inductione,

discurrendo per varia genera quæ à materia sola adæquate sumi non possunt. In primis substantiæ materiales conueniunt in genere substantiæ cum immaterialibus; quare sicut genus in istis non sumitur à materia, ita neque in illis.

Rursus corpora terrestria cum cœlestibus in genere corporis conueniunt, etsi in materia non conueniant, vt supponimus ex dicendis vbi de cœlo. Id autem fieri non posset, si genus sumeretur à sola materia..

Præterea genus viuentis non potest sumi à materia, sed potius à forma sumi debet, cùm hæc, non illa sit principium vitæ. Et similiter genus animalis seu sentientis non potest sumi à sola materia, cum non illa, sed anima sit principiũ sensationum; & ita de aliis plerisque.

Posterior pars suadetur, nam cùm differentia debeat commensurari generi, sicut hoc non sumitur à sola materia, ita neque illa à sola forma peti debet. Confirmatur, nam v. c. rationale quod est differentia hominis, non petitur à sola anima, sed etiam à corpore; cùm non dicat solum gradum intelligendi, sed intelligendi tali modo, nimirum per conuersionem ad phantasmata, & discurrendo; qua in re homo non modo à bruto, sed etiam ab Angelo distinguitur.

Dico 3. *genus & differentiam desumi à tota natura aliter, & aliter spectata.* Sequitur ex dictis, quia cùm genus non sumatur à sola materia, neque verisimile sit illud sumi tantùm à forma, consequens est sumi à tota natura: & vice versa cùm differentia non sumatur à sola forma, nec verisimile sit eam sumi tantùm à materia, hinc sequitur illam à tota natura sumendam esse.

Verùm

Verùm quia eſt aliqua diſtinctio inter genus & differentiam, conſequens eſt aliter genus, aliter differentiam à rei natura deſumi: ita nimirum vt genus deſumatur à natura, quatenus hæc dicit aliquid potentiale & perfectibile; differentia verò, quatenus dicit quid actuale & perfectiuum.

In idem recidit quod dicunt varij, in qualibet ſpecie eſſe duo genera attributorum, alia communia, alia propria & ſpecialia: v. c. in homine eſſe ſubſtantiam, corpus, viuens, ſentiens, & ſimilia attributa ſibi cum brutis communia, & rationale quod ſibi eſt proprium & peculiare; genus autem ſumi ab attributis communibus, differentiam verò à proprijs.

CAPVT VI.

De Proprio, & Accidente.

ARTICVLVS PRIMVS.

Duæ Proprij definitiones expenduntur.

PRoprium ex Porphyrio definiri ſolet, *Id quod omni, ſemper, & ſoli ſpeciei conuenit, & cum ea reciprocatur.* Poteſt etiam definiri, vt eſt quartum vniuerſale ſeu prædicabile; *Quod ineſt multis ſeu prædicatur de multis accidentariò, neceſſariò, & per ſe.* Vbi tres particulæ obſeruandæ ſunt: 1. quod ineſt multis, ſeu dicitur de multis, per quam conuenit cum alijs omnibus vniuerſalibus. 2. accidentariò, per quam differt à tribus prioribus. 3. neceſſariò, & per ſe per quam differt ab vltimo.

Contra priorem definitionem obijcitur 1. in

ea non debere fieri mentionem speciei, cùm Porphyrius quando illam insinuat, speciei non meminerit. Verum hoc refellitur, quia etsi Porphyrius eo loco speciem nō nominauerit, quod tamen ex mente illius debeat subintelligi, inde perspicuum fit, quia in alijs proprij acceptionibus species exprimitur: quare sicut proprium in prima acceptione sumitur pro eo quod soli alicui speciei conuenit, etsi non omni; & in secunda pro eo quod accidit omni speciei, etsi non soli; ita in quarta sumi debet pro eo quod omni, & soli speciei competit, esto vox speciei ibi prætermissa fuerit; cùm par sit ratio.

Obijcitur 2. malè in dicta definitione nomine speciei intelligi speciem infimam, cùm non modo species infimæ, sed etiam subalternæ, & ipsa quoque summa genera sua habeant propria. Nam hæc omnia habent suas naturas, & essentias ex quibus proprietates proportionatæ naturaliter fluunt: Imò enti vt ens est, etsi non sit propriè genus, proprietates aliquæ assignantur, vt sequenti libro ostendemus. Respondeo 1. etsi fateamur naturas omnes siue genericas, siue specificas sua habere propria, sicque alia dici posse propria generica, alia specifica; non tamen inde bene colligi quod intenditur, quia Porphyrius voluit tantùm definire proprium strictè & maximè propriè sumptum, quale non est nisi proprium specificum. Siquidem illud dicitur proprium alicui, quod alteri commune non est; quare proprium genericum cum multis essentialiter distinctis comperat, non tam propriè proprium dici potest, quàm proprium specificum quod non nisi vni speciei conuenit.

Respondeo 2. si definitionem prædictam

etiam ad propria generica extendi velis, nomine speciei intelligi posse naturam vel essentiam rei; vt sensus sit proprium esse id quod alicui naturæ quæcunque sit ita competit, vt omni, & soli, & semper conueniat. Neque propterea existimes dari duo prædicabilia proprij, alterum specifici, alterum generici. Cùm enim eodem modo prædicentur de natura ad quam spectant, nempe in quale necessarium, non nisi vnum prædicabile constituunt; vt in Logica aduertimus.

Obijcitur 3. proprium non rectè definiri *Id quod soli, & semper competit*, vt ex eo ostenditur, quia primæ qualitates sunt propria elementorum, neque tamen ijs solis, aut semper competunt; cùm ex vna parte calor, frigus, humiditas, & siccitas in mixtis reperiantur, & ex alia, aqua non sit semper frigida, nec aër semper humidus, nec terra semper sicca. Respondeo 1. qualitates elementares in summo gradu esse propria elementorum, eoque modo mixtis non competere, sed tantum in aliquo gradu remisso; aut si interdum in summo gradu ijs competunt, vt summus calor ferro candenti, id non oriri ex principiis internis, sed ab extrinseco.

Respondeo 2. non esse proprium aquæ quòd actu sit frigida, sed quòd ex natura sua summam frigiditatem postulet; quemadmodum non est proprium hominis quòd actu rideat, sed quòd ex natura sua sit aptus ad ridendum; ea autem exigentia competit aquæ, etiam cùm intensè calida est. Et similiter alia elementa exigunt qualitates connaturales, etiam cum ijs actu priuata sunt.

Ex quibus collige, quid dicendum sit ad eos qui obiiciunt, intellectiuum esse proprium

hominis, nec tamen soli homini competere, sed etiam Angelo; falso enim & gratis supponitur intellectiuum inter propria hominis stricte sumpta collocandum esse, cùm vel eò ipsò quòd competat homini & Angelo, dicendum sit esse proprietatem fluentem ex gradu substantiali homini & Angelo communi. Si tamen intellectiuum restringatur ad vim quandam & aptitudinem intelligendi tali modo, nimirum per discursum, & per conuersionem ad phantasmata; sic dici potest intellectiuum esse proprium hominis, cùm ille modus intelligendi homini competat, non autem Angelo.

Contra posteriorem definitionem obiicitur 1. multa accidentia communia esse naturaliter inseparabilia à subiectis suis, & necessariò ijs competere, vt patet in candore cygni, & nigredine corui, aliisque eiusmodi quæ ad quintum prædicabile pertinent. Vnde sequitur proprium non bene distingui ab accidente communi, quatenus dicitur multis competere necessariò, & per se. Respondeo consequentiam istam nullius esse roboris, quia illud tantum dicitur alicui competere necessariò & per se, quod fluit ab illius essentia: at accidens proprium fluit à subiecti sui essentia, commune verò ex alia causa oritur. Quare etsi naturaliter & necessariò alicui competat, nec possit naturæ viribus ab eo separari, non tamen ei dicitur competere necessariò, & per se, sicut proprium.

Obiicitur 2. illud est discrimen inter proprium & accidens, quòd accidens dicitur primò de indiuiduis, secundò de specie; ideo enim homo est albus, quia Petrus est albus: Contrà verò proprium primò dicitur de specie, secundò de indiuiduis, nam ideo Petrus

est risibilis, quia homo est risibilis; ergo proprium vt vniuersale, debet potiùs definiri per ordinem ad speciem, quam per ordinem ad indiuidua; adeoque allata definitio non est legitima. Respondeo id non sequi, nam quomodocunque proprium speciei & inferioribus conueniat, certè illud non potest constitui in ratione vniuersalis, nisi per ordinem ad multa. Quare etsi Petrus & Paulus sint risibiles, quia homo est risibilis; risibile tamen non potest habere rationem vniuersalis in ordine ad hominem, sed in ordine ad Petrum & Paulum, vt latiùs probatum est in Logica.

ARTICVLVS II.

Duæ Accidentis definitiones declarantur.

QVæritur 1. Vtrum Accidens à Porphyrio rectè definiatur, *Quod adest, & abest sine subiecti interitu.* Respondeo hanc definitionem vt legitimam vulgo à Philosophis defendi. Vt autem illius sensus meliùs percipiatur, & obiectionibus, quæ contra illam fieri possunt, satisfiat,

Obseruandum est subiectum accidentium & proprietatum duobus modis spectari posse, primò quoad existentiam, secundò quoad essentiam; & illud esse discrimen inter accidens, & proprium, quòd præsentia, vel absentia accidentis potest quidem subiectum immutare & corrumpere quoad existentiam, non tamen quoad essentiam; proprium verò sine corruptione essentiæ à subiecto abesse non potest. Cùm enim rei essentia postulet intrinsecè & necessariò proprium, ablato proprio, tolli-

tur à posteriori exigentia illius, adeoque non manet eadem essentia. Quia verò essentia non sic accidens commune postulat, sed illud recipit aliunde; hinc fit vt præsentia, vel absentia accidentis rei essentiam non immutet, esto interdum illius existentiam destruat. Atque hinc soluuntur variæ obiectiones, quæ aduersus allatam accidentis definitionem vrgeri solent.

Obijcitur 1. quædam accidentia non posse esse in aliquo subiecto siue illius interitu; vt patet in summo frigore, quod nequit esse in homine, sine illius destructione. Respondeo summum frigus destruere hominem quoad existentiam, non quoad essentiam Facit quippe vt homo moriatur, sed non vt homo non sit animal rationale.

Obijcitur 2. quædam accidentia non possunt abesse à subiecto sine illius interitu; vt nigredo à coruo, albedo à Cygno, calor ab animali, &c. Respondeo similiter eiusmodi accidentium absentiam causare interitum subiecti, quoad existentiam, non quoad essentiam. Etsi enim Coruus, detracta nigredine, naturaliter intereat; manet tamen essentia illius integra, cùm non propterea desinat esse talis speciei. PrætErquàm quòd Porphyrius probat definitionem accidentis, ex eo quòd possumus Coruum album intelligere. Imò non modo intelligi, sed & de facto existere Coruos albos à viris fide dignis iamdiu accepimus, idque testatur doctissimus Aldrouandus Ornithologiæ lib. 12.

Obijcitur 3. esse quædam propria quæ non tantùm mente, sed etiam reipsa possunt, saltem diuinitus, separari à subiecto sine illius interitu; ea nimirum quæ realiter ab essentia di-

ſtinguuntur, vt frigiditas ab aqua, ſiccitas à terra, &c. Reſpondeo eiuſmodi propria duobus modis ſpectari poſſe, primò formaliter ſecundum ſuam realem entitatem præcisè, ſecundò radicaliter ratione exigentiæ intrinſecæ & neceſſariæ qua poſtulâtur à principijs naturæ: ac priori modo poſſe propria illa, virtute diuina ſeparari ab eſſentia, ſine illius interitu, non poſteriori. Etſi enim eſſentia aquæ maneat, etiam naturaliter, ſine actuali frigiditate, non tamen ſine intrinſeca exigentia Frigiditatis; adeò vt deſinat eſſe eſſentialiter aqua, eò ipsò quòd ex ſe non poſtulet habere frigiditatem: ſicut homo deſineret eſſe eſſentialiter homo, ſi ex ſe non poſtularet riſibilitatem. Et hoc tantùm modo videtur poſſe defendi allata definitio, & conſtitui verum diſcrimen inter proprium & accidens commune, quod cùm ab eſſentia rei nō exigatur, poteſt illâ intactâ, & quoad ſe, & quoad ſuam radicem ab ea auelli.

Quæritur 2. an accidens rectè à Porphyrio definiatur, *Quod neque eſt genus, neque differentia, nec ſpecies, nec proprium, ſemper autem in ſubiecto inhæret*. Nonnulli exiſtimant definitionē illam eſſe vitioſam, quia cùm tradatur per negationem, non tam explicat quid ſit accidens, quàm quid non ſit. Verum alij eam defendunt primò quia Ariſt. 1. Topic. cap. 5. eam tradit, vt alibi monuimus; neque eam vt illegitimam damnat, ſed tantùm ait ſecundam eſſe meliorem.

Secundò quia ſi definitio illa eſt vitioſa, ideo eſt vel quia traditur per negationem, vel quia traditur per talem negationem, nēpe generis, ſpeciei, &c. At neutra ex cauſa vitium habet, non ex prima, quia duo ſunt rerum genera quæ meliùs per negationem, quàm per affirmationem explicari poſſunt, nimirum perfectiſſima

& imperfectissima, qua ratione describitur Deus quod neque est cœlum, neque ignis, neque homo, neque Angelus, neque quidquam creatum. Et materia prima, quæ est minimæ entitatis, describitur ab Arist. 7. Metaph. cap. 3. quæ per seipsam neque est quid, neque quantum, neque aliud quidpiam dicitur quibus ens determinatur. Quare cum accidens sit vltimum inter prædicabilia, non incongruè per negationem definitur.

Non etiam ex secunda, quia cùm iam dictum sit quid sit genus, quid species, quid differentia, quid proprium, non est inconueniens per eorum negationem explicare quid sit accidens; sic enim facilè omnes partes definitionis intelliguntur. Esset tamen vitiosa descriptio accidentis, si antequam actum sit de alijs prædicabilibus, per eorum negationem traderetur.

Accedit quod definitio illa non est totaliter negatiua, cum addat Porphyrius illa verba, semper autem in subiecto inhæret. Vbi vox *semper* non significat subiectum numquam existere sine accidente, hoc enim apertè falsum esse vel ipsa experientia satis ostendit; sed numquam accidens esse in rerum natura, quin sit in subiecto, eò quòd accidentis esse est inesse.

Verùm etsi hoc, spectatis solis naturæ viribus, certum & explicatum sit, si tamen habeatur ratio potentiæ Dei extraordinariæ, indubitatum est apud Catholicos, accidens posse existere sine vllo subiecto, vt patet in sanctissimo Eucharistiæ sacramento, & infrà libro 3. latius dicetur.



LIBER II.

DE ENTE SECVNDUM SE.

EXPLICATA RATIONE vniuersalis, ad Entis in genere tractationem progredimur, in qua de conceptu entis, de gradibus essentialibus rerum, alijsque ad eandem materiam spectantibus, breuiter agendum erit.

CAPVT PRIMVM.

De conceptu, & analogia entis.

ARTICVLVS PRIMVS.

De duplici acceptione entis.

QVæritur 1. quid nomine entis intelligatur. Respondeo ex aliquorum sententia, ens dicere entitatem actualem seu actu existentem: quia cùm ens sit participium verbi, *sum* quod significat actum existendi, hinc colli-

gunt ens ſumi pro eo quod eſt actu exiſtens.

Alij dicunt ens formaliter quidem dicere exiſtentiam, de materiali vero id quod habet eſſe, idque vel actu, vel potentia: nam roſa etiam non exiſtens actu, eſt ens, ſicut eſt ſubſtantia, & flos. Verùm addunt ens non dici eſſentialiter de rebus creatis, quia dicit ordinem ad actualem exiſtentiam, quæ non eſt de quidditate vel eſſentia creaturæ.

Approbanda tamen vulgaris diſtinctio entis participialiter, & nominaliter ſumpti. Ens ſumptum participialiter, ſeu vt eſt participium verbi *ſum*, idem ſignificat ac rem actu exiſtentem; ſumptum vero nominaliter, ſeu ſubſtantiuè vt nomen quoddam neutrius generis, ſignificat eſſentiam rei vel actu, vel potentia exiſtentis. Ad eum modum quo viuens vt participium, ſignificat rem quæ vſu actuali vitæ potitur; vt autem nomen deductum à vita, ſignificat ſubſtantialem gradum viuentis, ſeu principium potens vitæ operationes exercere, quomodo in arbore Porphyriana vſurpatur.

Atque hoc poſteriori modo ſumitur ens, cùm dicitur eſſe objectum Metaphyſicæ; non enim id debet intelligi de ente actu exiſtente, ſed de eo quod vel actu exiſtit, vel ſaltem poteſt exiſtere. Quo etiam ſenſu ens diuiditur in decem prædicamenta, quia ſcientiæ non conſiderant rerum exiſtentias quæ poſſunt eſſe vel non eſſe, ſed quidditates & eſſentias earum, aliaque quæ ipſis inuariabiliter, & neceſſariò competunt.

Quæritur 2. quid ſit ens, ſeu quomodo definiatur. Reſpondeo ens non poſſe propriè definiri, cum definitio debeat conſtare genere & differentia, ens autem non habeat ſupra

se vllum genus. Quare potest tantùm ratio entis vtcunque explicari per descriptionem aliquam, aut vocis declarationem.

Vnde cum ens sumatur dupliciter ex dictis, primò vt est participium, secundò vt est nomen, dicendum est si priori modo spectetur, rationem illius formalem in eo consistere, vt sit aliquid actu existens; si autem posteriori, sic rationem illius in eo positam esse, quod sit habens essentiam potentem realiter existere, siue actu existat, siue non. Ex quo intelligis ens vtroque modo esse nomen concretum, nostro concipiendi modo; adeoque non significare præcisè existentiam, vel essentiam, cùm hæc sint abstracta, sed aliquid habens existentiam, vel essentiam.

ARTICVLVS II.

De prædicabilitate Entis.

QVæritur 1. quomodo ens in ea duplici acceptione prædicetur de inferioribus entibus completis, substantia nempè & accidente,

Respondeo & dico 1. *Ens sumptum participialiter, seu vt dicit actualem existentiam, non prædicari essentialiter de vlla creatura.* Ratio est, quia cùm sit Deo liberum creaturas omnes producere, vel non producere, consequenter creaturæ omnes sunt ex se indifferentes vt existant, vel non existant; adeoque non est de earum essentia quod existant. Aliàs, sicut non potest concipi essentia hominis, nisi concipiatur quatenus animal rationale; ita non posset concipi nisi sub ratione existentis, quod dici non potest.

Confirmatur, nam omnes Theologi illud discrimen ponunt inter Deum, & creaturas omnes quæcunque sint, quod existentia actualis est de essentia Dei, ita vt illius essentia concipi non possit, nisi concipiatur vt ens infinitum actu existens; non est autem de essentia vllius creaturæ quod actu existat, cùm homo v. c. semper sit animal rationale, siue actu existat, siue non.

Dico 2. *Ens sumptum nominaliter, seu vt dicit essentiam realem, prædicari essentialiter de suis inferioribus.* Probatur, quia nihil potest magis dici essentialiter de re aliqua, quàm ipsa eius essentia, vt patet cum dico, hominem esse animal rationale; atqui ens sumptum nominaliter significat rei essentiam, ergo maximè de illa dicitur essentialiter. Vnde illæ propositiones, homo est ens, equus est ens, & similes sunt essentiales.

Confirmatur, quia primum quod alicui rei conuenit, est quod habeat essentiam, inde enim reliqua omnia vt à radice proueniunt. Ergo ens vt significat essentiam, est primum & essentiale rei prædicatum.

Objicies. 1. fieri non potest quòd aliquid sit ens reale independenter ab existentia, cum id quod non existit, nihil sit; quare repugnat quòd ens sumptum nominaliter, seu abstrahendo ab existentia dicat essentiam realem, & prædicetur essentialiter. Respondeo duobus modis aliquid posse dici ens reale, primò quia realiter existit, secundò quia potest realiter existere: Vnde etsi nihil dicatur ens reale nisi dependenter ab existentia, vt tamen aliquid tale dicatur, non opus est quòd actu existat, sed sufficit quòd possit actu existere.

Inſtabis, hoc modo ens reale ſemper dicit ordinem ad exiſtentiam, at exiſtentia non eſt de eſſentia vllius creaturæ, ergo neque ens ſiue verbaliter, ſiue nominaliter ſumatur, poteſt prædicari eſſentialiter de aliqua creatura. Reſpondeo ens dicere ordinem ad exiſtentiam, vel quam actu habeat, vel quam ſaltem habere poſſit; licèt autem actualis exiſtentia non ſit de eſſentia creaturæ, poſſibilem tamen eſſe illi eſſentialem, & eatenus ens nominaliter ſumptum dici eſſentialiter de creatura.

Obijcies 2. Si ens dicitur eſſentialiter de creaturis, ergo creaturæ ſunt eſſentialiter ens, ergo ſunt ens per eſſentiam, quod repugnat, cum ſolus Deus ſit ens per eſſentiam; creaturæ verò ſint entia tantum per participationem. Reſpondeo creaturas eſſe entia potentialia per eſſentiam, non autem actualia, Deum verò eſſe ens actuale per eſſentiam, ſicque diſtingui à creaturis; quia vt ſint actu, neceſſariò indigent concurſu diuino, quo actualem exiſtentiam recipiant, & eatenus dicuntur entia per participationem.

Quæritur 2. Vtrum ens nominaliter acceptum dicatur eſſentialiter, non modo de entibus completis, ſed etiam de modis entis, & differentijs illius.

RESPONDEO & dico 1. *Ens dici eſſentialiter de omnibus modis realibus, & ab intellectu minimè confictis.* Ratio eſt, quia inter ens & nihil non datur medium, adeo vt illud ſit ens, quod non eſt nihil, & vice verſa illud nihil ſit, quod non eſt ens: at modi de quibus agitur, non ſunt nihil, vt ſupponimus, ergo habent veram rationem entis.

Confirmatur, tum quia modi illi realiter producuntur, & realiter ſubiectum in quo ſunt, modificant; tum quia realiter corrumpuntur & eſſe deſinunt, hæc autem & ſimilia intelligi nequeunt ſine reali aliqua entitate.

Nec refert, quod modus vocari ſoleat entis modus, non enim eſt ſenſus, modum non eſſe verum ens, ſed tantùm modificare ens: hoc enim in terminis repugnat, cùm nequeat quod nihil eſt, aliquid modificare; ſed ideo id dicitur, quia nomine entis abſolutè intelligi ſolet aliqua entitas completa, qualis non eſt entitas modalis, etſi ſit realis & minimè fictitia. Ad eum modum quo accidens interdum dicitur entis ens, non quòd verè non ſit ens reale & poſitiuum, ſed quia habet entitatem imperfectam, quæ indiget ſubiecto cui innitatur.

Dico 2. *Ens prædicari eſſentialiter de omnibus differentijs rerum.* Probatur eodem modo, nam vel illæ differentiæ ſunt nihil, vel includunt in ſe rationem entis: prius dici non poteſt, quia entia inferiora per próprias differentias intrinſecè conſtituuntur, & ab alijs realiter diſtinguuntur; at ens reale non poteſt intrinſecè conſtitui, & ab alio realiter diſtingui per nihil, vt manifeſtum eſt: ergo poſterius affirmari debet, adeoque fatendum, ens prædicari eſſentialiter de differentijs entium inferiorum.

Confirmatur, nam differentia ſubſtantiæ ab accidenti eſt, quòd illa ſit ens per ſe, hoc verò ſit ens in alio; at eſſe per ſe, & eſſe in alio non ſunt meræ negationes, ſed aliquid reale & poſitiuum. Conueniunt etiam

illis, alijsque differentijs proprietates entis, nempè vnum, verum, bonum, adeoque vera sunt entia.

ARTICVLVS III.

De conceptu Entis.

PRæmoneo 1. duplicem esse conceptum, alium formalem, alium obiectiuum; formalis est actualis conceptio seu intellectio alicuius rei, obiectiuus verò est ipsa res concepta seu intellectu percepta. Vt cùm intelligo hominem, intellectio hominis est conceptus formalis; homo verò à me intellectus est conceptus obiectiuus.

Præmoneo 2. Vtrumque conceptum posse esse dupliciter vnum, nempè re, aut ratione. Conceptus formalis est vnus re, quando vnica tantùm rei, quæcunque sit, intellectio elicitur; vnus verò ratione, quando intellectio plura concipit sub eadem ratione, vt cùm Petrum & Paulum sub ratione hominis, hominem & equum sub ratione animalis concipio. At conceptus obiectiuus est vnus re, quando quod concipitur est vnica entitas à parte rei, vt Petrus; vnus verò ratione, quando quod intelligitur siue sit vnum, siue multiplex, est eiusdem rationis, vt Petrus, homo, animal.

Ex quo intelligis 1. Illud esse discrimen inter rem singularem, & vniuersalem, quòd singularis est vnus conceptus obiectiuus re & ratione: vniuersalis verò est vnus conceptus obiectiuus ratione, non re; quia etsi natura humana sit eiusdem rationis in omnibus ho-

minibus, non tamen est vna numero, sed multiplex.

Intelligis 2. Conceptum obiectiuum non esse re & ratione vnum, quoties conceptui formali vtraque hæc vnitas competit; siquidem conceptus formalis quo concipitur natura vniuersalis est re & ratione vnus, cùm tamen conceptus obiectiuus eiusmodi naturæ non sit realiter vnus, sed tantùm ratione, vt dictum est.

Præmoneo 3. Prædictos conceptus dupliciter dici præcisos, nempè re, & ratione. Conceptus formalis dicitur re præcisus, quando est vna intellectio ab alijs realiter distincta, vt est intellectio hominis ab intellectione lapidis; ratione verò præcisus dicitur, quando ex pluribus rationibus conjunctis & identificatis, vnam exprimit sine alia, vt cùm concipitur animal, non concipiendo rationale, vel irrationale. Eodem modo conceptus obiectiuus realiter præcisus est ens realiter ab alijs distinctum, vt homo, equus, lapis inter se comparata; præcisus vero ratione est quidam gradus obiecti ab alijs per solum intellectum separatus; vt gradus animalis in homine, vel in equo sine differentijs spectatus. His præmissis

Quæritur 1. Quomodo formalis conceptus entis sit vnus, & præcisus à conceptibus formalibus inferiorum entis.

Respondeo & dico 1. *Formalem conceptum entis esse realiter vnum, & præcisum à conceptibus formalibus inferiorum entis.* Probatur, nam audito entis nomine, intellectus noster efformat vnam notionem, & speciem expressam entis distinctam realiter à notione substantiæ, accidentis, aliarumque rerum; cùm tunc

concipiat tantùm confusè essentiam potentem existere, non autem distinctè substantiam, vel accidens, vel aliquod aliud ens determinatum; & cognitio actualis entis fit formalis & expressa illius repræsentatio, quam repugnat vlli alteri rei competere.

Confirmatur, nam etsi ens infinita entia sub se contineat, id non impedit quin vnico conceptu reali exprimi possit, cùm illa omnia entia includantur in ente per modum vnius, quatenus in communi ratione essendi conueniunt, & dubium non sit quin vnica ratio obiectiua possit vnico conceptu exprimi. Aliàs vel conceptus entis essent necessario infiniti, cùm possibilia sint entia infinita; vel si vnico conceptu multa entia sub ratione communi entis percipi possunt, nihil impedit quin omnia eodem modo simul intelligi possint.

Dico 2. *conceptum formalem entis esse ratione vnum, & præcisum à formalibus conceptibus inferiorum.* Prior pars probatur, nam ille conceptus est ratione vnus, qui aliquid repræsentat sub vna ratione; atqui formalis conceptus quem effingimus de ente, repræsentat res omnes sub vna entis ratione; quatenus nempe id habent commune quòd possint existere, ergo est vnus conceptus ratione.

Posterior ostenditur, nam conceptus quem formamus de ente, nec substantiam, nec accidens, nec animal, nec hominem, aut equum, vel aliquid aliud determinatum distinctè repræsentat, sed præcisam tantùm rationem entis omnibus rebus communem. Quare non potest conceptus ille non esse ratione præcisus à formalibus conceptibus rerum inferiorum.

Obiicies, ille conceptus formalis est ratione vnus, qui vnam rationem obiectiuam repræsentat; atqui conceptus formalis entis non repræsentat vnam rationem obiectiuam, cùm repræsentet ens cuius ratio, vt pote analoga, ex dicendis, non potest esse vna. Respondeo minorem falsam esse, etsi enim ens sit analogum, id non impedit quin ratio illius sit sufficienter vna in omnibus analogatis, quatenus omnia id habent commune vt veram entis rationem participent. Quare formalis conceptus entis est vnus ratione per ordinem ad suum obiectum.

Vnde notandum est illud discrimen inter conceptum formalem sani, & entis, quòd quia sanum significat formam quæ intrinsecè est tantùm in animali, in aliis verò extrinsecè, & per denominationem à sanitate quæ est in animali, hinc fit vt conceptus formalis sani non possit esse ratione vnus: ens verò è contra quia significat formam in rebus omnibus realiter existentem, nempe entitatem veram & realem iis communem, inde sequitur conceptum entis formalem esse vnum ratione; esto ratio entitatis non conueniat omnibus entibus vniuocè.

Quæritur 2. an conceptus entis obiectiuus sit vnus, & ratione præcisus à conceptibus obiectiuis rerum inferiorum.

Respondeo & Dico 1. *dari vnicam rationem obiectiuam entis respondentem conceptui illius formali ante explicato.* Probatur, quia quando concipio ens, non concipio explicitè substantiam, vel accidens, vel Deum, vel intelligentias; sed essentiam potentem existere. Hæc autem ratio obiectiua est vna, cùm omnibus inferioribus entis sit communis, & non

poteſt eſſe niſi ratio entis obiectiua; cùm ſit ſimpliciſſima, vniuerſaliſſima, & omnium prima; ergo admittenda eſt vna ratio obiectiua entis, reſpondens conceptui illius formali.

Confirmatur, nam formalis conceptus entis eſt vnus ratione, vt probatum eſt, at non eſſet vnus ratione niſi omnia entia ſub aliqua ratione vna conciperet, quatenus nempe conueniunt à parte rei in ratione eſſendi, ergo hanc vnam rationem in omnibus entibus concipit, adeoque omnia entia vt ſub illa vnitate concordant, vnum conceptum obiectiuum conſtituunt.

Dico 2. *conceptum entis obiectiuum eſſe ratione præciſum à conceptibus obiectiuis rerum inferiorum.* Probatur ex dictis, nam quando concipio ens, non concipio formaliter Deum, aut Angelum, vel aliquod aliud ens determinatum, ſed rationem entis omnibus rebus communem, & ab earum rationibus particularibus aliquo modo præciſam. Ergo conceptus entis obiectiuus ad quem mea intellectio terminatur, eſt quid præciſum à rationibus propriis entium inferiorum.

Confirmatur, nam vel conceptus formalis entis terminatur ad plures & multiplices entium particularium rationes, vel ad vnam rationem iis communem; non ad plures, vt patet vel ipſa experientia, cùm intellecto ente nullam rationem particularem entis diſtinguamus; ſi verò ad vnam rationem communem, ergo hæc ratio eſt præciſa à propriis rationibus, cùm aliter vna & communis eſſe non poſſit.

Fatendum tamen eam non eſſe perfectam & adæquatam præciſionem ex parte obiecti, ſed

tantùm imperfectam & inadæquatam: vt enim animal v. c. perfectè præscindat ab homine & equo, necesse est vt totam animalitatem in se includat, & id tantùm relinquat quod non habet rationem animalitatis; quia si animalitatem ex parte relinqueret, immeritò diceretur illam perfectè præscindere. At ens non potest eo modo ab inferioribus præscindere, quia vel nihil relinquit, sicque nullo modo præscindit, cum præcisio sit vnius ab alio separatio; vel relinquit ens aliquod, adeoque non nisi imperfectè & inadæquatè rationem entis præscindit; quatenus scilicet aliquid apprehenditur confusè & inadæquatè sub communi ratione entis, non autem sub speciali ratione talis, vel talis entis.

Vnde si quis obiiciat, cùm differentiæ entis sint ens, vt suprà dictum est, rationem communem entis ab iis præscindi non posse: Respondendum est non posse quidem præscindi perfectè & adæquatè, posse tamen imperfectè & inadæquatè modo explicato. Et in idem redit quod aliqui dicunt, inter ens & differentias illius non esse præcisionem mutuam, sed tantùm non mutuam: quatenus etsi esse in se, & esse in alio, quæ sunt differentiæ entis, non possint præscindere à ratione entis, potest tamen concipi ens non concipiendo quòd sit in se, vel in alio, sed ab vtroque abstrahendo. Eo modo quo animal potest ab homine & equo præscindere, non tamen homo vel equus ab animali; cùm animal sit de conceptu essentiali hominis, & equi.

ARTICVLVS IV.

De analogia entis.

QVæritur 1. vtrum ens sit æquiuocum respectu Dei, & creaturarum. Respondeo negatiuè, quia si hoc esset, sequeretur sola nomina esse communia Deo, & creaturis; hoc autem admitti non potest, tum quia ens significat veram essentiam & existentiam, at Deus habet veram essentiam & existentiam; creaturis etiam competit vera essentia & existentia, non autem ficta & imaginaria.

Tum quia per creaturarum perfectiones colligimus perfectiones Dei, & ob aliquam similitudinem quam inter illas deprehendimus, eadem nomina iis aptamus, vt nomina entis, substantiæ, intellectus, voluntatis, &c. hoc autem manifestè indicat non solas voces esse Deo & creaturis communes, adeoque ens non esse merè æquiuocum respectu Dei, & creaturarum.

Tum denique quia in æquiuocis nomen solum est commune, vt patet cùm canis diuiditur in terrestrem, marinum, & cœlestem; at cùm ens diuiditur in creatum, & increatum, hic non solum concipimus vocem ens Deo, & creaturis communem, sed etiam rationem aliquam ea voce significatam, vt vel ipsa experientia sufficienter ostendit.

Quæritur 2. vtrum ens sit vniuocum respectu Dei & creaturarum.

Respondeo 1. grauem esse hac de re controuersiam inter Philosophos, aliis cum Scoto

contendentibus ens esse vniuocum respectu Dei & creaturarum, aliis verò cum S. Thoma id negantibus. Verùm hæc quæstio magis videtur ad voces quàm ad rem ipsam spectare; si enim constaret quid per terminum vniuocum debeat intelligi, inde statim vno omnium consensu, quid de proposita difficultate tenendum sit, concluderetur.

Nam in primis si vniuocum illud dicatur, quod exigit vnum conceptum communem, siue perfectè siue imperfectè præscindentem ab inferioribus, hoc modo clarum est, ens esse vniuocum respectu Dei & creaturarum; quia vt patet ex præcedenti articulo, ens dicit formaliter vnum conceptum imperfectè saltem præcisum ab omnibus entibus inferioribus.

Si verò vniuocum illud tantùm censeatur, quod dicit vnum conceptum perfectè præcisum ab inferioribus, quomodo animal præscindit ab homine & equo, relictis differentiis per quas contrahitur, hoc sensu perspicuum est ens non esse vniuocum respectu Dei & creaturarum; cùm antè ostensum sit entis conceptum non esse perfectè vnum, & præcisum à suis inferioribus; eò quòd ratio entis intimè imbibitur in conceptu differentiarum per quas contrahitur. Idem dici potest proportione seruata, discurrendo per alias vniuoci conditiones quas nonnulli probant, alij reprobant.

Respondeo 2. absolutè probabilius videri ens non esse vniuocum respectu Dei, & creaturarum. Probatur 1. ex Arist. 4. Metaph. cap. 2. vbi expresè docet ens multis quidem modis, sed tamen ad vnum, & vnam quandam naturam, non tamen æquiuocè dici: quibus

verbis clarè innuit, ens non esse vniuocum, nec æquiuocum, sed analogum.

Probatur 2. quia cùm omnes fateantur animal esse vniuocum respectu hominis & equi; inde sequitur, vt ens sit vniuocum respectu Dei & creaturarum, Deum & creaturas debere participare rationem entis, eo modo quo homo & equus participant rationem animalis. At dici non potest quòd Deus & creaturæ participent rationem entis, eo modo quo homo & equus participant rationem animalis. Ergo dici etiam nequit quod ens sit vniuocum respectu Dei & creaturarum. Major à nemine negari potest; suadetur minor, nam homo & equus ita participant rationem animalis, vt ex æquo eam participent, ita vt nihil sit in homine, spectans ad rationem animalis, quod etiam non sit in equo, & vice versa. At Deus & creaturæ non sic participant rationem entis, siquidem creatura quæcunque sit, in ratione entis est à Deo essentialiter dependens; cùm tamen Deus sit essentialiter independens à quacunque creatura, in ratione entis. Ergo ratio entis non competit Deo & creaturis, eo modo quo ratio animalis competit homini & equo; at proinde non competit illis vniuocè.

Confirmatur, nam cùm exploratum sit creaturam essentialiter pendere à Deo, vel dicendum est eam pendere à Deo quatenus est ens, vel quatenus est quid creatum & finitum; at hoc posterius non excludit dependentiam creaturæ à Deo in ratione entis, quin potius eam includit; siquidem id quo creatura dependet à Deo, cùm non sit nihil, debet necessario esse ens, atque ita verum est creaturam à Deo pendere in ratione entis. Vnde

intentum concluditur contra vniuocationem entis respectu Dei & creaturarum.

Obiicies, etsi habitus scientiæ pendeat ab intellectu, id non impedit quin ratio qualitatis vniuocè dicatur de scientia & de intellectu. Ergo similiter dependentia creaturæ à Deo non impedit quin ratio entis Deo, & creaturæ vniuocè conueniat. Respondeo negando sequelam, & ratio discriminis est, quia scientia non pendet in ratione qualitatis ab intellectu, sed quatenus est talis qualitas, ad perfectionem cognitionis intellectiuæ ordinata; qua ratione necesse est vt intellectui inhæreat, adeoque ab illo vt à subiecto proximo dependeat. At verò creatura pendet à Deo in ipsa ratione entis, cum ab illo pendeat secundum se totam, & secundum se totam sit ens. Quare etsi dependentia scientiæ ab intellectu non impediat quin ratio qualitatis vtrique vniuocè conueniat; dependentia tamen creaturæ à Deo cum vniuocatione entis non rectè cohæret.

Probatur 3. eodem exemplo, vt ens sit vniuocum respectu Dei & creaturarum, debet eodem modo respicere Deum & creaturas, quo animal respicit hominem & equum. At non respicit eodem modo, ergo non est vniuocum respectu Dei & creaturarum. Maior perspicua est, tum quia nemo dubitat quin animal sit vniuocum per ordinem ad hominem & equum. Tum quia sicut genus & speciem deprehendimus penes modum quo sua inferiora respiciunt, ita an quidam conceptus communis sit vniuocus, nec ne, non meliùs intelligi potest quàm per ordinem quem habet ad sua inferiora.

Minor ostenditur, nam animal ita respicit homi-

hominem & equum, vt ſit mutua præciſio inter gradum communem animalis, & differentias per quas ad hominem & ad equum contrahitur. Neque enim rationale & hinnibile ſunt de conceptu intrinſeco animalis, neque vice verſa animal de conceptu rationalis & hinnibilis. At ens non eodem modo reſpicit ſua inferiora, quia licèt poſſit concipi ens non concipiendo differentias per quas contrahitur ad Deum & creaturas; non tamen poſſunt concipi eiuſmodi differentiæ niſi concipiendo ens, cùm verè & eſſentialiter rationem entis obtineant. Vnde ob eiuſmodi tranſcẽdentiam cõceptus entis nõ poteſt dici propriè vniuocus.

Confirmatur, nam ideo animal dicitur vniuocè de homine & equo, quia cùm non includatur formaliter in differentiis, non afficitur per ſe earũ inæqualitate, adeoq; omnino ęqualiter, & ſecundũ eandem rationẽ ab homine & equo participatur. At verò ens includitur formaliter in differentiis ſuorum inferiorum, quare cùm illæ differentiæ ſint inæquales, etiam in ratione entis, hinc fit vt ratio entis eodem modo prædicari non poſſit de ſuis inferioribus, ac proinde non ſit vniuoca.

Obicies, vnica & eadem eſt ratio abſtracta entis in communi, ergo id ſufficit ad vniuocationẽ entis; eſto ratio illius non eodem modo in contractione participetur. Sequela patet, quia aliàs ſequeretur gradum communem animalis non eſſe vniuocum, cùm certum ſit hominem eſſe animal longè nobilius quocunque bruto. Reſpondeo diſtinguendo antecedens, licèt enim communis ratio entis vtcunque ſit eadem, vt ſuprà explicatum eſt, non tamen in ſenſu ab obijciente intento, ita ſcilicet vt ratio illa ſit adæquatè participabilis ab omnibus

entibus; cùm enim ens transcendat omnes differentias rerum, inter quas maxima, imo infinita reperitur inæqualitas perfectionis, hinc fit vt ens non vno modo, sed variis & infinitè inæqualibus sit participabile à suis inferioribus.

Nec idem dici potest de animali, quia licèt homo sit animal nobilius bruto, ille nobilitatis excessus non oritur formaliter ex animalitate quæ in illo est, sed ex coniunctione & identitate animalitatis cum rationalitate, quæ neque in suo conceptu includit animal, neque ab eo includitur. Vnde præcisè & formaliter loquendo, homo in quantum animal, non est quid nobilius cane, vel equo, cùm vt sic nihil aliud habeat quàm quòd sit corpus animatum sentiens, sicut & brutum quodlibet. At differentiæ entium sunt entia præcisè & formaliter; quare cùm, vt differentiæ, sint inter se inæquales, hinc sequitur quòd etiam in ratione formali entis, inæqualitatem habeant; ac proinde ens non sit vniuocum respectu suorum inferiorum, sicut animal est vniuocum per ordinem ad hominem & brutum.

Quæritur 3. vtrum ens sit analogum respectu Dei & creaturarum. Respondeo affirmatiuè, quod ex iam dictis sufficienter colligitur; nam cùm ostensum sit ens neque esse purè æquiuocum, neque etiam proprie vniuocum, per ordinem ad Deum & creaturas; hinc euidenter sequitur illud esse analogum per eiusmodi respectum.

Confirmatur, nam ille gradus communis ex communi sententia censetur analogus, qui partim eodem modo, partim diuerso inferioribus suis communicatur: atqui ens communicatur Deo & creaturis, partim eodem modo,

partim diuerso; eodem, quatenus non tantum Deus est ens, sed etiam creaturæ veram & minimè fictitiam entis rationem participant; diuerso, quatenus creaturæ in ratione entis essentialiter dependent à Deo, & ab illius perfectione infinitè distant. Quare ens est analogum respectu Dei, & creaturarum.

Obiicies, vt aliquid sit propriè analogum, requiritur vt ratio per nomen significata sit partim eadem, partim diuersa; at ratio per nomen entis præcisè significata non est partim eadem, partim diuersa, respectu Dei & creaturarum; Ergo ens non est propriè analogum sub eo respectu. Respondeo distinguendo maiorem, non enim requiritur ad veram analogiam, quod ratio per nomen significata sit partim eadem, partim diuersa in actu signato, seu quatenus præcisè obiicitur intellectui eam speculanti; sed sufficit quod talis sit in actu exercito, seu quatenus ratio illa iam concipitur vt contracta ad sua inferiora; quomodo ens habet diuersitatem illam quę requiritur ad analogiam, vt satis probatum est.

Dubitatur autem qualis sit hæc analogia. Respondeo 1. posse dici analogiam inæqualitatis, cùm enim vniuoca dicantur quæ æquè primò, & eo sensu æqualiter sua inferiora respiciunt; ea possunt dici vice versa analoga inæqualitatis, quæ non æquè primò ad inferiora referuntur; cuiusmodi est ens, vt visum est.

Respondeo 2. posse etiam dici analogiam attributionis, non quidem ita vt forma significata sit intrinsecè in Deo duntaxat, in creaturis verò sola denominatio extrinseca ad illam formam; siquidem creaturæ omnes rationem entis essentialiter participant: sed ita vt forma significata nomine entis, à creaturis participetur

dependenter à Deo. Verum hæc analogia non distinguitur reipsa à præcedenti, vt ex vtriusque expositione intelligi potest.

Respondeo 3. non nullos existimare hic quoque contingere analogiam proportionis, seu proportionalitatis, quatenus sicut se habet Deus ad suum esse, ita creatura ad suum. Verùm hanc non esse propriam analogiam proportionalitatis inde patet, quia proportio illa habitudinum etiam vniuocis cõpetere potest: dicimus enim equum ita se habere ad suam animalitatem, sicut homo se habet ad suam, & ita de alijs.

Quare vt vera sit analogia proportionalitatis, necesse est vt alterum membrum non sit tale absolutè & in se, sed respectiuè, & vt confertur cum alio; quomodo pes est analogum proportionalitatis, quia pes montis vel scamni non est propriè pes, sed habet rationem pedis per proportionẽ, quatenus confertur cum pede animalis. Sic autem perspicuum est ens non esse analogum respectu Dei & creaturarum; quia licèt creaturæ à Deo esse acceperint, non tamen dicuntur existere per habitudinem ad existentiam Dei, sed absolutè per propriam existentiam quam in se habent.

Quæritur 4. quomodo ens se habeat respectu substantiæ, & accidentis. Respondeo ens sub eo respectu non esse æquiuocum, nec vniuocum, sed analogum. Non quidem æquiuocum, cùm substantia & accidens sint entia vera & realia. Non etiam vniuocum, eo quòd ratio entis non competit accidenti nisi dependenter à substantia, quò fit vt vulgò non tam ens, quàm entis ens appelletur. Quare superest vt ob eiusmodi dependentiam sit analogum attributionis, vt ex dictis intelligi potest.

Nec dicas accidens non pendere à substantia præcisè in ratione entis, sed tantùm in ratione talis entis, accidentis scilicet quod exigit subiectum cui inhæreat. Nam contra hoc est, quia accidens est formaliter ens inhærens, adeoque inhæret in ratione entis, & cùm inhærentia formaliter dicat dependentiam, hinc sequitur accidens esse dependens in ratione entis. Confirmatur, quia accidens vel dependet per nihil, quod dici non potest, vel per aliquid, ac proinde per rationem entis.

Et quamuis ratio dependentiæ non concluderet analogiam entis respectu substantiæ & accidentis, transcendentia tamen eam efficaciter euinceret; quia cùm ens transcendat differentias substantiæ & accidentis, & in ijs intime imbibatur; sicut differentia substantiæ est perfectior differentia accidentis, ita ratio entis perfectiùs in substantia reperitur quàm in accidente, sicque analogicè de ijs dicitur.

Quæritur 5. quomodo ens se habeat respectu entis realis, & rationis. Respondeo se habere æquiuocè, quia æquiuoca dicuntur quorum nomen commune est, ratio autem significata per nomen, omnino diuersa; at præterquam quod ens reale & ens rationis non omnino conueniunt in nomine, cùm illud absolutè dicatur ens, aut ens reale, hoc verò ens rationis appelletur; perspicuum est rationem nomine entis significatam non esse in illis eandem, imò esse planè diuersam, cùm ens reale veram entitatem significet, ens verò rationis entitatem ab intellectu confictam. Quare ens respectu illorum dicitur æquiuocè.

CAPVT II.

De essentia gradibusque rerum essentialibus.

ARTICVLVS PRIMVS.

De essentia rerum.

QVæritur 1. quid nomine essentiæ intelligatur. Respondeo nomen essentiæ ab esse, provt significat nudam rationem essendi in abstracto deductum fuisse, sicut sapiētia à sapere; vulgò tamen apud Philosophos significare rationem primam, qua res in tali specie vel gradu entis constituitur, & ab alijs distinguitur, quæque est radix reliquorum.

Vnde idem significari solet nominibus essentiæ, quidditatis, naturæ, & rationis formalis. Nam essentia est id quo res constituitur in tali genere vel specie entis: quidditas sumitur vel pro definitione qua explicatur rei essentia, vel pro ipsa essentia quatenus per illam respondetur cum quæritur, quid res sit; natura sumpta abstractè, provt competit rebus etiam non materialibus, est ipsamet essentia quatenus est principium proprietatum, & operationum; ratio verò formalis significat rei essentiam secundum prædicta propria per quæ constituitur, & ab alijs distinguitur.

Quo loco aduerte 1. essentiam non posse propriè definiri à priori, cùm sit primum quod in vnaquaque re concipi debet: quo fit vt tan-

tùm à posteriori possit describi, nempe vel per ordinem ad proprietates & operationes, vt cum dicimus essentiam esse primam radicem à qua passiones emanant; vel per respectum ad conceptum nostrum, vt cùm dicimus essentiam esse id per quod res primò intelligitur constitui, vel quod per definitionem explicatur.

Aduerte 2. essentiam variis modis posse diuidi, vt alia sit actu, alia potestate; alia sit substantialis, alia accidentalis; alia sit simplex, alia composita. Essentia actu dicitur quæ actu existit; potestate quæ potest existere; substantialis quæ substantiæ, accidentalis quæ accidenti competit; simplex quæ nullam compositionem admittit, composita quæ aliquam.

Quæritur 2. an essentia habeat proprium quoddam esse actuale seclusa existentia, seu etsi actu non existat, nimirum antequam actu existere incipiat, & postquam desiit existere; an v. c. dici possit reperiri in rerum natura esse actuale essentiæ hominis nondum geniti, illudque esse permanere etiam post mortem talis hominis, adeo vt ipsius essentia sit semper & inuariabiliter, idque ab æterno, & omnino independenter à Deo.

Nonnulli affirmant, sed periculosè & sine fundamento, quia quouis modo explicetur illa æternitas essentiarum, profectò non vacat periculo erroris affirmare, dari aliquam entitatem actualem distinctam à Deo, & ab eo independentem; cùm à Catholicis nulla vera entitas agnoscatur media inter creatorem & creaturam, ac proinde essentia quæcunque actualis vel sit Deus, vel à Deo dependeat.

Deinde ille haud dubiè erraret qui assereret, hominem quoad esse actuale existentiæ non pendere à Deo, vt omnes fatentur; ergo & ille

errat qui asserit hominem à Deo non pendere, quoad esse actuale essentiæ; sequela patet, nam ideo ille erraret, quia affirmaret dari in rerum natura aliquod esse actuale independẽs à Deo; at iste idem affirmat, ergo similiter errat. Imò illius error videtur peior errore alterius, quia si essentia est ex se entitas actualis, seclusa existentia, cùm aliunde entitas essentiæ sit nobilior entitate existentiæ, eò quòd existentia debet concipi saltem in ea sententia, tanquam modus aliquis adueniens essentiæ, ille sanè turpius errare videtur qui agnoscit essentiam actualem à Deo independentem, quàm qui talem independentiam existentiæ actuali tribuit.

Eò vel maximè, quia homo posset sine mendacio affirmare, se propriam & actualem essentiam à se solo habere, nec nisi modum existendi teneri Deo acceptum referre; quod sanè parum cum pietate & fide Catholica congruit. Cùm negari non possit essentiam cuiuslibet creaturæ esse creaturam, & non solùm de existentia, sed de quidditate & essentia creaturæ sit esse dependenter à creatore.

Vt hoc incommodum caueatur, dicunt aliqui, omne esse creaturarum dependere à Deo, sed cum discrimine: esse enim existentiæ dependet à Deo vt à causa efficiente, esse verò essentiæ pendet ab illo vt à causa exemplari; quia per suam cognitionem tribuit cuilibet essentiæ esse quidditatiuũ & intelligibile. Verùm hoc gratis dicitur, quia res non dependent ab intellectu diuino nisi adiũcta voluntate, & omnipotentia per quã ad extra operatur; quia aliàs rerũ essentiæ essent actu dependentes à Deo sine dependentia ab illius voluntate, sicq; Deus ex necessitate naturæ tribueret esse quidditatiuũ & intelligibile rerũ essẽtiis; quod

planè absurdum est, & admitti non debet. Quare dicendum essentias rerum à Deo eatenus tantùm dependere, quatenus ab illo in tempore accipiunt actualem existentiam.

Tandem illa essentiarum æternitas refellitur, quia ex ea sequeretur nihil à Deo posse creari: Siquidem creari est produci è nihilo, at nihil produceretur in tempore è nihilo, si essentia cuiusque rei iam actu esset ab æterno; vnde etiam sequeretur nihil posse in nihilum redigi, quia post rei destructionem illæsa maneret tota illius essentia. Confirmatur, nam illud non creatur quod fit ex præsupposito subiecto, neque illud annihilatur quo destructo, illius subiectum remanet; ergo à fortiori si tota essentia præcedit rei productionem, & illius corruptionem sequitur, nihil dici potest creari, vel annihilari. Ista autem non bene cohærent cum fide Catholica, quæ docet Deum in principio creasse, id est è nihilo produxisse cœlum & terram, & eadem facilitate qua creaturas è nihilo eduxit, posse illas in nihilum reducere.

Obijcies 1. scientiæ versantur circa rerum essentias, vt præcisas ab existentia, & sunt de obiectis realibus; ergo essentiæ antequam existant, sunt aliquid reale. Respondent aliqui scientias esse de obiectis realibus vel actu vel potestate, essentias autem non existentes esse reales potestate, quod ad scientiam realem sufficit. Verùm etsi simpliciter concedatur rerum essentias esse quid reale antequam existant; inde non sequitur eas habere tunc esse reale actu, vt arguentes existimant. Quod vt clariùs percipias,

Nota aliquod discrimen posse constitui inter entitatem realem actu, realem potestate,

& realem ab actu & potestate præcisam; ita vt dici possit essentiam vt existentem, esse entitatem realem actu, vt non existentem, esse entitatem realem potestate; at verò secundum se in ratione essentiæ, præscindendo ab existentia, & à negatione existentiæ, posse dici simpliciter & sine addito entitatem realem, seu ens reale; quomodo qui dicit hominem, animal, viuens, corpus, substantiam, &c. dicit ens verum & reale, non autem chimericum & ab intellectu effictum.

Instabis, essentia non alio titulo est ens reale antequam existat, nisi quia potest realiter existere, at hæc potentia dicit aliquam entitatem actualem in qua fundatur. Respondeo minorem falsam esse, si potentia illa attendatur ex parte ipsius essentiæ, quia sic consistit in mera illius non repugnantia ad existendum; aliunde tamen connotat realem entitatem, nimirum ex parte Dei potentis essentiæ conferre actualem existentiam.

Obijcies. 2. si essentia antequam existat, non esset actu, esset non ens, adeoque numquam posset existere, quia repugnat vt quod est non ens, fiat ens. Respondeo 1. hoc argumentum posse retorqueri, quia si essentia est ens antequam existat, non potest fieri ens; cùm repugnet rem aliquam fieri id quod iam est. Respondeo 2. negando consequentiam, nam etsi essentia antequam existat, non sit ens actuale, est tamen ens possibile, ac proinde fieri potest ens actu existens. Vnde illud obseruandum est discrimen inter chimeram, & Antichristum futurum, quod chimera quia est merum non ens & actu & potestate, non potest per vllam potentiam fieri ens; at verò Antichristus fieri potest ens, quia est ens potestate, etsi non actu.

Neque aliter poſsunt reſpondere aduerſarij, ſi hoc ipſum argumentum retorqueatur contra illos, quatenus fatentur produci de facto exiſtentiam quæ ante non erat; dicent enim exiſtentiam antequam producatur, eſse non ens actu, poteſtate verò eſse ens, ſicque per productionem fieri ens actu.

Obijcies 3. eſsentiæ rerum ſunt planè immutabiles, etiam reſpectu Dei, cùm Deus nequeat efficere v. c. vt homo non ſit animal rationale; ergo habent aliquod eſse independens à Deo, ac proinde æternum, minimeque generationi, vel interitui obnoxium. Reſpondeo eſsentias rerum tripliciter poſse conſiderari 1. quoad eſse actuale, quomodo neceſsariò dependent ab influxu Dei, ſine quo repugnat eſse aliquid actu extra Deum. 2. quoad eſse mere poſſibile, idque vel abſolutum & intrinſecum, quod conſiſtit in non repugnantia ad exiſtendum, quæ cùm ſit negatio, à Dei influxu dependere non poteſt; vel reſpectiuum & extrinſecum conſiſtẽs in denominatione extrinſeca à cauſa potente rem producere, quomodo poſſibilitas creaturarum pendet à Deo, ſeu potiùs inuoluit potentiam Dei vt ad illas terminatam, eò quòd creaturas ſic eſse poſſibiles nihil eſt aliud quàm Deũ habere potentiam ens producendi. 3. ſine ordine ad exiſtentiam & actualitatem, attendendo tantùm ad prædicata quæ illis neceſsariò conueniunt, quâ ratione præcisè à Deo non pendent; verùm cùm ſic nihil ſint actu, inde non poteſt colligi dari actu aliquod eſse eſsentiæ æternum; & à Deo independens, vt falsò contenditur; ſed tantùm eſse neceſſariam connexionem inter prædicata rei eſsentialia, ita vt nequeat v. c. eſse

homo, quin ſit animal rationale.

Quòd ſi inſtes, verum eſse ab æterno hominem eſse animal rationale, ac proinde eſsentiam hominis habere aliquod eſſe actuale ab æterno. Reſpondeo negãdo id ſequi, nam non ideo verum eſt ab æterno hominem eſſe animal rationale, quòd hominis eſſentia ſit actu ab æterno; ſed quia Deus videt ab æterno eſſe cõnexionem neceſſariam inter hominem & animal rationale, ita vt homo nequeat exiſtere, aut definiri, aut concipi, quin exiſtat, aut definiatur, aut concipiatur animal rationale.

ARTICVLVS II.

Qualiter ſe habeat exiſtentia creaturarum ad earum eſſentiam.

Reſpondeo & Dico 1. *Exiſtentiam creaturarum non diſtingui realiter ab earum eſſentia.* Probatur 1. nam eſſentia non eſt ens actu niſi per exiſtentiam, at eſſentia per ſe ipſam eſt ens actu, ergo & per ſeipſam exiſtit; adeoque eſſentia & exiſtentia non ſunt duæ entitates actu & realiter diſtinctæ. Maior patet ex dictis: minor oſtenditur, nam eſſentia cùm antea eſſet ens tantùm in potentia, ſit ens actu per productionem terminatam ad illam; ergo res exiſtit per actualem entitatem ſuæ eſſentiæ, ac proinde exiſtentia creaturæ non diſtinguitur realiter ab illius eſſentia.

Confirmatur, tum quia vt duo realiter diſtinguantur, quodlibet debet eſſe ens actu ſine alio; ſi enim vnum nihil eſt niſi per aliud, præter ipſum nihil eſt, ac proinde ab eo non di-

ſtinguitur: Atqui eſsentia non eſt ens actu ſine exiſtentia, vt probatum eſt, ergo ab illa realiter non diſtinguitur. Tum quia eò ipsò eſsentia intelligitur exiſtere, quo illius entitas ponitur extra nihil, & conſeruatur in rerum natura. Quare exiſtentia non eſt aliqua realitas diſtincta ab actuali entitate eſsentiæ.

Probatur 2. nam ſi exiſtentia creaturæ diſtinguitur realiter ab illius eſsentia, ergo ſe habet ad illam tanquam forma quædam illius, adeoque exiſtentia reſpicit eſsentiam tanquam ſubiectum in quo recipitur. Hoc autem planè repugnat, quia non poteſt eſsentia exercere officium ſubiecti erga exiſtentiam, quin iam exiſtat in ſe; at exiſtere nequit antequam habeat exiſtentiam, ergo fieri non poteſt quòd exiſtentia realiter diſtinguatur ab eſsentia.

Confirmatur, nam cùm natura quæ producitur, dicatur accipere exiſtentiam, ſi exiſtentia realiter diſtinguitur à natura producta, neceſse eſt vt hæc exiſtat antequam accipiat exiſtentiam, cùm repugnet id quod non exiſtit, recipere in ſe aliquid realiter à ſe diſtinctum, vt inductione manifeſtum eſt in omnibus ſubiectis quæ aliquam formam, realiter à ſe diſtinctam, recipiunt.

Probatur 3. nam ſi exiſtentia ab eſsentia realiter diſtinguitur, poterunt illæ diuinitus ſeparatim exiſtere & conſeruari; adeoque poterit hominis eſsentia conſeruari ſine exiſtentia hominis, & vice verſa poterit hominis exiſtentia conſeruari ſine eſsentia hominis; hoc autem quis non videt eſse omnino abſurdum & impoſſibile? ſi enim conſeruaretur eſsentia hominis ſeparata, verè homo exiſteret, quia conſeruatio tendit ad continuandam rei exiſtentiam;

& tamen ex hypothesi non existeret, quia conseruaretur separatus à propria existentia. Aliunde vero si existentia hominis conseruaretur separata ab essentia illius, posset dici dari existentiam hominis, & non existere hominem, cùm nequeat homo existere sine hominis essētia; quæ & similia adeo per se ridicula sunt, vt vlteriori refutatione non indigeant.

Obijcies 1. non potest eadē realis entitas esse simul dependens & independens, necessaria & contingens, & habere alias cōditiones oppositas: essentia autem & existentia sic se habent, nam illa est independens à causa effectiua, hæc dependens; illa est necessaria, hæc contingens; illa est æterna, hæc tēporalis, &c. ergo essentia & existentia distinguuntur realiter. Respōdeo minorem distinguendam esse, essentia enim vt ens actu, est dependens & contingens, nō secus ac existentia; vt autē abstracta per intellectum ab actualitate essendi, est indepēdens & necessaria in sensu superiùs explicato; ex quo ad sūmum sequitur, existentiam ab essentia ratione distingui. Et sanè cùm distinctio rationis sufficiat vt dicamus, Deū intelligere per intellectū, non per voluntatē; amare per voluntatem, non per intellectū; punire per iustitiam, non per misericordiam; parcere per misericordiam, non per iustitiam, esto intellectus, voluntas, iustitia, & misericordia in Deo sint eadē realis entitas simplicissima; mirū non est quòd nōnulla dicātur de essētia vt sic, quæ de existētia enūciari nō possunt, etsi nō distinguantur inter se realiter.

Obijcies 2. quod recipit aliquid, distinguitur ab illo realiter; atqui in creatis essentia recipit existentiam, ergo distinguitur ab illa realiter. Maior per se patet, & paulò ante à nobis probata est, minor verò ostenditur, quia cùm crea-

tura non habeat esse à se, habet illud ab alio receptum. Respondeo 1. hoc argumentum posse retorqueri in arguentes, ipsa enim entitas essentiæ etiam vt ponitur ab ipsis distincta ab existentia, est entitas creata, sicque non habet esse à se, sed à Deo receptum; quare inquiri potest an intra ipsam entitatem essentiæ distingui debeant duæ entitates, quarum altera sit recipiens, altera recepta, an non: si affirmant, sequitur in qualibet entitate reperiri infinitas essentias, & infinitas existentias, quod absurdū est: si verò negent, & consequenter fateantur eandē entitatem essētiæ esse receptā, hinc colligere poterunt quàm inane sit argumentū ex ea receptione sumptum, ad realiter distinguendam essentiam ab existentia. Itaque

Respondeo 2. distinguendo maiorem, quod recipit aliquid vt in subiecto, distinguitur ab illo realiter, concedo; quòd recipit aliquid vt ab alio, nego. Vnde ad minorē, essētia recipit existentiam, ita vt essentia sit subiectū, & existētia sit forma in ea recepta, nego; ita vt essentia à Deo producatur, & fiat actu existēs, cōcedo. Ex quo non sequitur essētiam distingui realiter ab existentia, sed tātū nō habere à se quod existat.

Instabis, si existentia nō reciperetur in alio vt in subiecto, esse creaturæ esset irreceptum, & consequenter infinitum, quod repugnat: sequela patet; quia cū formæ limitatio oriatur à subiecto, quæ in nullo est subiecto, debet esse illimitata & infinita. Respondeo negando maiorem, nam quamuis existentia creaturæ nō sit in subiecto à se realiter distincto, sicque non sit esse receptum in alio, est tamen esse receptum ab alio, nempe à Deo; quod sufficit vt sit esse finitum & limitatum. Aliàs dicendū esset contra arguentes, etiam ipsum esse essentiæ, quod di-

ſtinguunt ab eſse exiſtentiæ, eſse infinitum & illimitatum; cum veriſimiliter affirmare non poſſint illud recipi in aliquo ſubiecto.

Vnde ad probationem ſequelæ dicimus, limitationem formæ non oriri ex ſolo ſubiecto; ſiquidem accidentia Euchariſtiæ ſunt æquè limitata ac antea, etſi nulli ſubſtantiæ inhæreant: quia etiam in eo ſtatu ſeparationis, cùm pendeant eſsentialiter à Deo, habent rationem entis participati, proindeque finiti & limitati. Hæc autem limitatio poteſt oriri extrinſecè à Deo, tum vt à cauſa efficiente, quatenus tantam tribuit effectui perfectionem, non maiorem, vel minorem: tum vt à cauſa exemplari, quatenus res producitur iuxta perfectionis menſuram, quæ in ideis diuinis exprimitur. Oritur etiam limitatio illa vt à cauſa formali & intrinſeca, ab ipſa entitate creaturæ, quatenus in ſe tot perfectionis gradus non plures, vel pauciores includit.

Obijcies 3. quod eſt indifferens ad aliquid, & ad oppoſitum eius, non eſt idem realiter cum illo: atqui eſsentia creaturæ eſt indifferens ad exiſtentiã, & non exiſtentiam, cũ poſſit exiſtere, & non exiſtere: ergo non eſt idem realiter cum illa. Reſpondeo minorem falſam eſse, ſi intelligatur de eſsentia vt eſt ens actu, quomodo de ea hic agimus quando inquirimus, an habeat entitatem diſtinctam realiter ab entitate exiſtentiæ. Nam ſic clarum eſt eſsentiã non eſse indifferentẽ vt exiſtat, vel non exiſtat, ſed neceſſario exiſtere, & ſi non exiſtit, ipſam quoque quoad totam ſuam entitatẽ actualẽ deſtrui, & tantùm remanere obiectiuè, & per mentem. Vnde exiſtimandum non eſt manere eandem entitatem realem & actualem eſsẽtiæ ſub exiſtentia, & ſub negatione exiſtentiæ, ſicut v. g.

manet eadem aqua sub frigore, & sub calore: aqua enim est substantialiter aqua, siue sit frigida, siue calida; essentia verò cùm non existit, nullam habet entitatem actualem, quæ tali negationi subesse possit, & qua abiecta existentiam recipiat.

Obijcies 4. humanitas Christi habet propriam essentiam, non autem propriam existentiam, cùm existat per existentiam Verbi: ergo essentia & existentia realiter differunt. Respondeo humanitatem Christi habere propriam existentiam per quam est ens actu, & extra suas causas constituta; subsistere autem per subsistentiam verbi, vt ex communi sententia dictum est in Idea Theologiæ speculat. lib. 2. cap. 11. Resol. 2.

Instabis, humanitas Christi inexistit Verbo, ergo existit per existentiam Verbi. Respondeo non sequi, siquidem inexistere alteri non est existere per existentiam illius, sed existere dependenter ab illo, vt patet in accidente quod etsi habeat propriam existentiam realiter distinctam ab existentia subiecti cui inhæret, dicitur tamen illi inexistere, quia existit dependenter ab illo, vt à subiecto materiali à quo sustentatur. Ita ergo licet humanitas Christi propriam habeat existentiam, non immeritò dicitur inexistere Verbo; quia existit dependenter ab illo, non vt à subiecto materiali; cùm nec ipsa sit accidens, nec Verbum possit se habere instar subiecti materialis in quo aliquid informatiuè recipiatur; sed tanquam à supposito à quo substantialiter terminatur & completur, in defectum propriæ & connaturalis subsistentiæ.

Dico 2. *Existentiam in creatis aliquo modo dis-*

ſtingui per rationem ab eſſentia. Probatur, quia ea aliquo modo diſtinguuntur per rationem, quorum vnum poteſt cognoſci ſine alio explicitè cognito: at eſsentia rerum creatarum poteſt concipi ſine exiſtentia explicitè cognita, vt cùm concipimus hominem vel equum, nihil cogitando expreſsè de illius exiſtentia, & conſiderando tantum prædicata eſsentialia quæ illi competunt.

Vnde illud eſt diſcrimen inter eſſentiam Dei & creaturæ, quòd eſſentia Dei non poteſt bene concipi niſi illius exiſtentia explicitè intelligatur; eſſentia verò creaturæ poteſt concipi, etſi illius exiſtentia animo non obuerſetur. Et ratio diſcriminis ex eo ſumitur, quia Deus eſt ens omnimodè neceſſarium, nec poteſt non exiſtere, adeoque eſſentia illius non poteſt verè & adæquatè intelligi, niſi concipiatur vt ens actu exiſtens: creatura verò cùm ſit ens contingens quod poteſt eſſe, vel non eſſe, rectè concipi poteſt quoad eſſentiam, etſi de illius exiſtentia nihil cogitetur.

Eſt autem difficultas, quomodo intelligenda ſit hæc diſtinctio rationis, an ex parte modi intelligendi dumtaxat; an verò etiam ex parte conceptus obiectiui. Non pauci vtramque diſtinctionem admittunt, ita vt velint exiſtentiam ſe habere non modo ex parte conceptus formalis, ſed etiam ex parte conceptus obiectiui, ſeu obiecti vt cogniti, per modum cuiuſdam formalitatis diſtinctæ à formalitate eſſentiæ, quarum vna non includatur in alia; ſicut exempli gratia, animal & rationale in homine ſunt duæ formalitates, quarum neutra eſt de conceptu alterius, vt libro præcedenti dictum eſt.

Hæc tamen ſententia, etſi communior in ſcholis, non caret difficultate, quia tanta eſt connexio inter eſſentiam & exiſtentiam, vt eſſentia poſſibilis nihil aliud ſit quàm eſſentia quæ poteſt exiſtere, & eſſentia actualis idem planè ſit ac eſſentia quæ actu exiſtit. Quò fit vt conceptus eſſentiæ quouis modo ſumatur, à conceptu exiſtentiæ proportionato obiectiuè præſcindere non poſſit.

Confirmatur, quia nulla eſt formalitas in re exiſtente, quæ in illa non præfuerit dum eſset poſſibilis, neque vlla erat in ea formalitas poſſibilis antequam exiſteret, quæ in illa non exiſtat poſtquam producta eſt. Vnde ſequitur eundem eſse planè conceptum eſſentiæ, & exiſtentiæ ſe tenentem ex parte obiecti; quia aliàs quædam formalitas reperiretur in vno rei ſtatu, quæ non eſset in alio.

Hinc autem collige, ex eſsentia & exiſtentia creaturarum non reſultare propriè compoſitionem rationis; quia ſicut compoſitio realis reſultat ex duabus entitatibus realiter diſtinctis ex parte obiecti, ita compoſitio rationis reſultat ex duabus formalitatibus obiectiuis, quæ inter ſe vniuntur ad vnum quid conſtituendum. Talis autem compoſitio non poteſt oriri ex eſsentia & exiſtentia, cùm non diſtinguantur ex parte obiecti, ſed tantùm ex parte modi cognoſcendi, vt oſtenſum eſt.

ARTICVLVS III.

Quomodo se habeant inter se gradus rerum essentiales.

PRæmoneo rerum esſentiam non ita esſe indiuiſibilem, quin conſtet varijs gradibus intrinſecis, è quorum vno veluti aſcenditur ad alium tanquam ab inferiori ad ſuperiorem, vt patet in homine in quo eſt gradus animalis, viuentis, corporis, ſubſtantiæ, & entis. Dubitatur ergo quomodo ſe habeant inter ſe gradus illi qui vulgò esſentiales appellantur, imò & Metaphyſici, quia ſunt conſiderationis abſtractæ & Metaphyſicæ; an ſcilicet diſtinguantur realiter, an verò tantùm per rationem.

RESPONDEO & dico 1. *Gradus esſentiales naturæ alicuius inter ſe non diſtingui realiter.* Probatur 1. quia nulla eſt neceſſitas admittendi talem diſtinctionem, vt patebit ex ſolutione argumentorum; ergo admitti non debet. Sequela oſtenditur ex vulgari illo Philoſophorum proloquio, *non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate.*

Probatur 2. Nam ſi gradus esſentiales realiter diſtinguerentur, poſſent à ſe inuicem ſaltem diuinitus ſeparari, & ſeparatim exiſtere; hoc autem fieri nequit, quia repugnat quòd homo non ſit animal, quòd animal non ſit viuens, quòd viuens non ſit corpus, quòd corpus non ſit ſubſtantia, quod ſubſtantia non ſit ens, & ita de alijs: Ergo gradus esſentiales non diſtinguuntur inter ſe realiter.

Confirmatur, nam in creatis non possunt assignari entitates aliquæ realiter distinctæ, quæ non possint etiam virtute diuina separari ab inuicem; ergo cùm gradus essentiales à se mutuo auelli nequeant, gratis ponitur realis distinctio inter illos. Dico in creatis, nam personæ diuinæ etsi nequeant à se separari, quia habent eandem naturam, aliunde tamen præbent sufficiens fundamentum distinctionis realis, eò quòd Pater producit Filium, & vterque Spiritum S. cùm nihil seipsum producere possit. Hoc autem non habet locum in gradibus essentialibus, quò fit vt nulla sit ratio eos distinguendi realiter, cùm sint inseparabiles.

Probatur 3. quia si ponenda est distinctio realis inter gradus Metaphysicos, maximè inter genus & differentiam, quia hæc magis inter se distare videntur: at neque inter istos gradus constituenda est realis distinctio, ergo nec inter alios. Minor suadetur, nam v. c. ratio substantiæ in Angelo est ex se, & seclusa alia quacunque entitate, spiritualis, cùm totum esse Angeli sit omnino independens à corpore, & ex natura sua spirituale; quare cum substantia Angeli contrahitur ad esse spiritus, per differentiam spiritualis, hæc contractio non fit per entitatem aliquam à substantia Angeli realiter distinctam. Et similiter ratio substantiæ in ligno est ex se corporea, cùm quidquid est in ligno pendeat intrinsecè à materia; quò fit vt cùm dico, lignum esse substantiam corpoream, hæc differentia per quam substantia ligni contrahitur ad esse corporis, non addat aliquam realitatem supra rationem substantiæ ligni.

Probatur 4. gradus communes non distin-

guuntur realiter in indiuiduo à differentia indiuiduali, seu à singularitate, vt ex eo manifestum est, quod natura Petri necessariò est singularis per suam propriam entitatem, etiam seclusa quacunque entitate ab ea realiter distincta: aliàs enim natura cuiuslibet indiuidui esset realiter communis, quod longè magis absurdum est quàm admittere vniuersale Platonicum in rebus. Posita autem reali identitate attributorum communium cum singularitate, concedenda necessariò est realis identitas inter ipsa attributa communia; tum quia in creatis quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se; tum quia nulla est ratio cur vnum attributum essentiale distinguatur realiter ab alio, si omnia sunt indistincta à differentia indiuiduali.

Dico 2. *Admittendam esse quandam distinctionem rationis inter gradus Metaphysicos, hancque sufficere ad saluanda quæcumque de eorum distinctione afferri solent.* Prior pars facilè ab omnibus admittitur, constat enim nos aliter in Petro concipere rationem Petri, seu petreïtatem, aliter rationem hominis, aliter rationem animalis, viuentis, corporis, substantiæ, entis. Quare etsi hæc omnia attributa sint vna simplex natura Petri, ea per varios actus intellectus cognoscimus, ac si essent distincta à parte rei, sicque illa per rationem distinguimus.

Confirmatur, nam ea distinguuntur ratione, quorum vnum potest concipi & definiri sine alio; at possumus concipere Petrum sub ratione entis, vel substantiæ, etsi eum non concipiamus explicitè sub ratione hominis, vel animalis vt experientia constat. Possumus

etiam illum definire sub aliqua ex ijs rationibus, & non sub alijs; vt si dicamus eum in quantum substantiam esse ens per se subsistens, inquantum animal esse corpus animatum sentiens, in quantum hominem esse animal rationale. Ergo id plusquam sufficiens est vt constituamus distinctionem rationis inter gradus essentiales rei creatæ.

Posterior pars ostenditur, quia rationes quæ proferri solent ad stabiliendam distinctionem realem inter gradus essentiales creaturæ, ad summum ostendunt ponendam esse distinctionem rationis inter illos, vt patebit ex solutione obiectionum, potestque efficaciter confirmari ex eo quòd eædem aut similes rationes æquè habent locum in attributis diuinis, inter quæ tamen nulla est distinctio realis, vt fides docet, potestque intelligi ex dictis in Idea Theologiæ speculat. lib. 1. ca. 2.

Obijcies 1. non pendere à conceptu nostro quòd alia sit ratio formalis sensitiui in homine, alia rationalis, &c. sed illi conuenire à parte rei, vt ex eo patet, quòd sensitiuum reperitur interdum à parte rei sine rationali, nempè in bruto. Respondeo majorem negandam esse, nam etsi non pendeat à mente nostra quod homo sit sensitiuus & rationalis, pendet tamen ab ea quod alia sit in eo ratio sensitiui, alia rationalis; cum sensitiuum & rationale à parte rei in eo idem sint. Ad probationem verò illius dico, ea non concludi rationale & sensitiuum realiter distingui in homine, sed tantum rationale hominis reipsa distingui à sensitiuo bruti, quod vltrò admittimus.

Obijcies 2. homo per sensitiuum conuenit cum bruto, & per rationale ab illo differt,

idque à parte rei; at non poteſt vna ſimplex entitas eſſe ratio conuenientiæ, & diſtinctionis realis cum altera: ergo ſenſitiuum & rationale ſunt duæ entitates realiter diſtinctæ in homine. Reſpondeo minorem falſam eſſe, quando vna ſimplex entitas pluribus æquiualet, ita vt diuerſos effectus producat quorum vnus conueniat cum effectu alterius, alter verò ab eo diſcrepet, quomodo ſe res habet in propoſito: eadem quippe entitas hominis, vt eſt principium ſenſationum, conuenit cum bruto, in quo etiam ſunt ſenſationes; vt autem eſt principium ratiocinandi, ab illo diſcrepat, quia brutum non ratiocinatur. Et ſanè cùm omnes fateantur vnicam tantùm eſſe animam in homine, eamque realiter ſimpliciſſimam, neceſſe quoque eſt fateri eam eſſe principium radicale vegetandi, ſentiendi, & ratiocinandi; & conſequenter hominem conuenire cum plantis, & cum brutis, ſimulque ab iis diſcrepare per eandem entitatem, & formam ſimpliciſſimam.

Obijcies 3. ea quæ conſtituunt compoſitum, diſtinguuntur inter ſe; atqui genus & differentia conſtituunt compoſitum, nempè ſpeciem, ergo diſtinguuntur inter ſe. Reſpondeo ea quæ conſtituunt compoſitum, diſtingui inter ſe eo modo quo conſtituunt compoſitum; ita vt ſi realiter conſtituant, realiter diſtinguantur, ſi verò tantum per rationem conſtituant, per rationem diſtinguantur: Atqui genus & differentia non conſtituunt compoſitum realiter, ſed ad ſummum per rationem, quare hinc tantùm colligi poteſt ea inter ſe ratione diſtingui.

Contrà, Theologi vulgò non audent ponere

in

in Deo compositionem ex genere & differentia, quod indicio est eos existimare eiusmodi compositionem esse realem; si enim esset tantùm per rationem, nullo modo derogaret simplicitati, vel alteri perfectioni diuinæ, cum inter attributa diuina distinctio rationis, ex omnium sententia, constituatur. Respondeo compositionem ex genere & differentia reijci à Deo, non quòd sit realis, sed quia etsi sit tantùm per rationem, genus & differentia à se mutuo perfectè præscindunt, ita vt alterum sit omnino extra conceptum alterius, vt suprà probatum est: at non possunt in Deo assignari duæ rationes sic à se mutuo præscindentes. Et aliunde cùm repugnet plures esse Deos numero distinctos, repugnat etiam quod Deus vt sic sit species, & consequenter quod sit sub genere, vt diximus in Idea Theologiæ specul. lib. 1. cap. 3. Resol. 3.

ARTICVLVS IV.

De gradu singularitatis seu indiuiduationis.

PRæmoneo in indiuiduo v. c. naturæ humanæ, puta in Petro, duas rationes posse considerari, alteram communem, nempe naturam humanam vt à Petro, Paulo, aliisque hominibus singularibus abstractam; aliam singularem nempè differentiam indiuidualem per quam determinatur & contrahitur ad Petrum. Sicut enim genus per differentiam specificam contrahitur ad speciem, vt animal ad hominem per rationale; ita species contrahitur ad indiuiduum per differentiam indiuidualem, seu per singularitatem, de qua hic inquirendum est

quid addat supra naturam communem, an solam negationem, an vero aliquid positiuum, non quidem realiter distinctum ab illa, vt patet ex art. præcedenti, sed tantùm per rationem.

Respondeo & dico 1. *Differentiam indiuidualem non addere naturæ communi solam negationem, sed prætereà aliquid positiuum per quod res constituitur singularis.* Probatur, nam etsi indiuiduum idem sit ac non diuisum, adeoque includat tum negationem diuisionis à seipso, tum negationem identitatis cum quolibet alio ente; id tamen non sufficit ad constituendum singulare, primò quia singulare dicit talem naturam in se indiuisam, & diuisam à quacunque alia, v. c. Petrus dicit hanc humanitatem per quam est hic homo singularis in se indistinctus in plures homines, & distinctus à quouis alio homine; constat autem talem naturam, & hanc humanitatem dicere aliquam entitatem positiuam, quæ sit fundamentum negationis prædictæ.

Secundò, quia vnum indiuiduum non distinguitur ab alio per solam negationem, sed per propriam entitatem, quatenus entitas vnius non est entitas alterius: at differentia indiuidualis est id quo vnum indiuiduum distinguitur ab alio, ergo dicit aliquid positiuum. Tertiò quia productio terminatur ad rem singularem & indiuiduam, terminus autem productionis est realis & positiuus.

Dico 2. *Differentiam indiuidualem non esse collectionem talium accidentium quæ in alio non sint.* Probatur, tum quia etsi omnia accidentia mente præscindantur à subiecto, illud adhuc censetur idem numero ac antea; adeoque differentia numerica in ea congerie accidentium consistere non potest.

Tum quia indiuidua substantiæ ponuntur in

Categoria substantiæ, vt patet ex arbore Porphyrij; at in ea non ponerentur, si constituerentur in ratione indiuidui per collectionem accidentium.

Tum quia etsi illa accidentium collectio sufficeret ad indiuiduandam substantiam, adhuc inquirendum superesset per quid accidentia ipsa essent indiuidua & singularia.

Dico 3. *Differentiam indiuidualem non esse repetendam à causa productiua indiuidui.* Probatur, tum quia causa efficiens est extrinseca indiuiduo, adeoque non potest spectare ad intrinsecam constitutionem illius; at differentia indiuidualis spectat ad intrinsecam constitutionem indiuidui, sicut differentia specifica ad intrinsecam constitutionem speciei.

Tum quia res intelligitur indiuidua & singularis abstrahendo ab illius causa efficiente, satis enim concipimus Petrum esse hominem singularem ab alijs distinctum, etsi nihil de illius patre cogitemus. Imo Deïtas etsi causam nec habeat nec habere possit, est intrinsecè vna numero & singularis substantia. Tum quia homo generat filium à se numero & realiter distinctum, adeoque tribuit illius naturæ differentiam indiuidualem & numericam.

Dico 4. *Differentiam indiuidualem non consistere præcisè in existentia rei singularis.* Probatur, quia indiuiduum non potest concipi sine differentia indiuiduali, cùm ad intrinsecam illius constitutionem spectet: Potest tamen præscindi per mentem ratio indiuidui ab actuali existentia, cùm possimus cogitare de homine singulari vt singulari, etsi non cogitemus illum existentem, & Deus cognoscat distinctè infinitos homines singulares possibiles qui numquam existent: quare ratio indiuiduationis non potest consi-

ftere formaliter in rei exiftentia. Confirmatur, nam Categoriæ abftrahunt à rei exiftentia, & tamen indiuidua in Categoria directè collocantur, vt dictum eft.

Dico 5. *Differentiam indiuidualem fubftantiæ non effe fubfiftentiam, neque accidentium inhærentiam.* Probatur, nam fubftantia non definit effe fingularis, etfi præfcindatur fiue per mentem, fiue etiam realiter à propria fubfiftentia; vt patet in humanitate Chrifti quæ eft hæc fingularis, diftincta ab humanitatibus aliorum hominum, licet careat propria fubfiftentia. Contrà verò etfi eadem natura terminaretur pluribus fubfiftentijs, id non impediret quin effet vna numero & fingularis; quemadmodum vna eft natura diuina cum tribus fubfiftentijs. Conftat etiam accidentia nulli fubiecto inhærentia, qualia funt Euchariftica, habere propriam fingularitatem per quam conftituuntur, & ab alijs diftinguuntur.

Obijcies, differẽtia indiuidualis debet fumi ab vltimo actu rei, atqui vltimus actus fubftantiæ eft fubfiftentia, & accidentis inhærentia, ergo differentia indiuidualis in ijs conftitui debet. Refpondeo majorem abfolutè non effe veram, cum enim inquiramus hoc loco per quid gradus effentiæ vniuerfales fiant fingulares, confequenter agimus de illis præfcindendo ab eorum exiftentia, & à fortiori præfcindendo ab eorum fubfiftentia, vel inhærentia; qui funt quidam modi exiftentiæ, de quibus infrà agetur. Quare etfi effentiæ, vt eft in rerum natura, vltimus actus fit fubfiftentia, vel inhærentia, hinc non fequitur differentiam indiuidualem in ijs conftituendam effe.

Accedit quod cùm fubfiftentia & inhærentia poffint confiderari & in communi, & in fin-

gulari. semper explicandum superest quid addatur illis vt fiant singulares, seu quid dicat hæc subsistentia, & hæc inhærentia, supra subsistentiam, & inhærentiam in communi.

Dico 6. *Substantiam materialem non indiuiduari formaliter per quantitatem.* Probatur tum quia indiuiduum substantiale quoad suam entitatem est ens, & hoc ens singulare distinctum numero ab omnibus alijs entibus; at repugnat quod entitas substantialis constituatur intrinsecè per quantitatem, quæ est accidens; ergo etiam fieri nequit quod indiuiduatio substantiæ oriatur formaliter à quantitate. Confirmatur, quia aliàs indiuiduum substantiale non posset directè constitui in Categoria substantiæ, contra ante dicta.

Tum quia cùm quantitas sit coæua materiæ, & hæc sine illa numquam existat, sicut eadem materia successiuè reperitur in diuersis indiuiduis, ita & eadem quantitas; adeoque repugnat quod res sit indiuidua per quantitatem.

Confirmatur, quia cùm substantia alimenti transeat in substantiā alti, sequeretur illū qui carne vitulina nutritur, fieri idē numero indiuiduum cum vitulo; quod satis durum videtur.

Tum quia posset Deus duas substantias numero distinctas spoliare quantitate, easque sic conseruare, imò & creare, & tamen non coalescerent tunc in eandem numero substantiam, sed æque essent distinctæ ac anteà; ergo substantiæ materialis indiuiduatio nō sumitur à quātitate.

Tum denique quia vna quantitas distinguitur numero ab alia, quantitas v. c. Petri à quantitate Pauli, adeoque inquirendum superest per quid quātitates illæ indiuiduentur: si dicatur indiuiduari per seipsas, quærā cur etiam substantia per seipsā non indiuiduetur; cùm nō minùs

per suam entitatem sit hæc substantia, quàm quantitas per suam entitatē sit hæc quantitas.

Dico 7. *Substantiam materialem non indiuiduari formaliter per materiam signatam, seu stantem sub certis dimensionibus quantitatis.* Probatur tum quia eadem materia affecta eadem quantitate potest successiuè reperiri in diuersis rebus, non modo numero, sed etiam specie distinctis, vt patet ex Physica; ergo non potest materia signata esse principium indiuiduationis substantiarum materialium.

Tum quia autores sententiæ oppositæ existimant, in rerum corruptione & generatione fieri resolutionem vsque ad materiam primam, ita vt forma & materia omnibus accidentibus destitutæ simul vniantur, & constituant compositum substantiale. At perspicuum est in eo instanti tale compositum esse verum indiuiduum substantiale, distinctum numero à quolibet alio indiuiduo; etsi tamen non possit illius indiuiduatio sumi à materia signata, seu vt affecta quantitate. Ergo aliquod aliud principium indiuiduationis quærendum est.

Tum denique quia sicut res spirituales per proprias entitates sunt indiuisæ in se, & diuisæ à quouis alio, ita & substantiæ materiales; quare sicut illæ non possunt indiuiduari per materiam, aut quantitatem, quia vtraque carent; ita affirmandum est istarum indiuiduationem à materia signata repetendam non esse. Confirmatur, quia cùm omnia tam spiritualia quàm materialia in eo conueniant, quod sunt indiuidua, debet assignari quædam ratio indiuiduationis quæ illis omnibus aptari possit, cuiusmodi non est materia signata, vt perspicuum est.

Neque refert quod Arist. interdum dicat, ea esse vnum numero quorum materia est vna, &

plura numero, quorum materia est diuisa; duplex enim est vnitas, alia quantitatiua, quæ cõsistit in in diuisione rei quantę in plures partes quantitatiuas, & in diuisione seu discontinuatione ab omni alia quantitate; alia entitatiua, quæ consistit in indistinctione rei in plura seipsa, & distinctione à qualibet alia entitate. Loquitur autem Aristot. de priori vnitate, quæ solis rebus materialibus & quantis competit; nos verò agimus de posteriori, quæ rebus non modo materialibus, sed etiam spiritualibus conuenit, quam contendimus à materia, vel quantitate sumi non posse.

Dico 8. *Nec materiam, nec compositum indiuiduari per formam.* Prior pars probatur, nam materia præcedit formam, non modo in communi, sed etiam in indiuiduo; ita vt hæc singularis materia præexistat antequam forma ei vniatur, sicque habeat indiuiduationem independenter à forma.

Confirmatur, nam vna & eadem numero materia modo est sub vna, modo sub alia forma numero, imò specie distincta; ergo non potest materia habere vnitatem numericam seu indiuidualem à forma. Vnde non potest dici materiam indiuiduari per ordinem ad certam formam, cùm indifferenter se habeat ad omnes.

Posterior pars ostenditur, quia sicut non tantùm forma, sed etiam materia est de ratione compositi, vt in Physicis dicemus; ita hæc forma, & hæc materia sunt de ratione huius compositi. Quare compositum non potest habere à forma saltem sola, quod sit hoc singulare compositum, sed id partim etiam à materia habere debet.

Est autem difficultas an id habeat sufficien-

ter ab hac materia, & hac forma simul vnitis. Respondeo id habere Physicè loquendo, nam cum compositum vt sic, dicat materiam & formam simul vnitas; hoc singulare compositum dicit hanc numero materiam, & hanc numero formam. Si tamen res Metaphysicè consideretur, quatenus hic agimus de differentia indiuiduali, qua species contrahitur ad hoc singulare, certum est principium indiuiduationis non sufficienter explicari per hanc materiam, & hanc formam; cum inquirendum superfit quidnam fit id quod addit hæc materia, & hæc forma supra rationem communem materiæ & formæ.

Dico 9. *Accidens non indiuiduari per subiectum cui inhæret.* Probatur, tum quia accidens habet entitatem propriam realiter & essentialiter distinctam ab entitate subiecti: repugnat autem aliquid constitui hoc ens singulare per entitatem à se realiter distinctam, cùm singularitas non distinguatur à gradu communi in eadem re, vt suprà ostendimus. Confirmatur, nam non modo albedo distinguitur à pariete, sed etiã hæc singularis albedo; quare non potest ab illo formaliter accipere suam singularitatẽ.

Tum quia Deus potest creare & conseruare accidens extra quodcumque subiectum, potest etiam efficere per potentiam absolutam, vt idẽ accidens transeat ab vno subiecto ad aliud, aut etiam vt simul sit in subiectis distinctis. In his autem casibus non posset accidens sumere suam vnitatem & distinctionem numericam à subiecto inhæsionis, vt manifestum est, sed aliunde eam haberet. Ergo dicendum est generatim accidens aliunde suam indiuiduationem quam à subiecto accipere. Confirmatur, quia idẽ numero subiectum multa accidentia

numero distincta successiuè potest recipere, vt idem aer aliam & aliam lucem, aqua alium & alium calorem, &c. Ergo dici non potest accidens sumere vnitatem & distinctionem numericam à subiecto cui inhæret.

Nec refert quòd in vno subiecto materiali sit v. c. vna albedo, in duplici duplex, &c. hinc enim sequitur tantùm vnitatem quantitatiuam oriri à subiecto quanto, non autem entitatiuam; quia de qualibet albedine, vt & de qualibet quantitate, imò & de qualibet parte materiæ inquirendum restat, vnde habeat quod sit hæc, non illa, vt patet ex dictis.

Dico 10. *principium formale & proximum indiuiduationis in re qualibet singulari esse differentiam positiuam illi intrinsecam, per quam species contrahitur ad tale indiuiduum, vocaturque ex Scoto generatim hacceitas, & speciatim Petreitas, Pauleitas, &c.* Sequitur ex dictis, tum quia nihil aliud superest ex quo possit desumi ratio propria indiuidui, cum alia omnia reiecta sint.

Tum quia sicut genus contrahitur ad speciem per differentiam specificam, ex qua & genere species intrinsecè constituitur; ita species contrahitur ad indiuiduū per differentiam indiuidualē, ex qua & ratione specifica constituitur intrinsecè indiuiduū: est enim par ratio.

Tum quia sicut species addit aliquid intrinsecum supra genus, ita æquum est vt indiuiduum includat aliquid intrinsecum supra speciem; cùm illi subijciatur in recta linea Categoriæ, sicut species subijcitur generi.

Tum quia indiuidua eiusdem speci ei per aliquid inter se realiter conueniunt, & per aliquid differunt; ergo sicut id quo conueniunt est ipsis intrinsecum, ita & id quo differunt; at non differunt per attributa specifica, aut gene-

rica, sed tantùm per propria, & indiuidualia, quæ proinde ipsis intrinseca esse debent.

Obijcies 1. omnis actus singularis præexigit potentiam singularem quam actuat, atqui differentia indiuidualis actuat naturam, ergo debet natura esse singularis ante talem differentiam. Respondeo maiorem falsam esse, nam sicut differentia specifica non supponit naturam specificam, sed facit; ita differentia singularis non supponit naturam singularem, sed facit.

Obijcies 2. quod conuenit vni indiuiduo, & repugnat alteri, supponit ea esse distincta: sed differentia indiuidualis conuenit vni indiuiduo, & repugnat alteri; ergo supponit ea distincta, adeoque non primò causat talem diuersitatem. Respondeo maiorem absolutè falsam esse de eo quod primò vnum indiuiduum constituit, hoc enim non inuenit distinctionem numericam, sed facit; ad eum modum quo differentia specifica non supponit distinctionem specificam, sed facit.

Obijcies 3. si differentia indiuidualis est intrinseca & positiua, sequitur speciem non constituere totam essentiam rei, item indiuidua essentialiter inter se differre; quæ & similia communi Philosophiæ repugnant. Respondeo hæc non repugnare communi Philosophiæ quoad rem ipsam, sed tantùm quoad modum loquendi: communiter enim nomine essentiæ intelliguntur gradus multis communes, quia res considerantur à Philosophis vt cadunt sub scientiam, & possunt definiri; at essentiæ vt singulares non cadunt sub scientiam, nec possunt definiri, sed tantùm vel secundum se, vel, vt statuit communis sententia, quatenus sunt vniuersales.

Quare hoc tantùm modo sub nomine essentiæ comprehenduntur, etsi verè & à parte rei etiam differentiæ indiuiduales ad essentiam rerum pertineant.

CAPVT III.

De proprietatibus entis tam in genere, quàm in specie.

ARTICVLVS PRIMVS.

De proprietatibus entis in genere.

QVæritur 1. an quædam proprietates seu passiones entis admittendæ sint. Respondeo affirmatiuè, cuius ratio est, quia nullum est subiectum scientiæ de quo aliqua passio demonstrari non possit; atqui ens est subiectum Metaphysicæ, ergo aliqua passio de ente demonstrari potest. Confirmatur, nam nomine passionis intelligimus hic aliquod attributum consequens ad rationem essentialem: atqui nonnulla sunt attributa quæ consequuntur ad rationem entis, vt quod sit vnum, verum &c. Ergo ens habet aliquas passiones.

Obijcies 1. si ens habet proprietates aliquas, vel eæ sunt ens, vel nihil; neutrum dici potest, ergo nullas habet proprietates. Maior perspicua est quia inter ens, & nihil non datur medium. Minor verò suadetur, quia quod est ens, non est passio entis, sed ipsummet ens; quod verò nihil est, non potest enti reali, tanquam proprietas competere. Res-

pondèo proprietates entis non esse entitates reales ab ipso ente distinctas, sed formaliter consistere in negatione aliqua, aut relatione rationis; quod etsi non sufficiat ad rationem proprietatis, vt de ea communiter agitur in Physicis, quia hæc vt sic dicit entitatem aliquam realiter à subiecto fluentem, adeoque realiter ab illo distinctam; sufficit tamen ad rationem passionis latiori modo sumptæ, cum ex vsu communi prædicata secundaria quæ ab aliquo subiecto, siue per modum negationis, siue per denominationem extrinsecam, aut respectum rationis consequuntur, locum teneant passionum; vt ex variis passionibus quæ ab Arist. prædicamentis assignantur intelligi potest.

Obijcies 2: si ens habet aliquas proprietates, eæ possunt demonstrari per definitionem entis: at ens non potest definiri, quia quod definitur constat genere & differentia, ens autem non habet genus, cùm sit supra omnia genera; ergo ens nullas habet proprietates. Respondeo ens non posse quidem exactè definiri, posse tamen aliquo modo describi, & per illius descriptionem posse proprietates de eo demonstrari: vt si dicamus, omne quod habet veram essentiam est vnum, ens habet veram essentiam, ergo est vnum.

Quæritur 2: quid proprietas entis addat supra ens: vt huic quæsito satisfaciam,

Respondeo & Dico 1. *proprietates entis non dicere aliquas formalitates positiuas & reales ex natura rei ab ente distinctas, eique superadditas.* Probatur; quia cùm omnis formalitas positiua & realis sit intrinsecè & essentialiter ens,

impossibile est eam esse aliquid ex natura rei ab ente distinctum, eique superadditum. Ens enim includit omnia entia, adeoque non potest illi superaddi aliquod ens, sed tantum non ens; quare vel passiones non superadduntur enti, vel non sunt aliquid positiuum.

Confirmatur 1. nam seclusa per intellectum quacunque realitate, aut formalitate positiua distincta ab ente, adhuc concipimus ens esse vnum, verum, & bonum; adeoque habere omnes proprietates quæ illi vulgò assignantur. Ergo passio entis non consistit in quadam realitate, aut formalitate positiua distincta ex natura rei ab ente.

Confirmatur 2. nam si passio entis esset ens distinctum, illud haberet suas passiones, quæ si essent entia, ijs etiam aliæ proprietates assignandæ essent, sicque daretur progressus infinitus inter entia, & eorum passiones. Quod cùm sit absurdum, sistendum est in primis entis passionibus, & fatendum eas non addere aliquam realitatem supra ens.

Obijcies, vnum, verum, bonum sunt proprietates entis; at illæ dicunt entitatem aliquam realem, cùm nihil non sit vnum, verum, bonum. Respondeo passiones illas tripliciter spectari posse 1. fundamentaliter, quomodo non distinguuntur ab ente. 2. in concreto, quomodò includunt pro materiali ens, & seipsas pro formali. 3. formaliter, vt passiones enti superadditas, qua ratione nihil positiuum includunt. Vnde

Dico 2. *proprietates entis non dicere intrinsecè ipsum ens, & aliquid ei superadditum.* Probatur nam sicut risibilitas v. g. non dicit rationalitatem & formam ei adiunctam, sed præcisè talem formam; & hinnibilitas non dicit naturam

equinam, ſed accidens ei ſuperadditum: ita ſimiliter paſſiones entis non debent includere in ſuo conceptu ipſum ens, ſed tantum aliquid enti ſuperadditum.

Confirmatur, nam ens per ſe non eſt paſſio entis, vt perſpicuum eſt, ergo nec ens alteri junctum dici poteſt paſſio entis; ſicut nec rationalitas iuncta riſibilitati eſt paſſio rationalitatis. Quod enim ſubiectum paſſionis concipiatur ſimul cum paſſione per modum vnius aggregati, id non ſufficit vt totum illud aggregatum ſit paſſio; cùm vt ſic, ab alio tanquam ab eſſentia non procedat.

Obijcies, paſſiones debent definiri ex Ariſt. per additamẽtum, hoc eſt per ſuum ſubiectum; atqui id per quod res definitur eſt de eſſentia illius, ergo eſt de eſſentia ſuarum paſſionum. Reſpondeo paſſiones non debere definiri per ſubiectum, vt per aliquid ipſis intrinſecum, ſed tanquam per aliquid ad quod habent ordinem intrinſecum; vt ex eo manifeſtum eſt, quòd modus ille definiendi competit generatim omnibus accidentibus: at dici non poteſt omnia accidentia includere in ſuo conceptu ſubiectum cui inſunt, cùm pleraque ab illo realiter diſtinguantur.

Dico 3. *proprietates entis formaliter ſpectatas nihil aliud dicere quàm aliquam negationem, aut relationem rationis enti ſuperadditam*. Sequitur ex dictis, nam cùm aſſignandæ ſint enti aliquæ proprietates, neque in earum conceptu includatur ſiue ens cuius ſunt proprietates, ſiue alia formalitas poſitiua enti ſuperaddita; hinc manifeſtè colligitur proprietates entis in quadam negatione, aut relatione rationis conſtituendas eſſe.

Quæritur 3. quot ſint paſſiones entis. Reſ-

pondeo tres communiter assignari, nempe vnitatem, veritatem, & bonitatem. Huius autem numeri sufficientia ex eo probatur, quòd vnitas, veritas, & bonitas veluti sequuntur ad primariam entis rationem, sicut aliæ proprietates sequuntur ex subiecto cui competunt; conuertuntur etiam cum ente, ita vt nullum sit ens quod non sit vnum, verum, bonum, & vice versa nihil sit vnum, verum, bonum quod non sit ens. Sicut enim ens rationis est ens fictum, ita non nisi vnitatem, veritatem, & bonitatem fictam habet.

Denique nulla entis passio assignari potest quæ ad illarum aliquam non possit reduci, quare fatendum est tres assignatas esse veras entis passiones, nec plures admittendas esse. Nec audiendi sunt qui rem & aliquid inter passiones entis enumerant; cùm illa ab ente non distinguantur, nisi quoad voces.

Nota proprietates illas variis modis concipi posse, sicque etiam diuersimode inter se ordinari. Communiter tamen vnitas præcedit veritatem, & hæc bonitatem; cuius ratio est, quia quod est absolutum, est prius respectiuo, at vnitas dicit indiuisionem rei in se, veritas verò dicitur per respectum ad intellectum, & bonitas per ordinem ad voluntatem: quare vnitas præcedit veritatem, & bonitatem; quia verò actio intellectus est prior actione voluntatis, hinc fit vt veritas sit prior bonitate: Quare de illis etiam hoc ordine sequentibus articulis agemus.

ARTICVLVS II.

De vnitate Entis.

QVæritur 1. quid sit vnitas, an rationem aliquam positiuam, vel tantum negationem addat supra ens. Respondeo non dicere aliquid positiuum, sed tantùm negationem diuisionis. Probatur tum quia Arist. 5. Metaph. cap. 6. & aliàs docet vnum idem esse ac indiuisum; at indiuisum nihil dicit præter negationem diuisionis: Ergo & vnum eiusmodi tantùm negationem in conceptu suo includit.

Tum quia si vnitas diceret formaliter aliquam rationem positiuam, sequeretur eam esse ens, adeoque addere enti ens; quod repugnat, vt patet ex artic. præcedenti. Confirmatur, nam si vnitas diceret ens, illud ens esset haud dubie vnum, vtique per distinctam formalitatem positiuam, quæ similiter esset ens vnum, sicque progressus abiret in infinitum; qui vt caueatur, sistendum est in prima vnitate, adeoque fatendum eam ex se non dicere nisi negationem diuisionis.

Tum quia præcisa quacunque formalitate positiua, distincta ab ente, concipimus ens ipsum præcisè per suam entitatem esse vnum seu indiuisum; sicque vnitatem non dicere formaliter aliquid positiuum, sed solam negationem diuisionis.

Obiicies 1. negatio fundatur in aliqua formalitate positiua; at non in formalitate entis, quia datur ens non vnum, seu multiplex; ergo in formalitate aliqua distincta. Respondeo

negando minorem, ens enim præcise ratione suæ entitatis est vnum: & ad probationem dicimus, ens multiplex non esse propriè ens, sed entia.

Obijcies 2. vnitas est perfectio, Deus enim quatenus vnus, est perfectus; at perfectio dicit aliquam formalitatem positiuam, ergo & vnitas. Respondeo vnitatem fundamentaliter esse perfectionem positiuam in ente fundatam; formaliter verò dicere quãdam perfectionem negatiuam, seu remotionem imperfectionis, puta diuisionis, & multiplicitatis.

Obijcies 3. etsi vnum dicat indiuisionem, & indiuisio sit vox negatiua, debet tamen significare formam aliquam positiuam, eò quòd per illam negatur diuisio: siquidem diuisio ipsa est negatio vnius de alio, at non datur negatio negationis, sed cuilibet negationi immediatè opponitur forma positiua qua destruitur; ac proinde indiuisio inclusa in vnitate dicit formam positiuam. Respondeo diuisionem dupliciter posse considerari, primò vt dicit plura entia in se completa, secundò vt eorum vnum non est aliud; ac posteriori modo dicere negationem, priori verò dicere aliquid positiuum, cuius indiuisio est entis negatio: ita vt cùm dicimus ens esse vnum, vel indiuisum, sensus sit, ens non esse plura entia. Accedit quòd gratis supponitur cuilibet negationi immediatè opponi formam positiuam; cùm constet v. g. in lapide esse negationem cæcitatis, quæ omnium consensu, non est forma positiua. Quare etsi diuisio esset negatio, inde non sequeretur vnitatem in negatione non consistere.

Quæritur 2. an vnitas dicat propriam & strictam negationem, an vero priuationem. Res-

pondeo aliquo sensu dicere priuationem, simpliciter tamen in negatione constituendam esse. Et quidem dicit priuationem, quatenus ens quod dicit aliquid reale, ab illa denominatur vnum: est enim illud discrimen inter priuationem & puram negationem, quòd illa non conueniat nisi enti reali, hæc verò etiam nulli subiecto conueniat. Aliunde tamen est negatio, quia negatio sumitur communiter pro priuatione formæ in subiecto illius incapaci, & priuatio è contra pro negatione formæ in subiecto apto; atqui vnitas est negatio formæ in subiecto inepto, cùm repugnet enti diuisum esse, statim enim ac diuiditur, non amplius est ens, sed entia. Vnde vnitas est passio entis simpliciter negatiua, seu magis negatiua quàm priuatiua.

Obiicies, vnitas quæ coniuncta est cum aptitudine essendi in multis, est vnitas priuatiua, non negatiua; atqui vnitas cuiusque naturæ vniuersalis est coniuncta cum illa aptitudine, vt patet ex definitione vniuersalis superius tradita; ergo vnitas earum rerum est priuatiua, non negatiua, & consequenter falsum est omnium entium vnitates esse negatiuas. Respondeo hanc posteriorem consequentiam negandam esse, quia cùm agimus hic de omni ente, & illius vnitate, agimus de vnitate quæ competit enti realiter & secundum se; at verò vnitas vniuersalis de qua procedit obiectio, est vnitas efficta per intellectum; quare etsi sit priuatiua, ex ea non licet aliquid simile concludere de alia vnitate, quæ cuilibet enti singulari per se & realiter competit.

Quæritur 3. quænam sit forma quæ negatur per vnitatem. Respondeo cùm vnitas sit ne-

gatio diuisionis, & diuisio dicat multitudinem, per vnitatem & diuisionem, & multitudinem negari, seu hæc duo esse formam negatam per vnitatem. Itaque patet ex communi vsu loquendi & concipiendi, quia vulgò dicimus & intelligimus illud esse vnum, quod non est diuisum, nec est multa.

Obijcies, vnitas præcedit multitudinem, cùm hæc constet ex variis vnitatibus, ergo non potest dicere negationem multitudinis. Sequela patet, quia negatio supponit formam quam negat, estque illa posterior. Respondeo 1. hoc argumentum posse retorqueri in nonnullos qui eo vtuntur contra negationem multitudinis, cùm tamen existiment vnum dicere negationem diuisionis. Constat enim diuisionem non magis esse priorem vnitate, quàm multitudinem; cùm diuisio intelligi non possit sine multitudine, & nisi præcedant plures vnitates.

Respondeo 2. vnitatem esse priorem diuisione & multitudine quoad rem ipsam, prout res in natura existunt, & hoc modo vnum non dicere negationem diuisionis, & multitudinis; esse tamen illis posteriorem quoad conceptum nostrum. Non enim possumus concipere vnum dicere negationem diuisionis, & multitudinis, quin priùs diuisionem & multitudinem concipiamus; sicut non possumus intelligere hominem dicere negationem equi, vel ligni, quin priùs equum, vel lignum concipiamus.

Quæritur 4. cùm ens vulgò dicatur quod est indiuisum in se, & diuisum à quouis alio, vtrum non modo indiuisio in se, sed etiam diuisio à quouis alio ad primariam rationem vnitatis spectet. Respondeo negatiuè, prius enim est quòd res sit constituta in se vna & in-

diuisa, quàm quòd compareтur cum alijs. Vnde Deus non desineret esse perfectè vnus, etsi nullæ essent creaturæ possibiles à quibus diuidi posset; quia nihilominus esset in se indiuisus in plures Deos.

ARTICVLVS III.

De veritate entis.

QVæritur 1. an veritas, quæ est proprietas transcendentalis entis, dicat negationem, aut aliquid positiuum. Aliqui existimant eam dicere negationem entis ficti & apparentis, dicimus enim verum hominem, verum aurum, &c. ad distinctionem hominis picti, & falsi auri. Hoc tamen refellitur, quia etsi interdum veritas in communi vsu loquendi ita sumatur, non debet sic accipi cum Philosophice & exactè agitur de passione entis: quia si ens verum diceret negationem ficti, cùm ens fictum sit quod non habet realitatem entis veri, sed solam apparentiam, sequeretur ens verum dicere negationem suæ negationis, quomodo proprietas entis non satis congruè explicatur. Eo vel maximè quia ens per suam entitatem præcisè, abstrahendo à quacunque proprietate ex ea consequente, dicit negationem negationis sui ipsius; quò fit vt non possit veritas, quæ est entis passio, in illa negatione constitui.

Alij existimant veritatem entis duplicem esse, externam, & internam; externam consistere in conformitate illius cum suis principiis, maximè cum exemplari ad cuius similitudinem effingi debet; internam vero seu en-

titatiuam consistere in cōformitate cum principijs internis seu essentialibus, ex quibus componi debet: ita vt illud dicatur verum aurum, quod constat ex materia & forma quæ auro debentur; ille sit verus homo, qui ex corpore humano, & anima rationali constat. Verùm hic etiam modus reijcitur, quia iuxta illum, veritas nullo modo distinguitur ab ipsa rei natura & entitate, ideoque non est passio entis, qualis hic inquiritur. Vt enim aliquid sit passio alterius, debet illius naturæ & essentiæ quandam formalitatem, si non realem, saltem negatiuam, aut rationis superaddere, vt suprà monuimus.

Dicendum ergo cum communi sententia, veritatem entis consistere in conformitate illius cum intellectu. Potest enim distingui duplex veritas, alia formalis tenens se ex parte intellectus, alia transcendētalis tenens se ex parte obiecti; & sicut prior dicitur consistere in conformitate conceptus formalis cum obiecto, ita posterior potest legitimè constitui in conformitate obiecti cum actu intellectus.

Vbi nota hanc entis conformitatem à nonnullis explicari per denominationem extrinsecam à conceptione intellectus, importando directè ipsam cognitionem, & connotando obiectum, vt si dicam, cognitio repræsentat hominem vt est in se. Verum id non satis solidè dictum videtur, quia sic veritas rei non esset illius conformitas cum intellectu, sed potiùs conformitas intellectus cum ipsa, & consequenter veritas formalis confunderetur cūm transcendentali.

Vnde malim dicere veritatem entis constitui in conformitate illius ad intellectum, non

quòd ipsa rei entitas sit de conceptu directo veritatis, debet enim passio à suo subiecto distingui, sed quòd præbeat fundamentum ei affingendi relationem quandam conformitatis ad intellectum cognoscentem. Neque quæ contra hoc obijciuntur de perfectionibus veritati attributis, sunt alicuius momenti, cùm de veritate materialiter spectata, seu de ente vero facilè intelligi possint.

Adhuc tamen obijci potest, veritatem non bene constitui in relatione rationis; quia seclusa quacunque relatione, ens per se, quatenus est ens, est intelligibile, habetque proportionem & conuenientiam cum intellectu cognoscente, adeoque sine vlla relatione est verum. Respondeo enti per se competere veritatem fundamentalem, non tamen illam quæ ab omnibus vt quædam passio entis constituitur: quia, vt dictum est, passio non debet in suo conceptu includere subiectum, sed dicere aliquam formalitatem ei quodammodo superadditam. Vnde cùm passio entis non possit dicere aliquam formalitatem positiuam & realem, vt supra ostensum est, consequenter debet dicere tantùm negationem, vel relationem rationis. Et cùm veritas nihil neget, adeoque non consistat in negatione, superest vt in solo rationis respectu constituatur.

Confirmatur, nam omnes fatentur veritatem dicere conformitatem ad intellectum, quæ sine ordine aliquo & respectu intelligi nequit: at respectus ille non est realis, vt patet ex dictis, ergo est relatio rationis. Neque aliud videntur velle qui dicunt cognoscibilitatem entis, in qua ponunt veritatem transcendentalem, distingui ab ente, non ex parte obiecti, sed ex parte actus intellectus, &

esse illo posteriorem, sicque esse passionem illius; quia ens prius apprehenditur in ordine ad se, quomodo dicitur ens, & posterius in ordine ad cognitionem veram, quomodo dicitur verum; & hæc causalitas nostro concipiendi modo est vera, quia est ens, est cognoscibile, & hæc falsa, quia est cognoscibile, est ens. Iste enim dicendi modus, etsi veritatis transcendentalis fundamentum in ipso ente constituat, formalitatem tamen illius, de qua præcipuè est quæstio, ad respectum quendam rationis reducit.

Quæritur 2. ad quem intellectum veritas entis dicat relationem conformitatis. Non pauci existimant dicere relationem illam ad intellectum diuinum, qui est prima veritas formalis & regula omnis veritatis. Alij docent veritatem dicere respectum ad intellectum creatum, quatenus in eo causat sui notitiam. Alij verò putant dicere respectum ad intellectum in communi siue sit creatus, siue increatus, quod videtur probabilius.

Ratio est, quia conformitas illa consistit in eo quod ens sit intelligibile, non autem quod sit intelligibile per hunc, vel illum intellectum determinatè: Ergo sicut visibile dicit conformitatem ad visum in communi, appetibile ad appetitum, & sic de alijs, ita entis intelligibilitas dicit conformitatem ad quemcunque intellectum. Confirmatur, nam sicut veritas formalis est in quocunque intellectu, ita & transcendentalis ad quemcunque intellectum terminari debet.

Obijcies 1. qui rei alicuius veritatem inquirunt, eam considerant vt in se est, non autem quatenus habet conformitatem cum intellectu siue diuino, siue humano; vt patet cùm

quis auri, vel argenti veritatem inuestigat. Ergo veritas non consistit in conformitate ad intellectum, vt supponitur. Respondeo hoc argumentum procedere tantùm de veritate rerum Physica, non autem de transcendentali, de qua nunc agimus.

Obijcies 2. si veritas esset conformitas cum intellectu, sequeretur ex hypothesi impossibili, quod nullus esset, nec esse posset intellectus, & aliquod ens reale existeret, illud non fore verum; quia non haberet conformitatem cum vllo intellectu, quod tamen absurdum videtur. Respondeo in ea hypothesi rem quæ existeret fore veram fundamentaliter, quia quantum esset ex se, cognoscibilis esset ab intellectu, si is esset possibilis; non tamen formaliter, quia cum hæc formalitas dicat respectum rationis, vt ostensum est, & respectus rationis esse nequeat sine intellectu, hinc sequeretur rem existentem non esse formaliter veram, sed tantùm materialiter seu fundamentaliter.

Obijcies 3. veritas entis debet explicari tantùm per conformitatem ad suam primam regulam, at solus intellectus increatus est prima regula veritatis, cùm ille solus necessariò, & actu, & semper, & verè res omnes intelligat vt sunt. Respondeo maiorem negandam esse, quia etsi intellectus creatus non sit prima regula veritatis, cùm tamen verè possit res intelligere, id sufficit vt eæ dicantur veræ etiam per ordinem ad illum, etsi non tam perfectè, ac per ordinem ad intellectum diuinum.

Instabis res esse veras ab æterno, adeoque per ordinem tantùm ad intellectum diuinum, cùm creatus ab æterno non extiterit. Respon-
deo

deo hoc argumento rectè ostendi, res non fuisse veras ab æterno, respectu intellectus creati, si per veritatem intelligatur conformitas rei actualis cum intellectu creato. Id tamen non impedit, quin absolutè dici possint veræ ab æterno etiam per ordinem ad intellectum creatum, quatenus tales sunt vt etiam ab illo cognosci possint, si ab æterno existat. Veritas enim, quæ est proprietas entis, non tam significat illius conformitatem actualem cum intellectu, quàm aptitudinalem quæ, etiam intellectu non existente, subsistit.

Obijcies 4. cum veritas formalis causetur ab obiectiua, dicendum est istam in eo consistere, quod veram sui cognitionem in intellectu producat; ac proinde eam non dicere ordinem ad intellectũ diuinum, sed tantùm ad humanũ, cùm in hoc tantum possit aliquid causare. Respondeo absurdum esse limitare veritatẽ transcendentalem entis per ordinem ad intellectũ humanum, cùm potiori titulo ad diuinum extendi debeat, vt patet ex dictis. Quare veritas illa non debet sumi ex causalitate rei cognitæ in intellectum cognoscentem, sed præcisè ex conformitate illius cum intellectu, quæ vt sic, omni enti respectu omnis intellectus competere potest.

Quæritur 3. quotuplex sit veritas. Respondeo triplicem communiter assignari, nempe veritatem rei, seu transcendentalem, de qua iam egimus, veritatem signi, seu in significãdo, qualis reperitur in vocibus, scripturis, aliisque signis externis quibus cõceptus interni repræsẽtantur, & veritatẽ cognitionis, quæ vulgo formalis appellatur, & consistit in cõformitate cognitionis cum re cognita. Vt autem ista clarius pateant, nonnulla obseruanda sunt.

Primò ſicut cognitio duplex eſt, alia intellectiua, alia ſenſitiua, ita & duplicem eſſe veritatem formalem; aliam intellectiuam & ſpiritualem, aliam ſenſitiuam & materialem: quẽadmodum enim cognitio intellectiua dicitur vera, quãdo conformis eſt ſuo obiecto, ita & ſenſitiua dicenda eſt vera, quando percipit ſuũ obiectum vt eſt, cùm par ſit ratio. Quanquam fatendum eſt longè ſublimiorem eſſe veritatẽ intellectus quàm ſenſus, tum quia ſenſus nõ niſi pauca obiecta, eaque materialia percipere poteſt, intellectus vero habet pro obiecto adæquato totam latitudinem entis; tum quia ſenſus verè quidem obiectum percipit, non tamen cognoſcit ſe verè illud percipere; at verò intellectus & verè obiectum cognoſcit, & ſe vere illud percipere intelligit, ſe reflectendo ſupra ſeipſum.

Secundò veritatẽ formalem reperiri aliquatenus in prima apprehenſione intellectus, vt patet tum quia apprehenſio poteſt eſſe conformis rei, ſicque eſſe vera, vt cùm concipio hominẽ qui verè exiſtit; tum quia definitio dicitur vera, quando eſt conformis rei definitæ, at definitio ad primam mẽtis operationem ſpectat. Tum quia dicimus eſſe veram Regis imaginem quæ ſimpliciter Regem repræſentat vt eſt; ergo ſimiliter. Veritas tamen dicitur eſſe perfectiori modo in ſecunda mentis operatione, quia ille dicitur verè rem cognoſcere, qui determinatè iudicat rẽ eſſe ſicuti eſt, aut nõ eſſe ſicuti nõ eſt.

Ex quo intelligis iudiciũ eſſe intrinſecè verũ ratione veritatis in eo exiſtentis, & non tãtùm extrinſecè per denominationem à veritate cognita primæ apprehenſionis, vt quidã immeritò opinantur. Sicut enim iudicium nõ dicitur cognitio, quia cognoſcit primam apprehenſionẽ, ſed quia cognoſcit idem obiectũ per præcedẽ-

tem apprehensionem cognitum;ita non dicitur verum, quia cognoscit apprehẽsionem veram, sed quia verè secundũ se obiectũ repræsentat, imo nobiliori modo quàm apprehensio.

Tertiò posse etiam falsitatẽ aliquo modo in prima mentis apprehensione complexa reperiri, nam quemadmodum apprehensio quà cognosco Petrum vt rationalem, est quodãmodo vera, quatenus est conformis obiecto; ita vice versa illa est falsa quâ apprehendo Petrum sub ratione hinnibilis, cùm sit difformis obiecto.

Est autem difficultas,an falsitas cadere possit in apprehensionem incomplexam qua concipitur aliquis terminus simplex, v. c. subiectum, vel attributum, non autem vnio vtriusque. Quâ in re sententia negans est communis, & tenenda. Cuius ratio est,quia cognitio tunc est vera,quando est conformis suo obiẽcto; atqui simplex illa vnius termini apprehensio non potest non esse conformis suo obiecto, cùm sit actualis imago & repræsentatio illius; ergo non potest non esse vera, sicque repugnat eam esse falsam.

Obijcies, qui apprehendit vulpem pro lepore, decipitur, sicque illius apprehensio est falsa. Respondeo non sequi, ille enim non apprehendit falsò leporem, sed verè apprehendit vulpem, ac proinde illius apprehensio est vera, cùm sit conformis obiecto. Decipitur autem quia apprehensioni leporis aliam ignoranter substituit.

Quartò vtramque veritatem antedictam nempe formalem seu repræsentatiuam, & entitatiuam in eadem cognitione simul reperiri, sub diuerso respectu. Nam si cognitio spectetur quatenus est conformis obiecto,sic in ea est veritas prioris generis; si verò spectetur qua-

tenus est ens cognoscibile, seu habens conformitatem ad intellectum cognoscentem, eo modo veritas transcendentalis in illa locum habet, sicut & in aliis omnibus entibus, quatenus sunt entia.

Quæritur 4. quid sentiendum sit de falsitate veritati hactenus expensæ opposita.

Respondeo 1. falsitatem dici varijs modis: 1. quando opus deficit à regula artis, & à bonitate quam habere debet, quomodo falsas merces, falsam monetam, &c. dicere solemus. Hic tamē loquendi modus videtur improprius, & parum vsitatus, præsertim apud Philosophos.

2. Quando obiectum mouet intellectum ad falsam de eo conceptionem eliciendam, quo sensu aurichalcum dicitur falsum aurum, & stannum falsum argentum; quia propter similitudinem apparentem quam habent cum auro & argento intellectum decipiunt, eum ad falsum iudicium adigendo. Verùm nulla res hoc sensu dici potest falsa respectu Dei, cùm Deus nulla rei similitudine decipi possit, vt aliter rem concipiat quàm in se sit.

3. Contingit falsitas per simplicem rei terminationem, ita vt aliter cognoscatur quàm sit, etsi non sit causa deceptionis. Et hic etiam modus falsitatis non competit rebus per ordinem ad intellectum diuinum, quia cùm sit infinitè perspicax, res omnes intimè obtutu suo peruadit, easque intuetur vt sunt.

Respondeo 2. vt res dicatur falsa, eam debere esse causam vel occasionem falsitatis intellectus. Cum enim res quælibet ex se sit cognoscibilis vt est, adeoque ex natura sua fundet veram sui cognitionem, si id quod cognoscitur aliter quàm sit, non esset causa vel occasio talis deceptionis, falsitas tota se teneret

ex parte intellectus, ficque obiectum non diceretur falsum nisi per denominationem extrinsecam à falsitate cognitionis. Quare sicut illud verum obiectum vocatur quod fundat veram cognitionem sui, seu qua intelligitur vt in se est; ita ad falsitatem obiecti requiritur vt fundet falsam sui cognitionem, seu vt sit aliquo modò causa cur cognoscatur aliter quàm est in se; quod præstat ob similitudinem quam habet cum aliqua re alia, supposita tamen imperfectione intellectus cognoscentis, qui ob suæ lucis inopiam similitudinem pro identitate sumit.

Respondeo 3. falsitatem non esse passionem entis transcendentalem. Probatur ex dictis, tum quia vox competit enti respectu Dei; tum quia omne ens, quantum est ex se, petit intelligi vt est, adeoque omne ens ex se est verum, & consequenter non potest simul ex se esse falsum. Quare falsitas rebus competit tantùm per accidens, ratione cuiusdam adiuncti, & supposito defectu intellectus cognoscentis, qui rem ex se etiam in ijsdem circumstantijs verè cognoscibilem, aliter intelligit quàm sit.

ARTICVLVS IV.

De bonitate Entis.

PRæmoneo triplicem assignari posse bonitatem, nempe moralem, Physicam, & Metaphysicam seu transcendentalem. Bonitas moralis ea est quæ est conformis rectæ rationi, & honestati de qua agitur in Ethica: Physica est perfectio realis congruens rebus na-

turalibus, qualis est vis illuminandi in sole, calefaciendi in igne, de qua tractatur in physica. Bonitas verò metaphysica est illa, quæ enti reali vt ens est, conuenit, de qua hic nonnulla inquirenda sunt.

Quæritur 1. an bonitas metaphysica, seu transcendens rebus omnibus conueniat. Respondeo affirmatiuè; quod probatur, tum quia quidquid est vel est Deus, vel creatura, at Deus non modo bonus est, sed etiam summè bonus, quòd verò etiam creaturæ omnes sint bonæ, manifestum est ex scriptura Genes. 1. his verbis, *vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Tum quia omne ens per suam entitatem est perfectum, conueniens, & appetibile: quæ autem talia sunt, bona sunt, ex communi sententia. Ergo entia omnia bona sunt.

Nec dicas 1. entia mathematica ex Arist. 2. metaph. tex. 3. non esse bona, non enim sensus est ea vt sunt vera entia realia, non esse bona, sed non spectari à mathematicis disciplinis vt sunt bona, quod apertè innuit ipse Arist. cum postea ait, mathematicas nullam de bonis, & malis facere mentionem; ac si diceret non considerare an obiectum circa quod versantur, bonum vel malum sit.

Nec dicas 2. relationes vt sic non esse bonas, quia aliàs sequeretur aliquam bonitatem seu perfectionem esse in vna persona diuina, quæ non est in alijs. Hæc enim obiectio soluta manet ex aliàs dictis in Idea Theologiæ speculat. lib. 2. cap. 2. resol. 5. Hic solum moneo eam repugnare Aristoteli qui 1. Ethic. cap. 6. docet, bonum æquè per omnes Categorias diffundi ac ens, & non modo dici de aliis accidentibus, sed etiam de ipsa relatione.

Ex quibus collige bonitatem non tantùm extendi ad omnia entia realia, de quibus hæc debent intelligi, ſed etiam ad omnes partes & gradus cuiuſlibet entis. Quia ſicut ens non poteſt conſtitui niſi ex partibus & gradibus qui ſunt entia, ita cum bonum & ens conuertãtur, nihil in ſe admittere poteſt quod non ſit entitatiuè & tranſcendentaliter bonum. Vnde quodlibet ens eſt bonum, & ratione ſuæ eſſentiæ, & ratione exiſtentiæ, & ratione omnium accidentium quæ ad illius integritatem ſpectant. Cùm enim iſta omnia contineantur ſub ente, adeo vt etiam ipſa eſſentia præcisè, antequam exiſtat conſiderata, dicatur ens, ex ſupradictis, nulla ratio eſt cur attributum bonitatis illis omnibus non conueniat.

Quæritur 2. quid ſit bonitas iſta tranſcendentalis, quæ dicitur paſſio entis. Reſpondeo autores duplicem hic bonitatem diſtinguere, aliam abſolutam & intrinſecam, aliam relatiuam & extrinſecam; & priorem vocant perfectionem rei, qua in ſe ſine ordine ad aliud perfecta & completa eſt; poſteriorem verò dicunt eſſe conuenientiam, ob quam quælibet res dicitur bona alteri, quatenus ei per ſuam entitatiuam perfectionem accommodatur. Ex quo etiam ſequitur illius amabilitas ſeu appetibilitas, bonum enim ſeu conueniens eſt id quod omnia appetunt, vt vulgò dicitur in Ethica.

Dicunt ergo aliqui bonitatem entis tranſcendentalem, quæ eſt propria paſſio illius, eſſe potiùs bonitatem illius interiorem & abſolutam, quàm exteriorem & reſpectiuam: eò quòd prius eſt rem aliquam in ſeipſa conſtitui, quoad ea quæ ipſi neceſſaria ſunt ad integritatem & perfectionem illius, quàm alteri

congruere ; at res in illo priori est bona & perfecta, quare bonitas illius non est intelligenda per ordinem ad aliud

Verùm etsi certum sit bonitatem illam absolutam competere enti, & esse quodammodo priorem bonitate respectiua, non tamen solidè dici potest bonitatem quæ est propria passio entis, de illa priori bonitate, non de posteriori intelligendam esse. Siquidem bonitas illa absoluta non distinguitur ab ipso ente, sed est ipsa prima entis quidditas, quæ omnes illius passiones ratione antecedit.

Nec refert quòd voces entis & boni distinguantur, sunt enim voces sinonymæ, quia entitas rei non potest consistere nec intelligi, sine ijs quæ spectant ad ipsius integritatem & perfectionem, adeoque sine bonitate eo modo sumpta; & vice versa non potest rei bonitas in dicto sensu intelligi sine illius entitate. Aut certè si est aliqua distinctio inter entitatem & bonitatem illam absolutam, ea non debet sumi nisi ex parte conceptus nostri, quatenus bonitas expressiùs significat rei perfectionem & integritatem, quàm ens; quod ad veram passionem non sufficit, cùm etiam ex parte obiecti debeat aliquid enti superaddere.

Quare dicendum est bonitatem transcendentalem entis, vt est passio illius, esse intelligendam per ordinem ad aliud, quatenus nempe illud dicitur bonum quod alicui est conueniens. Quidquid enim est, alteri est conueniens, vt materia formæ, forma materiæ, causa effectui, effectus causæ, totum partibus, partes toti, & ita de alijs, adeo vt hæc conuenientia non incongruè constitui possit adæquata passio entis.

Est autem difficultas quomodo id intelligatur, nam tripliciter concipi potest conuenientia vnius ad aliud, primo vt dicat ens cum connotatione alterius entis, sicque bonitas sit realis denominatio ab vtraque entitate sumpta: Secundò vt dicat relationem realem conuenientiæ ad aliud; Tertiò vt per bonitatem intelligatur respectus rationis vnius ad aliud. Et quidem nonnullis dicendum videtur bonitatem; cùm sit passio entis realis, debere primo aut secundo modo explicari; quia aliàs ens non esset bonum nisi per operationem intellectus, quod dici non potest.

Verùm sententia opposita amplectenda est, quia si exactè loqui velimus, passio entis debet esse aliquid superadditum enti, adeoque non debet esse aliquid reale, cùm quidquid est reale sit ens, & ens non superaddatur enti: at bonitas primo modo sumpta dicit directè vnam entitatem realem, & aliam connotat; Secundò etiam modo est ens reale, vt perspicuum est, ac proinde neutro modo esse potest propria passio entis. Vnde superest vt bonitas formaliter sumpta, quatenus est proprietas entis, addat tantum supra ens reale respectum quendam rationis ad aliud cui consentaneum est.

Neque inde colligi potest, ens non esse bonum nisi per operationem intellectus, est enim in qualibet re bonitas illa absoluta de qua egimus, quæ à conceptu nostro non pendet; sed tantum bonitatem quæ est passio superaddita enti reali, non illi competere nisi per operationem intellectus, quod nemini absurdum videri debet, vt patet ex dictis.

Dubitatur præterea vtrum bonitas, quatenus est passio entis, dicat conuenientiam ad appetitum, seu appetibilitatem; sicut veritas dicit conuenientiam ad intellectum, seu intelligibilitatem ex supradictis. Et ratio difficultatis est, quia cùm ens non appetatur nisi quatenus bonum & conueniens, ratio bonitatis videtur priùs enti competere quàm ratio appetibilitatis; adeoque non potest appetibilitas esse passio illa entis quæ bonitas appellatur, sed ad summum quædam secundaria proprietas illam consequens.

Verùm etsi appetibilitas eo modo spectata supponat bonitatem, alio tamen sensu eam non supponit: quia sicut conuenientia ad res alias fundatur immediatè in entitatiua rei perfectione, ita & conformitas ad appetitum in ea fundari potest; quatenus potest voluntas complacere in obiecto cognito, secundum perfectiones intrinsecas spectato, seclusa quacunque conuenientia ad aliud. Imò nil impedit quin possim amare obiectum aliquod, secundum suam essentiam spectatum, abstrahendo à varijs perfectionibus quæ ad integritatem, aut complementum, adeoque ad absolutam illius bonitatem spectant. Et tunc appetibilitas non modò non supponit bonitatem sumptam pro conuenientia ad aliud, quin etiam antecedit aliquo modo ipsam entis bonitatem absolutam, quæ in complexu omnium perfectionum sibi debitarum consistit. Quare nil vetat quin conuenientia cum voluntate, seu appetibilitas sit passio entis, æquè primò ac conuenientia cùm rebus alijs; & rursus si conuenien-

tia entis ad res alias rectè bonitas appellatur, nulla ratio est cur illius conuenientia ad voluntatem non debeat quoque bonitas appellari.

Quæritur 3. Quid dicendum sit de malitia, vt opposita bonitati transcendentali.

RESPONDEO & dico 1. *Tot modis posse dici malum illud, quot modis dicitur bonum ei oppositum*: Vndè cùm bonum transcendentale sumatur tum absolutè pro rei perfectione siue essentiali, siue integrali, siue accidentali, tum respectiuè pro conuenientia rei ad res alias, & ad voluntatem; potest etiam malitia huic bono opposita sumi tum pro defectu perfectionis alicuius, tum pro defectu opposito conuenientiæ & appetibilitatis.

Dico 2. *Malitiam non posse in rebus reperiri quatenus dicit defectum perfectionis essentialis, posse tamen quatenus alios defectus includit.* Prior pars probatur, quia malitia illa in eo consistit quod res careat aliqua perfectione essentiali, quod fieri non potest; cùm nulla res possit esse sine tota sua essentia, vt homo sine corpore & anima.


Posterior verò ostenditur, nam inprimis bonitas integralis in eo posita est quod res habeat quæcumque spectant ad ipsius integritatem; at fieri potest vt res maneat etsi careat aliqua parte integrante, vt homo sine pede, vel manu: ergo dari potest in rebus malitia opposita bonitati integrali.

Deinde bonitas accidentalis in eo consistit, vt res non modo habeat omnes partes quæ siue ad essentiam, siue ad integritatem illius spectant, sed etiam ijs omnibus

accidentibus prædita sit, quæ ad conuenientem illius statum & perfectionem spectant. Potest autem dari malitia huic bonitati opposita; cùm pleraque accidentia connaturalia possint à suis subiectis separari, vt frigiditas ab aqua, siccitas à terra, &c.

Rursus bonitas respectiua prioris modi consistit in conuenientia rei ad res alias; atquamuis fieri non possit vt sit aliqua res quæ cum nulla alia conuenientiam habeat, verbi causa, cum sua causa, vel cum suo effectu; contingit tamen plerumque vt quæ res vni est conueniens, sit alteri disconueniens; vt calor igni valdè congruit, sed aquæ non parum nocet.

Denique etsi bonitas, quæ dicit conuenientiam ad appetitum, rebus omnibus sub quodam respectu competat, certum tamen est malitiam oppositam seu debilitatem non paucis alio respectu competere; cùm ea quæ sunt vni appetitui commoda & vtilia, alteri sint ingrata & noxia, vt vel ipsa experientia satis compertum est.



CAPVT IV.

DE VARIIS RERVM distinctionibus.

ARTICVLVS PRIMVS.

De distinctione reali.

PRÆMONEO 1. hic meritò agi de varijs rerum distinctionibus, postquam actum est de vnitate entis. Cùm enim vnum idem sit ac indiuisum in se & diuisum seu distinctum à quouis alio, non incongruè disputationi de vnitate alijsque proprietatibus entis, subijcitur tractatio de varijs distinctionibus, quæ inter entia reperiri possunt.

Præmoneo 2. Innumeras à nonnullis afferri distinctiones, quarum omnium notitia nobis minimè necessaria est. Quare eas hic tantùm breuiter expendemus, quæ frequentiùs à Philosophis & Theologis vsurpantur, videlicet distinctionem realem, & rationis; item virtualem, & formalem, quam aliqui vocant ex natura rei. Itaque

Quæritur 1. Quid intelligatur per distinctionem realem. Respondeo intelligi distinctionem quæ reperitur inter duas res vel entitates, quarum vna à parte rei, & nemine cogitante, non est alia; qualis est inter

Petrum & Paulum, inter hunc & illum lapidem.

Vbi aduerte distinctionem realem, etsi propriè sit tantùm inter res positiuas, à nonnullis tamen extendi ad omnem distinctionem quæ non oritur ex operatione intellectus. Quò fit vt realis distinctio non solùm sit inter Petrum & Paulum existentes, sed etiam inter eosdem futuros, imò & inter possibiles. Siquidem citra vllam mentis fictionem Petrus siue existens, siue futurus, siue possibilis distinguitur à Paulo existente, vel futuro, vel possibili. Nec tantùm tribuitur distinctio illa rebus positiuis, sed etiam negationibus, & entibus rationis; quia antecedenter ad intellectus operationem negatio lapidis distinguitur à negatione ligni, & hirco-ceruus ab hippocentauro.

Nec refert quod hæc figmenta per intellectum primò fiant, licet enim hoc ita sit, talia tamen sunt vt postquam suum esse ab intellectu acceperunt, non indigeant nouo actu intellectus per quem inter se distinguantur, sicut ea indigent quæ per rationem distingui censentur; sed ipsa per se & ex propria entitate qualiscumque sit, inferant illam distinctionem, ita vt simpliciter verum sit vnum non esse aliud.

Quæritur 2. Per quid vna res positiua distinguatur ab alia realiter. Respondeo ab ea distingui per propriam entitatem. Probatur, nam quælibet res per id distinguitur ab alia per quod in seipsa constituitur; at in seipsa constituitur per propriam suam entitatem: ergo & per eandem entitatem ab alia distinguitur.

Confirmatur, nam si res non distinguitur

per ſeipſam ab alia, vel diſtinguitur ab ea per relationem prædicamentalem, vt putant aliqui, vel per negationem identitatis vt alij arbitrantur: at neutrum dici poteſt, non prius; nam repugnat quòd relatio prædicamentalis exurgat inter duo extrema, niſi illa iam ſint inter ſe diſtincta; vt patet in relatione ſimilitudinis aut diſſimilitudinis quæ exurgit inter duos parietes. Non etiam poſterius, quia quod vnus homo habeat negationem identitatis cum alio, id jam ſupponit quemlibet habere ſuam identitatem ab alterius entitate diſtinctam. Quia enim alia eſt entitas Petri, alia entitas Pauli, hinc fit vt Petrus non ſit idem cum Paulo, nec Paulus idem cum Petro. Vnde relinquitur res poſitiuas inter ſe diſtingui realiter per proprias entitates, vt contendimus, eſto non rarò eiuſmodi diſtinctio per negationem exprimi ſoleat.

Obijcies, vna res diſtinguitur ab alia eo ipſo quod non eſt idem cum illa; at quod non ſit idem cum illa, id habet per negationem identitatis: ergo per negationem identitatis vna res diſtinguitur ab alia. Reſpondeo maiorem veram eſſe de ſecundaria ratione diſtinctionis, non autem de primaria, quam hic ſolam inquirimus. Negatio enim identitatis inter duas res neceſſariò ſupponit eas eſſe duas, adeoque diſtinctas.

Contrà, per te in illo priori ſunt duæ res, & diſtinctæ; ergo in illo priori vna non eſt alia, adeoque primaria diſtinctio illarum includit negationem. Reſpondeo negando priorem conſequentiam formaliter loquendo, quia cùm negatio neceſſariò ſupponat ſubiectum quod ſuo modo afficit, prius eſt

secundum rationem quod Petrus sit Petrus & Paulus sit Paulus, adeoque quod sint duo homines distincti, quorum quilibet habet propriam humanitatem, quam quod Petrus non sit Paulus, & Paulus non sit Petrus. Quare priùs concipiuntur distincti, quàm in vno concipiatur negatio identitatis cum alio.

Quæritur 3. Quænam sint indicia distinctionis realis inter res aliquas. Respondeo certum huius distinctionis signum esse, quando duæ res possunt à se mutuò separari, & separatæ in diuersis locis existere. Tunc enim euidens est vnam non esse realiter aliam, cum nihil possit naturæ viribus à se ipso totaliter & adæquatè separari, & in locis distinctis existere. Dico naturæ viribus, nam per virtutem diuinam idem corpus potest simul poni in pluribus locis totalibus & adæquatis, vt fides docet.

Præterea dubitari non potest quin eæ res distinguantur realiter inter se, quæ ita se habent ad inuicem vt vna sit producens respectu alterius, & alia producta. Siquidem lumine ipso naturali constat nihil posse seipsum producere, quia vt se produceret deberet actu existere, cum nihil agat nisi actu sit; vt autem produceretur à se, deberet non existere, cùm id quod producitur accipiat de nouo existentiam; repugnat autem eandem rem simul existere, & non existere.

Quod intellige de vnica productione quæ cuilibet rei naturaliter competere potest, si enim agatur de potentia extraordinaria, non repugnat quod res iam producta & existens, possit seipsam reproducere, vt patet in Christo Domino, cùm seipsum reproduxit in Eucharistia. Vnde in hoc casu non potest sumi

ex productione, sufficiens indicium realis distinctionis inter producens & productum, sed tantùm virtualis, de qua aliquid dicetur in Physica, vbi de corpore in duobus locis diuinitus constituto.

Rursus cùm sit euidentissimum lumine naturæ, idem non posse simul esse & non esse, perspicuum est ea realiter inter se distingui, quorum alterum altero corrupto, existere potest. Cùm enim quod existit, sit, & quod corruptum est, non sit; sequeretur idem simul esse, & non esse, quod planè repugnat. Et hoc intellige non tantum si illa independentia sit mutua, vt inter Petrum & Paulum, sed etiam si non sit mutua, vt inter parietem & albedinem: licèt enim hæc non possit naturaliter existere sine pariete, potest tamen paries existere sine albedine; quod sufficit vt inter illa ponatur distinctio realis.

Non tamen existimandum est sufficiens indicium sumi indistinctionis realis inter aliqua, ex eo præcisè quod vnum ne quidem per virtutem diuinam possit separari ab alio; siquidem fides docet personas diuinas inter se realiter distingui ob rationem allatam, quia scilicet Pater producit Filium, & Pater ac Filius producunt Spiritum sanctum; etsi tamen à se mutuò separari non possint ob identitatem naturæ, per quam sunt vnus numero Deus.

Quæritur 4. an distinctio rei à modo, v. c. naturæ à subsistentia, dici possit realis. Quidam negant, sed oppositum est probabilius, nam vt patet ex dictis, distinctio generatim diuiditur in realem & rationis; at distinctio inter rem & modum non est ra-

tionis ſeu per intellectum, vt omnes qui modos agnoſcunt, fatentur, ergo eſt realis.

Confirmatur, nam vel modus eſt nihil, vel eſt vera aliqua & realis entitas; prius dici non poteſt, quia modus rem intrinſecè afficit & modificat, de nouo producitur, & deſtruitur, &c. adeoque non eſt merum nihil, cum iſta de nihilo dici non poſſint. Quod ſi poſterius verum eſt, vt ſanè eſt, quidni dicemus diſtinctionem modi à re, eſſe verè realem? Licèt enim modus non poſſit eſſe ſine re quam modificat, poteſt tamen eſſe res ſine modo: ac proinde ſicut antè diximus, ex communi ſententia, diſtinctionem eſſe realem inter duas res, quarum vna poteſt ſeparari ab alia, etſi hæc viciſſim ab illa ſeparari non poſſit; ita dicendum eſt ob eandem rationem, diſtinctionem inter modum & rem eſſe verè realem.

Obijcies, diſtinctio realis debet poni inter rem & rem, ergo illa quæ eſt inter rem & modum realis dici non debet. Reſpondeo non ſequi, nam etiam modus eſt verè res aliqua, vt fatentur arguentes. Quòd ſi per rem & rem intelligantur duæ entitates, quarum neutra ſit modus, ſic negandum eſt antecedens; quia diſtinctio realis illa eſt quæ actu in rebus reperitur ante mentis operam, qualis non illa tantùm eſt quæ contingit inter res à modis diſtinctas, ſed ea etiam quæ inter modum & rem modificatam intercedit.

Inſtabis, ea magis diſtinguuntur quæ magis poſſunt ſeparari; at duæ res magis poſſunt ſeparari quàm res & modus, ergo magis diſtinguuntur: adeoque cùm duæ res di-

ſtinguantur realiter, res & modus non ita diſtingui poſſunt. Reſpondeo 1 maiorem falſam eſſe, quia nemo negat quin perſonæ Trinitatis propriè realiter inter ſe diſtinguantur, etſi à ſe mutuò ſint prorſus inſeparabiles. Vnde etſi modus nequeat ſeparari à re modificata, inde non ſequitur rem & modum non diſtingui realiter. Maximè cum res à modo poſſit ſeparari, vt dictum eſt.

Reſpondeo 2. negando poſteriorem conſequentiam, quia etſi concedatur non tantam eſſe diſtinctionem inter rem & modum, quanta eſt inter duas res, inde non ſequitur rem & modum non diſtingui realiter, cùm intra diſtinctionem realem poſſit dari aliqua latitudo. Quo fit vt vulgo Philoſophi doceant, duas res diſtingui realiter maiori realitate; rem autem & modum minori. Verùm hæc nimis de quæſtione, quæ magis ad modum loquendi, quàm ad rem ipſam ſpectat.

ARTICVLVS II.

De diſtinctione rationis.

Diſtinctio rationis illa eſt quæ fit per mentem noſtram, cùm ea diſtinguit quæ à parte rei ſunt vnum: eſtque duplex, ex communi ſententia, quarum alia dicitur rationis ratiocinantis, alia rationis ratiocinatæ, de quibus hic breuiter agendum eſt.

Quæritur 1. quænam ſit diſtinctio rationis ratiocinantis. Nonnulli docent per hanc diſtinctionem eam poſſe intelligi, quæ conſiſtit in vario modo rem eandem concipiendi quoad explicitum, & implicitum; quatenus ea-

dem res concipitur duplici conceptu quorum alter altero est clarior: quomodo se habent v. c. definitio, & res definita; animal rationale, & homo. Et hæc acceptio satis probabilis videtur.

Communiter tamen per distinctionem rationis ratiocinantis ea intelligitur, quæ fingitur à nostro intellectu sine vllo fundamento ex parte rei, vt cum dico, homo est homo; ibi enim homo se habet tanquam subiectum, & tanquam prædicatum, adeoque variis conceptibus intelligitur, etsi ex parte obiecti nullum offeratur fundamentum intellectui talis distinctionis effingendæ.

Verum acceptio ista, etsi sit communis, omnino voluntaria & inutilis apparet. Non enim ea bene vocatur distinctio rationis, in qua ratio nihil distinguit: at in casu allato ratio nihil distinguit, cùm intellectus idem omnino tam ex parte subiecti, quàm ex parte prædicati concipiat, adeoque non intercedant duo conceptus distincti, sed idem conceptus repetitus, quod ad distinctionem rationis non sufficit; cùm hæc locum non habeat, vt patet ex ipsis terminis, nisi ratio aliquid distinguat.

Neque dicas eo ipso fieri distinctionem rationis, quo intellectus concipit aliquid modo vt subiectum, modo vt prædicatum. Id enim conceditur, si verè & non tantùm apparenter, seu quoad externam vocum ordinationem ita concipiat; at in exemplo allato aliisque similibus intellectus de facto non format propriè conceptum subiecti, aut prædicati: ad rationem enim subiecti non sufficit quod terminus aliquis ponatur primo loco in propositione; nec ad rationem prædicati quod ponatur posteriori; imò neque id requiritur vt patet in

istis propositionibus, albus est paries, calidus est ignis, in quibus prædicatum subiecto præmittitur; sed requiritur maximè vt subiectum se habeat tanquam materia formæ substrata & ab ea determinabilis, prædicatum verò vt forma materiæ adueniens, eamque determinans; quorum neutrum habet locum, etiam per mentem, in homine respectu hominis, alijsque similibus.

Quæritur 2. quid intelligatur per distinctionem rationis ratiocinatæ. Respondeo eam intelligi quæ fit ab intellectu cum fundamento in re, ita scilicet vt eadem res varijs conceptibus inadæquatis concipiatur, quibus veluti in varias partes dissecetur; vt cùm homo qui à parte rei est ens, substantia, corpus, viuens, animal, & ratione præditus, modo concipitur sub ratione entis, modo sub ratione substantiæ, &c. ac si in illo ratio entis à ratione substantiæ actu distingueretur, cùm qua tamen perfectè identificatur. Vnde ad distinctionem rationis ratiocinatæ duo requiruntur, alterum ex parte obiecti cogniti, alterum ex parte intellectus cognoscentis. Ex parte obiecti cogniti requiritur vt virtualem multiplicitatem perfectionum intra se contineat, & intellectui spectandam offerat; ex parte verò intellectus, vt vnam perfectionem attingat seu representet sine alia, ac si essent inter se discretæ. Ex quo vlterius sequitur in distinctione rationis ratiocinatæ reperiri tum duos conceptus formaliter præscindentes, tum etiam duos conceptus obiectiuè præscindentes; ita vt vni conceptui formali respondeat vnus conceptus obiectiuus virtualiter distinctus, & alius alij.

Est autem non leuis difficultas, an eiusmodi distinctio admittenda sit. Nonnulli enim

Nominalium sectatores acerrimè contendunt eam explodendam esse, neque aliam admittendam præcisionem quàm formalem, quæ se tenet ex parte intellectus. Quare in eorum sententia, quando concipio hominem sub ratione animalis, animal ex parte obiecti vt cogniti non est præcisum à rationali, adeoque totum hominem concipio; sed præcisio se tenet ex parte solius intellectus, quatenus hominem concipio per ordinem ad operationes animales. Et similiter quando hominem vt rationalem concipio, totum hominem ex parte obiecti concipio; & præcisio se tenet ex parte solius intellectus, qui hominem concipit per ordinem ad opera rationalia. Quò fit vt illi duo actus habeant idem obiectum adæquatum, & diuersa connotata; cum eo tantùm discrimine, vt cum clarè concipio animal, rationale confusè concipiam, & vice versa cùm hoc clarè intelligo, illud obscurè percipiam.

Verùm opposita sententia, quæ est communis in Scholis, videturque probabilior, non tantùm conceptus formales, sed etiam obiectiuos distinguit: ita vt cùm concipio animal, conceptui non obijciatur rationale, & cùm concipio rationale, menti meæ non obuersetur animal; sed quilibet ex his conceptibus inadæquatè hominem repræsentet, sub hac ratione, non sub alia, sicque tot sint conceptus obiectiui seu ex parte obiecti, quot sunt formales seu ex parte intellectus.

Ratio est, quia dubium non est quin sint admittendæ præcisiones obiectiuæ, si datur distinctio virtualis ex parte obiecti. At hæc datur, ergo illæ negari non debent. Maior ab aduersarijs admittitur, qui proinde tam distinctionem virtualem quàm præcisiones obie-

ctiuas negant. Nec immeritò quia si animal v. c. distinguitur virtualiter à rationali in homine, nulla ratio est cur non possim vnum intelligere sine alio, adeoque præscindere obiectiuè inter illa. Minor ostenditur, nam tunc ponitur distinctio virtualis in rebus, quando vnica entitas multis realiter distinctis, citra mentis operam æquiualet: ibi enim est multitudo virtualis entitatum, quæ sine distinctione virtuali intelligi non potest; sicut neque multitudo actualis sine distinctione actuali: at sæpe contingit vnicam entitatem multis æquiualere, citra mentis operam; vt patet v. c. in homine qui simul est rationalis & sensitiuus, tam perfectè quàm si in eo principium ratiocinandi esset realiter distinctum à principio sentiendi, cum quo tamen reipsa identificatur. Ergo virtualis illa perfectionum multitudo distinctionem virtualem in rebus, ante mentis operam necessariò infert.

Confirmatur, nam etiam Aduersarij fatentur cum omnibus Theologis, in Deo esse distinctionem virtualem attributorum, ante mentis operam; eò quòd Deus in vnica simplicissima entitate continet vim multorum principiorum realiter distinctorum, cùm per illam intelligat, velit, amet, odio habeat; misereatur, puniat, &c. ac si verè in illo essent attributa realiter distincta, ad singulos eiusmodi actus eliciendos. Ergo negare non debent quin similis aliqua distinctio virtualis reperiatur in rebus creatis; cùm in illis eadem entitas multis entitatibus realiter distinctis æquiualeat, vt dictum est.

Dicent fortè non esse parem rationem, quia cogimur ponere in Deo distinctionem virtualem perfectionum, vt saluentur propo-

ſitiones contradictoriæ quæ de illo efferuntur; vt quòd per intellectum generet, non per voluntatem, quòd per iuſtitiam puniat, non per miſericordiam, &c. hæc autem ratio non habet locum in creatis. Sed contrà, nam ſi ideo ponenda eſt diſtinctio virtualis inter diuinas perfectiones, quia idem non poteſt ſimul affirmari, & negari de eodem ſub eadem ratione; nos ſimiliter dicemus in creatis admittendam eſſe diſtinctionem virtualem, quia alioqui idem affirmaretur & negaretur de eodem, ſub eadem ratione: vt v. g. quòd planta ſit ſimilis lapidi, & non ſit illi ſimilis; eſt enim illi ſimilis in ratione ſubſtantiæ & corporis, non in ratione viuentis: & ſimiliter quòd homo ſit ſimilis equo, & non ſit illi ſimilis; ſiquidem illi ſimilis eſt quatenus continet gradum entis, ſubſtantiæ, viuentis, ſentientis, non autem ſub ratione intelligentis, diſcurſiui, riſibilis, &c. Ne ergo hæc aliaque ſimilia contradictoria cogamur admittere reſpectu eiuſdem, dicendum eſt in rebus creatis rationes entis, ſubſtantiæ, corporis, viuentis, &c. eſſe diuerſas formalitates, ſi non actu, virtualiter ſaltem diſtinctas, ante opus intellectus; ſicque in illis facilè dari poſſe præciſiones obiectiuas, quatenus vna ex illis rationibus poteſt intelligi ſine alia.

Nec dicas eiuſmodi contradictiones poſſe tolli per conceptus formales, hoc enim falſum eſt, cùm à parte rei & nemine cogitante, vna res ſit alteri ſimilis, & diſſimilis ſecundum varias rationes & formalitates quas in ſe complectitur, quæ proinde ſe tenent ex parte obiecti. Cúmque non diſtinguantur realiter vel actu, vt etiam fatentur Aduerſarij; fatendum,

fatendum est eas vt minimum virtualiter distingui, & vt sic distinctas ab intellectu posse cognosci per conceptus partiales & inadæquatos, quorum vni vna formalitas seu potius virtualitas, alij alia respondeat. Confirmatur, quia similiter sufficeret, contra arguentes, exclusa à Deo virtuali distinctione, quidquid de illo contradictoriè dicitur, per præcisiones purè formales in concordiā redigere.

Obijcies 1. cùm animal & rationale sint idem in homine, si intellectus cognoscit vnum alio non cognito, idem simul cognoscitur & non cognoscitur, quod repugnat. Respondeo 1. hoc argumentum ab ipsis arguentibus soluendum esse, cùm fateantur intellectum nostrum posse hic concipere vnum attributum diuinum alio non cognito, cum quo perfectè identificatur.

Respondeo 2. eo argumento tantùm concludi, idem quod cognoscitur inadæquatè, seu secundum vnam tantùm formalitatem, non cognosci secundum aliam virtualiter distinctam; qua in re nulla est repugnantia, cùm facilè possit intellectus noster effingere speciem expressam animalitatis, quæ rationalitatem ipsam nullo modo repræsentet, atque adeo illam concipere sine ista. Confirmatur, nam cum à longè video aliquid moueri, non discernens vtrum sit homo, an bellua; etsi quod intueor à parte rei sit homo, non tamen dici potest quod obiectum illud cognoscam sub ratione hominis, sed tantùm sub ratione animalis. Quia cùm nihil sit in intellectu, quod priùs non fuerit in sensu, fieri nequit vt intellectus adæquatè aliquid percipiat, quod non nisi inadæquatè per sensum repræsentatur.

Obijcies 2. cognosci & non cognosci non minùs contradictoriè opponuntur, quàm existere & non existere, produci & non produci; sed repugnat animalitatem hominis existere aut produci, & non existere aut non produci illius rationalitatem, ergo & repugnat illam sine ista cognosci. Respondeo 1. hoc argumentum posse retorqueri ex duplici capite contra Aduersarios, primò quatenus fatentur vnum attributum diuinum posse cognosci sine alio, non tamen posse existere sine alio. Secundò quatenus docent, etsi intellectus formaliter præscindens simul cognoscat animalitatem & rationalitatem in homine, vnam tamen ex illis rationibus cognoscere clarè; non aliam. Siquidem non minùs repugnat idem cognosci clarè, & non cognosci clarè, quàm cognosci & non cognosci, existere & non existere, produci & non produci. Quare si hoc argumento, solidè refelluntur præcisiones obiectiuæ, eodem euerti necesse est illas quas formales appellant.

Respondeo 2. negando maiorem, nam existere & non existere, produci & non produci versantur circa idem eodem modo, nempe circa rem secundum suam entitatem spectatam, vt est quid singulare; quare non possunt ambo simul eidem competere. Cognitio verò fertur in eandem rem sub alia & alia ratione virtuali; quare quòd cognoscatur secundùm vnam rationem, non secundum aliam, in eo nulla est contradictio.

ARTICVLVS III.

De distinctione quam aliqui ex natura rei, alij formalem appellant.

PRæmoneo 1. distinctionem aliquam posse dici formalem varijs modis, primò quatenus formale idem est ac essentiale, quo sensu inter hominem & equum est distinctio formalis, quia habent diuersas essentias; non autem inter duos homines, vel duos equos, quia habent similes essentias. Secundò, quatenus fundatur in formis realiter distinctis, quo sensu aqua frigida distinguitur formaliter à calida. Tertiò, ita vt illa distinctio reperiatur inter quasdam formalitates, actu quidem & à parte rei seu ante omnem intellectus cogitationem, non tamen propriè realiter distinctas; quo sensu aliqui ponunt distinctionem formalem inter gradus entis Metaphysicos, & inter diuina attributa.

Præmoneo 2. non esse hic quæstionem de distinctione formali in prima aut secunda acceptione, cùm omnes eam vt sic admittant, sed in tertia duntaxat quam Scotistæ omnes acriter propugnant. Vnde ex eorum sententia, præter distinctionem realem propriam, quæ est inter rem & rem, vel inter rem & modum, & distinctionem virtualem aut rationis; admittenda est distinctio aliqua veluti inter illas media, quæ nec sit per rationem, nec tantùm virtualis, sed actualis & à parte rei; nec tamen sit propriè realis, sed tantùm formalis, vt pote consistens in duabus formalitatibus actu distinctis, quæ sunt vnum ens & vna res.

Opposita tamen sententia, vt est longè com-

munior apud Philosophos, & Theologos, ita & nobis videtur probabilior. Ratio est, quia non potest concipi quòd illa non distinguantur propriè realiter, quæ actu & à parte rei, seu nemine cogitante formaliter distinguuntur: cùm ad verum & essentialem conceptum distinctionis realis propriè sumptæ frustra aliud requiratur, quàm quòd sit inter duas formalitates actu à parte rei & nemine cogitante distinctas. Sicut enim illud est propriè verum & reale ens, quod est ens actu à parte rei, & nemine cogitante; ita ea est propriè vera & realis distinctio, quæ est actu à parte rei, & nemine cogitante. Quare si formalitates aliquæ distinguuntur actu à parte rei, & nemine cogitante, eòipso distinctio, quæ inter illas reperitur, est propriè realis.

Confirmatur, nam si est distinctio ex natura rei, seu à parte rei, cùm nulla natura, nulla res distinguatur actu à seipsa (eò quòd omnis distinctio est inter duo quorum vnum non est aliud) ea distinctio debet esse inter duas naturas, & duas res, ac proinde vera est distinctio realis. Imò non minus est realis, quàm illa quæ reperitur inter Petrum & Paulum, vel inter parietem & albedinem illi inhærentem; cùm hæc non sit propriè realis, nisi quia versatur inter duas naturas, seu inter duas res.

Quod adhuc suadetur, nam animalitas in eo præcisè quo distinguitur à rationalitate, vel est nihil, vel aliquid; prius dici non potest, neque est ad mentem aduersariorum, ergo posterius dicendum est. Atqui animalitas non distinguitur à rationalitate, per aliquid quod sit idem cum rationalitate, quia aliàs esset distincta ab illa, & indistincta secundum idem, quod planè repugnat. Ergo ab illa distinguitur per aliquid quod non est idem cum illa; sic-

que aliquid est in animalitate, quod non est in rationalitate, & vice versa aliquid in rationalitate, quod non est in animalitate. Vnde cùm aliquid & aliquid idem sint ac ens & ens, res & res, inde planè sequitur animalitatem & rationalitatem esse duo entia, seu duas res realiter distinctas, & non tantùm duas eiusdem entis vel rei formalitates. Vnde vlterius colligitur distinctionem verè & propriè realem inter illas intercedere.

Obiicies, animalitas & rationalitas distinguuntur à parte rei & citra mentis operam, nec tamen distinguuntur realiter, ergo distinguuntur formaliter seu ex natura rei. Sequela ab omnibus admittitur, antecedens verò probatur, quia contradictoria non possunt dici de eodem, atqui contradictoria dicuntur de animalitate & rationalitate, nempe quòd illa sit principium sensationum, non hæc, quod ista sit principium ratiocinandi, non illa, &c. ergo animalitas & rationalitas non sunt idem, adeoque distinguuntur formaliter. Respōdeo falsitatem & implicantiā in antecedēte cōtineri; falsitatē quatenus dotet animalitatem & rationalitatem distingui à parte rei; implicantiam verò quatenus cum distinctione actuali & à parte rei coniungit indistinctionem realem: siquidem repugnat ea non distingui realiter, quæ distinguuntur à parte rei & citra mentis operam. Ad probationem verò dicimus, vt contradictiones verificentur de animalitate & rationalitate, non requiri quòd distinguantur à parte rei, sed satis esse vel quod distinguantur tantum per ordinem ad diuersa connotata, vt volunt aliqui, vel quod inter illa distinctio virtualis constituatur, iuxta ante dicta.

Instabis, vel distinctio illa virtualis est per

mentis operam, vel ante opus mentis; si primum dicatur, non soluitur obiectio allata, cum distinctio rationis non sufficiat ad verificanda contradictoria de eodem: si verò posterius, iam à nobis admittitur aliqua distinctio à parte rei quæ propriè non est realis, quæque proinde coincidit cum distinctione formali Scotistarum. Respondeo distinctionem virtualem non esse per mentem, sed à parte rei, eamque valde distingui à formali quam impugnamus. Siquidem Scotistæ putant inter animalitatem & rationalitatem esse à parte rei & actu distinctionem formalem, ita vt nemine cogitante ibi sint duæ actu formalitates, quarum vna non est alia. Nos verò dicimus animalitatem & rationalitatem non esse reipsa & actu duas formalitates, sed vnam tantùm duabus æquiualentem; quatenus illa vnica & eadem entitas potest sola præstare, quod animalitas & rationalitas efficerent si inter se essent formaliter & realiter distinctæ. Illa verò entitas, ratione talis distinctionis virtualis, præbet fundamentum intellectui nostro distinguendi per conceptus inadæquatos animalitatem à rationalitate, sicque inter illas constituendi distinctionem formalem rationis. Vnde cùm Scotistæ dicant animalitatem & rationalitatem esse duas formalitates actu & à parte rei distinctas; nos è contra dicimus, eas quidem esse duas formalitates per mentem nostram distinctas, esse autem actu & à parte rei vnam tantùm formalitatem virtualiter duplicem, adeoque duabus æquiualentem. Plura de hac distinctione tractari solent à Theologis ad primam partem S. Thomæ; vbi de attributis diuinis, & nos breuiter eam attigimus in Idea Theologiæ specul. lib. 1. cap. 2.

CAPVT V.

DE RERVM CAVSIS in genere.

ARTICVLVS PRIMVS.

De causa definitione, & causalitate.

PRæmoneo 1. etsi ad Physicum spectet agere speciatim de causá materiali & formali, hic tamen agendum esse de causis in genere, cùm ratio causæ tam enti increato, quàm creato; tam substantiæ, quàm accidenti competat; ac speciatim de causa efficiente & finali, eò quòd rationes istæ causandi ab ente materiali abstrahunt, rebusque perfectissimis competere possunt.

Præmoneo 2. non esse inquirendum an sit causa, cùm nimis notum sit causas aliquas existere à quibus varij effectus oriuntur: sed tota dubitatio versatur circa essentiam & definitionem causæ, qua in re non satis inter se consentiunt Philosophi, eò quòd definitio causæ in genere nullibi tradita est ab Aristotele. Itaque

Quæritur 1. quid sit causa. Respondeo causam vulgò definiri, *principium à quo aliud per se accipit esse*. In primis dicitur *principium*, quia licèt non omne principium sit causa, omnis tamen causa est principium. Vnde per hanc particulam quæ habet locum generis, causa cōuenit cum principijs quæ non sunt causæ, vt cum priuatione in rebus Physicis, quæ quidem est principium generationis, non tamen causa. Itemque in di-

uinis cum personis producentibus,quæ habent rationem principij respectu productarum, sed non causæ, vt monuimus in Idea Theologiæ specul. lib. 2. cap. 4. resol. 1.

Deinde dicitur *à quo aliud accipit esse*, per quam particulam causa distinguitur à priuatione, hæc enim est principium generationis vt terminus à quo, sed non vt causa; cùm generatio non accipiat esse ab illa. Excluduntur etiam à causæ definitione personæ diuinæ producentes, quia etsi Filius accipiat esse à Patre, & Spiritus sanctus ab vtroque, tamen persona procedens non est aliud à producente, quia esse aliud dicit distinctam vel specie vel saltem numero essentiam; personæ autem diuinæ habent omnes eandem numero essentiam, per quam sunt vnus numero Deus.

Tertiò dicitur *per se*, qua particula excluduntur causæ quæ vocantur per accidens, seu quæ concurrunt ad aliquem effectum, non ex propria ratione, sed quia per accidens reperiuntur coniunctæ cum causis per se in illum influentibus; vt cùm medicus cantat, aut saltat, hæc enim non procedunt per se ab illo, vt medicus est, sed quatenus canendi, aut saltandi peritiam habet, cui scientia medicinæ per accidens in eo coniuncta est.

Excluduntur etiam conditiones ad causandum requisitæ, quia etsi per se videantur requiri vt effectus producatur, propriè tamen effectus non dicitur per se pendere ab illis; cùm in illum realiter non influant, sed sint tantùm quædam veluti circunstantiæ requisitæ vt causa effectum producat.

Nota 1. ad iam explicatam definitionem aliàs quasdam posse reduci, vt cùm causa de-

finitur *Principium per se influens esse in aliud*, vel, *id à quo aliquid per se pendet*, vel, *id ad quod aliud sequitur*, nam in vltima quæ magis à nostra distare videtur, vox *sequuntur* non debet sumi pro qualibet consecutione, cùm vnum possit sequi ad aliud sine vlla causalitate, puta loco, tempore, &c. sed pro ea quæ includit influxum realem præcedentis in sequens, quomodo soli causæ conuenit.

Nota 2. causam congruentiùs definiri per *principium*, quàm per *id*; sicut homo meliùs definitur per *animal*, quàm *per substantiam*; quia ratio principij proximiùs accedit ad naturam causæ, quàm ratio entis.

Nota 3. esse mutuam relationem transcendentalem inter causam & effectum; causa enim non est nisi effectus causa, nec effectus nisi causæ effectus. Quare non est absurdum quod causa definiatur per ordinem ad effectum, imò illius essentia aliter perspici clarè non potest, sicut effectus essentia intelligi nequit nisi per ordinem ad causam: vnde definitur, *id quod ab alio per se pendet, seu recipit esse*.

Quæritur 2. in quo consistat ratio formalis causæ constitutiua, seu causalitas. Quod vt clariùs intelligas,

Aduerte 1. non posse concipi effectum aliquem prodire à causa, nisi mediante causatione seu causalitate per quam causa in illum influat, eique esse tribuat.

Aduerte 2. dubium esse quidnam sit eiusmodi causalitas, an ipsa entitas causæ, an aliquid ei superadditum, siue per modum potentiæ, siue per modum actus.

Aduerte 3. causam duobus modis spectari posse, vel in actu primo, seu quatenus potest

causare; vel in actu secundo, seu quatenus actu causat. His positis,

Respondeo & Dico 1. *Causam constitui causam in actu primo, per potentiam communicandi esse effectui.* Ratio est euidens, nam eò ipsò quòd causa tali potentia prædita est, censetur posse effectum producere, adeoque esse constituta in actu primo ad eum producendum: vt homo est constitutus in actu primo ad generandum, quatenus habet potentiam generandi; ignis ad calefaciendum, quatenus habet potentiam calefaciendi.

Dico 2. *Causam constitui causam in actu secundo, per actualem influxum in effectum quo illi esse communicat.* Probatur, nam cum inter potentiam influendi, & actualem influxum non detur medium, sicut causa constituitur causa in actu primo per potentiam influendi, ita & per actualem influxum causa in actu secundo constitui debet. Confirmatur, nam eò ipsò intelligimus ignem actu causare, seu esse causam in actu secundo, quò actu influit in effectum.

Hinc autem colligitur 1. causalitatem istam non esse entitatem causæ secundum se sumptam, siquidem causa per suam entitatem præcisè non est causa in actu secundo, alioqui semper causaret quamdiu existit, quod absurdum est.

Colligitur 2. causalitatem non esse relationem prædicamentalem, sed potiùs fundamentum talis relationis; siquidem ideo causa refertur ad suum effectum prædicamentaliter, quia illum actu causat, & effectus ad suam causam, quia ab illa actu causatur. Quare causatio seu causalitas est prior relatione, adeoque in illa consistere nequit.

Colligitur 3. causalitatem illam nihil esse aliud quam actualem influxum quo causa tribuit esse effectui. Quod ita puto debere intelligi, vt eadem realiter causalitas diuersimode spectata, sufficiat tam ex parte causæ, vt dicatur in effectum influere, quàm ex parte effectus, vt dicatur à causa influxum recipere.

Verùm obijcies contra prædictam assertionem, vel causalitas pendet à causa immediatè, vel mediante alia causalitate; at posterius dici nequit, quia sequeretur progressus infinitus inter causalitates, ergo prius admittendum est. Vnde consequens videtur etiam effectum posse immediate à causa oriri; adeoque causalitatem nihil esse aliud quàm entitatem causæ, quatenus effectus ab ea dependet. Respondeo admisso argumento, negandam esse consequentiam ex eo deductam, siquidem causalitas non pendet à causa vt id quod dependet, sed vt id quo mediante aliud dependet, nempe effectus. Quare etsi causalitas non indigeat alia causalitate, sed per seipsam pendeat à causa, id non impedit quin effectus mediante causalitate produci debeat. Exempli causa, cùm ignis aquam calefacit, ista calefactio est immediate ab igne, non autem per aliam calefactionem; at calor in aqua receptus, mediante calefactione productus est.

ARTICVLVS II.

Quotuplex ſit cauſa.

ARiſtoteles 2. Phyſic. cap. 3. aſſignat quatuor cauſarum genera, nempe materialem, formalem, efficientem, & finalem; cuius numeri rationem tradit poſtea cap. 7. quia nimirum cum cauſa ſit ratio quæ affertur ad reſpondendum quæſtioni, quæ de re aliqua fieri poteſt, tot admittendæ ſunt cauſæ, quot quæſtiones fieri poſſunt. At hæ ſunt quatuor, nam imprimis inquirimus à quo res ſit, & reſpondetur per cauſam efficientem à qua producta eſt, vt ſi dicas Alexandrum eſſe genitum à Philippo. Secundo inquirimus propter quid res ſit, & reſpondetur per cauſam finalem ob quam producta eſt, vt ſi dicas animalia eſſe producta propter hominem. Tertiò inquirimus ex quo res ſit, & reſpondemus per cauſam materialem ex qua componitur, vt ſi dicas hominem ex corpore corruptibili compoſitum eſſe. Quarto inquirimus per quid res ſit, & reſpondemus per cauſam formalem; vt ſi dicas hominem conſtitui in ratione hominis per animam rationalem.

Poteſt etiam idem numerus cauſarum ex eo colligi, quòd omnes fatentur dari materiam tanquam primum ſubiectum ex quo res fiunt, cùm ex nihilo nihil naturaliter fieri poſſit; at hæc requirit formam ſubſtantialem, vt cum ea conſtituat compoſitum, cùm ſe ſola ad id ſufficere nequeat, vt perſpicuum eſt. Vt autem forma produ-

catur in materia, requiritur agens distinctum cuius vi illa productio fiat, eò quòd nihil seipsum producere potest. Agens verò non producit determinatum effectum, nisi ex fine aliquo certo & determinato. Quare admittendæ sunt quatuor causæ memoratæ, quarum duæ priores sunt intrinsecæ composito physico, duæ verò posteriores extrinsecæ.

Verùm quod non detur nisi vna causa, nempe efficiens, sic ostendi potest. Causa est quæ tribuit esse effectui, vt patet ex supradictis; at tribuere esse spectat solum ad causam efficientem. Respondeo quando dicimus causam esse quæ tribuit esse effectui, vocem *tribuit* non debere sumi strictè pro causalitate effectiua, sed latè pro quocunque modo quo vnum per se dependet ab alio; qua ratione materia & finis tribuunt esse formæ corporeæ, quatenus hæc producitur dependenter ab illis. Vnde admissa eo sensu maiori propositione, minor neganda est.

Deinde obiici potest, non esse maiorem rationem cur materia & forma sint causæ, quàm partes integrantes, cum tam ex his, quàm ex illis constituatur compositum; adeoque vel materiam & formam non esse causas, vel plures esse causas quàm quatuor. Respondeo negando paritatem quæ gratis supponitur, ideo enim materia est causa, quia forma fit dependenter ab illa; & forma est causa, quia materiã actuat & perficit: at partes integrantes nullam inter se mutuò causalitatem exercent, & proinde inter causas numerari non debent.

Obijcitur rursus, obiectum habere rationem causæ respectu actus ab illo dependentis, vt coloratum respectu visionis, hancque causam ad

nullam ex quatuor vulgaribus reduci posse. Resp. hoc posterius falsum esse, nam si obiectũ consideretur vt per sui speciem effectiuè concurrit ad actum, sic ad causam efficientem reduci debet; si verò spectetur vt tribuit speciem actui, hoc modo ad causam formalem referri potest, eò quod proprium est formæ tribuere speciem. Quòd si obiectum attendatur, quatenus ratione suæ bonitatis terminat appetitionem animalis, eo sensu ad causam finalem reduci debet.

ARTICVLVS III.

Quomodo causæ mutuò se habeant inter se.

QVæritur 1. an omnes causæ sint inter se formaliter & realiter distinctæ.

Respondeo & Dico 1. *Esse distinctionem formalem seu essentialem inter omnes causas in ratione causandi.* Ratio est, quia alia est causalitas causæ efficientis, alia materialis, alia formalis, alia finalis, neque vna formaliter includi potest in alia. Causa enim efficiens causat effectiuè influendo in effectum, materia sustentando formam, forma actuando materiam, & finis mouendo causam efficientem ad agendum, modo infrà explicando. Quare omnes illæ causalitates essẽtialiter inter se distinctæ sunt.

Dico 2. *Non tamen repugnare quod eadem res possit plures ex ijs causalitatibus exercere.* Nam in primis ex Arist. 2. physic. cap. 7. tex. 70. forma & id cuius gratia, seu finis, sunt vnum; finis quippe proximus generationis est vt forma producatur, ac proinde eadem realis entitas habet simul rationem causæ formalis, & finalis.

Rursus forma per generationem producta est principium efficiens respectu suarum operationum: Ex quo sequitur non modo rationem finis, & formæ, sed etiam causæ efficientis eidem entitati competere.

Quòd si materia latè sumatur pro subiecto accidentium, cùm forma proprias potentias naturales & actiones immanentes in se recipiat, hinc fit vt etiam causalitas materiæ eo modo sumptæ ei competat.

Quæritur 2. quomodo ordo prioris & posterioris inter causas constituendus sit, siue quoad causalitatem, siue quoad dignitatem.

Respondeo & Dico 1. *quoad ordinem causandi primam esse causam finalem, secundam efficientem, tertiam materialem, & vltimam formalem.* Ratio est, quia cùm agens educat formam ex materia ob finem aliquem, in rei generatione priùs est motio seu causalitas finis, qua agens excitatur ad agendum; Deinde causalitas agentis qua forma educitur ex materia, tum causalitas materiæ vt subiecti suppositi ad receptionem formæ, ac tandem formæ vt actus materiam perficientis.

Vbi nota, etsi materia non causet priùs tempore quàm forma, quia non causat nisi recipiendo formam, quo ipsò forma iam suam causalitatem vicissim exercet erga materiam eam actuando; posse tamen poni prioritatem aliquam naturæ vel rationis in causalitate materiæ; quatenus materia præexistit formæ, ad illam disponitur, ad eius eductionem concurrit, & productam sinu suo excipit.

Dico 2. *Quoad ordinem dignitatis, primam esse causam efficientem, secundam materialem, tertiam formalem, quartam finalem.* Probatur supponendo me hic agere de dignitate causarum

in ratione causandi, quæ sumi debet ex modo influendi in effectum, ita vt eo causa alia sit nobilior, quo effectus magis ab illa pendet. Constat enim causam efficientem aliis omnibus causis præstare, cùm illius causalitas in reali actione, quæ magna quædam est perfectio, consistat, eaque propriè esse effectui sola tribuat.

Deinde, materiæ causalitas videtur simpliciter perfectior, seu maior causalitate formæ; saltem si agatur de forma materiali; quia materia est subiectum è cuius gremio forma educitur,& sine quo subsistere nequit: cùm tamen materia non pendeat quoad esse à forma, vt ex dicendis in Physica supponimus.

Rursus, causalitas formæ præferenda est causalitati finis, quia forma causat seipsam communicando materiæ, eamque perficiendo; finis verò cum moueat antequam sit, realiter in effectum influere non potest, sed tãtùm moraliter seu metaphoricè, vt infrà explicabimus.

Nota causas prædictas sub aliis respectibus posse considerari, sicque inter earum causalitates alium ordinem dignitatis à nonnullis constitui, quod nobis minimè aduersatur.

Quæritur 3. an causæ sibi sint mutuò causæ. Aristoteles affirmat 2 Physic. cap. 3. tex. 30. vbi ait deambulationem esse causam sanitatis, & sanitatem deambulationis, non quidem in eodem genere, sed in diuerso; siquidem deambulatio est causa efficiens sanitatis, sanitas verò est causa finalis deambulationis.

Verùm ad maiorem huius difficultatis intelligentiam, Nota 1. dupliciter concipi posse causas esse sibi mutuò causas, nempe vel ratione causalitatis, vel ratione existentiæ.

Nota 2. causam finalem & efficientem esse

mutuò causas priori modo, quatenus causalitas finis necessariò infert causalitatem agentis, & hæc illam. Et similiter materia & forma sunt eo modo sibi inuicem causæ, cùm neutra possit suam causalitatem exercere sine causalitate alterius.

Nota 3. causam efficientem interdum causare finalem secundum illius existentiam, vt deambulatio causat sanitatem, & interdum finem esse causam efficientis, vt in eodem exemplo; nam deambulatio fit sanitatis causa. At quamuis materia causet formam materialem quoad existentiam, non tamen vicissim forma materiam. Verùm ista clariùs percipientur vbi agetur de qualibet causa in particulari.

ARTICVLVS IV.

De habitudine causæ ad effectum.

QVæritur 1. an causa sit semper prior suo effectu prioritate naturæ, temporis, & dignitatis.

Respondeo & dico 1. *Inter causam & effectum posse poni simultatem naturæ, prioritatem naturæ, & prioritatem temporis, iuxta varios modos quibus spectari, & inter se conferri possunt.* Quod ita explico.

In primis si causa & effectus considerentur vt sunt relata, eo sensu sunt simul natura; quia relata sunt simul natura, vt patet ex Logica.

Deinde si causa spectetur secundum causalitatem per quam influit in effectum, sic omnis causa est prior natura suo effectu; siqui-

dem id quo mediante aliquid producitur, est prius illo, vt generatio actiua est prior natura homine genito.

Tandem si causa spectetur præcisè quoad suam entitatem, hoc modo potest tempore præcedere effectum, qua ratione pater vt homo præcedit filium. Id tamen non semper euenit, vt constat in sole qui non tempore, sed tantùm natura lucem à se diffusam præcessit.

DICO 2. *Omnem causam formaliter vt causam, esse nobiliorem suo effectu, vt effectus est.* Ratio est manifesta, quia dare vt sic est nobilius quam accipere; at causa, vt causa, dat esse effectui, & effectus, vt sic, esse accipit à causa, & ab illa dependet: quare causa formaliter spectata est nobilior effectu. Verùm difficultas superest de causis & effectibus entitatiuè spectatis, pro quo

DICO 3. *Finem interdum esse nobiliorem effectu suo, interdum ignobiliorem.* Primum patet, cùm homo aliquem actum moralem ex fine excellentiori elicit, vt cùm tribuit eleemosynam propter Deum. Secundum verò ostenditur, quia potest homo ob libertatem qua pollet, actum aliquem ex se bonum in finem malum dirigere; vt cùm quis dat eleemosynam ex vana gloria.

Nota hoc esse discrimen inter finem naturalem alicuius rei, seu à natura præstitutum, & finem liberum, seu ab hominis libertate pendentem, quòd prior semper est perfectior effectu ad illum ordinato, non autem posterior.

DICO 4. *Causam efficientem principalem interdum esse nobiliorem effectu, interdum æquè nobilem.* Est nobilior, si causa sit æquiuoca, vt sol respe-

ctu lapidum & metallorum, quorum creditur causa. Est autem æquè nobilis, si causa sit vniuoca, vt homo generans respectu hominis geniti. Non tamen potest hæc causa esse ignobilior effectu, quia nemo dat quod non habet, vel formaliter, vel eminenter. Verùm causa instrumentalis, cùm non operetur vi sua, effectu suo ignobilior esse potest.

Dico 5. *Materiam collatam cum forma materiali, quæ est effectus illius, esse vno respectu ea nobiliorem, & alio ignobiliorem.* Est illa nobilior, quatenus est substantia per se existens & incorruptibilis; est autem eadem ignobilior, quatenus ab illa actuatur, & quodammodo perficitur.

Quod si hæ causæ conferantur cum composito, sic dicendum est 1. compositum non esse quid perfectius materia & forma simul vnitis, & collectiuè sumptis; quia sic ab ijs non distinguitur, vt dicetur in Physica. 2. esse quid perfectius alterutra, nam cùm includat materiam & formam, nemo negat quin sit perfectius materia sola. Verùm cum etiam materia dicat perfectionem aliquam entitatiuam, vt alibi ostendemus, negari non potest quin compositum sit perfectius sola forma.

Quæritur 2. An eadem causa possit diuersos & contrarios effectus edere.

Respondeo & dico 1. *Eandem causam posse diuersos effectus habere.* Probatur, nam eadem materia potest esse subiectum diuersarum formarum tam substantialium, quàm accidentalium; cum eo tamen discrimine, vt simul plures & diuersas formas accidentales habere possit, substantiales vero saltem adæquatas & totales non nisi successiuè. Forma tamen non nisi vnum effectum formalem habet, vt calor effi-

cit formaliter calidum, albedo album, &c.

Potest etiam idem finis diuersos effectus obtinere, vt patet cùm quis sanitatis causa modò ambulat, modò potiones sumit, modò alia pleraque præstat, quæ ad hunc finem consequendum ipsi videntur vtilia.

Ac præterea sunt multæ causæ efficientes quæ effectus diuersos producunt vt sol, anima, aliæque causæ quæ vulgò æquiuocæ dicuntur; cùm vniuocæ non nisi effectus vnius rationis producant.

Nec refert illud vulgatum ex 2. de generat. sumptum, *Idem manens idem, facit tantùm idem*, sensus enim est, idem cum talibus dispositionibus & circumstantijs, facere tantum idem; quod non impedit quin absolutè plura efficere possit; nimirum cum aliis dispositionibus & circumstantijs; vt sol potest cum arboribus suo modo concurrere ad productionem fructuum, & cum animalibus ad generationem animalium.

Hoc autem intellige de causis efficientibus quæ naturaliter & necessariò operantur, nam si agatur de causis liberis, eæ possunt manentibus ijsdem conditionibus, hunc vel illum actum elicere; cùm à nulla re externa ad agendum determinentur, vt alibi non semel ostendimus, & in Ethica iterum inculcandum erit.

Dico 2. *Eandem causam posse habere effectus oppositos.* Id patet ex Arist. 2. Physic. cap.3.tex. 30. Vbi ait idem esse causam contrariorum, quod probat exemplo gubernatoris, cuius præsentia est causa salutis nauis, absentia submersionis. Verùm gubernatoris absentia non est per se causa submersionis nauis, sicut solis recessus non est causa per se frigoris, sed tantùm per accidens.

Aliter ergo probatur de causa per se, exemplo tum hominis, qui vt est agens liberum potest elicere actus contrarios, nempè amoris & odij &c. tum solis, qui concurrit ad productionem albedinis in cygno, & nigredinis in coruo; dulcedinis in fructibus domesticis, & amaritudinis in syluestribus: tum eiusdem cibi qui alijs placet, alijs displicet; his est salubris, & illis nocet, vt patet experientia.

Atque idem habet locum in causa materiali, cum eadem formas oppositas saltem successiuè recipere possit; & in finali, siquidem ex eodem fine potest quis vsurpare media opposita, saltem successiuè, vt cùm quis sanitatis tuendæ causa modo comedit, modo abstinet à cibis; modò vigilat, modo dormit. Non tamen in formali, quia cum effectus formalis ab ipsa forma realiter non distinguatur, repugnat quod eadem forma habeat plures effectus formales oppositos, vt quod calor efficiat formaliter calidum, & frigidum, &c.

ARTICVLVS V.

De habitudine effectuum ad causas.

QVæritur 1. an idem effectus à pluribus causis simul produci possit. Vt huic difficultati satisfaciam,

Præmoneo 1. satis constare plures causas diuersi generis ad eundem effectum producendum concurrere, imò omnes ad productionem cuiuslibet compositi naturalis requiri, cùm intrinsecè constet ex materia & forma, & ab agente extrinseco ob finem aliquem producatur. Quare dubium est an plures cau-

sæ eiusdem generis eundem effectum producere possint.

Præmoneo 2. non dubitari quin plures causæ partiales eiusdem generis ad eundem effectum possint simul concurrere, vt patet cum duo homines trahunt nauim quam neuter solus trahere posset; sed difficultas est an plures causæ totales, quarum neutra sit alteri subordinata, eundem simul effectum producere possint, vt plures ignes eundem ignem, &c. Dico, quarum neutra sit alteri subordinata, nam quod idem effectus pendeat à causa particulari, simulque ab vniuersali cui essentialiter subordinatur, vt ignis genitus ab igne generante, & à Deo, vel etiam, vt vult communis sententia, à sole, id tanquam certum ab omnibus supponitur.

Præmoneo 3. hic nomine causæ totalis non intelligi eam quæ excludit quamuis aliam, sic enim perspicuum est eundem effectum non posse à duabus causis totalibus procedere; sed eam quæ se sola habet sufficientem & adæquatam vim in suo genere ad effectum producendum, vt homo ad generandum hominem, ignis ad producendum ignem.

Præmoneo 4. difficultatem istam præcipuè versari circa causam efficientem, nam si agatur de causis internis, constat idem compositum non posse ex duplici materia, aut forma totali coalescere; quia sic non esset vnum per se, & vnius essentiæ, sed potiùs aliquod aggregatum per accidens. Constat etiam eundem effectum posse oriri à pluribus finibus totalibus, vt patet cum quis vadit Romam tum vt inuisat loca sacra, tum animo consequendi aliquod beneficium, ita vt eò pergeret vel ex altero ex his motiuis, etsi aliud

deficeret. Quibus præmissis,

Respondeo & dico 1. *Non posse naturaliter eundem effectum simul produci à pluribus causis totalibus.* Probatur, tum quia sicut natura non deficit in necessarijs, ita abhorret à superfluo: at posito influxu vnius causæ totalis in effectum, alius quicunque est superfluus. Tum quia experientia constat, quando duo agentia simul operantur circa idem subiectum, vt cùm duo ignes eandem aquam calefaciunt, effectum longè celeriùs produci, quàm si vnum tantùm concurreret. Hoc autem euidens signum est neutrum concurrere vt causam totalem, sed vt partialem duntaxat; siquidem causa totalis est illa quæ sola sufficiens est vt totum effectum, cum eadem intensione, & æquali tempore producat, quod hic non contingit.

Idemque de omnibus agentibus naturalibus affirmari potest, eò vel maximè quia cùm plura simul naturaliter esse nequeant, sed in locis aliquantum distantibus, fieri nequit quod æqualiter distent ab omnibus partibus subiecti in quod agunt, sicque quodlibet fortiùs aget in partem sibi viciniorem, & remissiùs in remotiorem, adeoque erit causa tantùm partialis effectus. Imò quamuis duo agentia diuinitùs essent simul penetratiuè, si sibi relinquerentur, non agerent nisi partialiter, quia vel majorem effectum, vel breuiori tempore producerent.

Obijcies 1. Potest idem effectus produci à duabus causis totalibus inter se subordinatis: ergo & à duabus minimè subordinatis. Respondeo non sequi, & ratio discriminis est, quia causa alteri subordinata non potest sine illa agere, & effectus vtramque necessariò

respicit : causa verò alteri non subordinata potest sine illa agere, nec effectus vtramque respicit, sed vnam dumtaxat: quare cum earum altera sit superflua, non possunt ambæ ad eumdem effectum concurrere naturaliter.

Obijcies 2. Idem effectus potest pendere à duobus finibus totalibus; ergo & à duobus efficientibus totalibus. Respondeo non sequi, quin' potius oppositum inde colligi debet: Siquidem effectus finis est medium & causa illius quantum ad executionem; at frustrà adhibentur duo media ad consecutionem duorum finium, quando vterque æquè per vnum comparari potest. Ergo similiter frustrà concurrerent duæ causæ totales ad productionem eiusdem effectus, cum per vnam illarum integrè produci possit.

Obijcies 3. Plures sacerdotes possunt simul eandem hostiam consecrare, & eundem baptismum conferre, idque vt causæ totales: ergo plures causæ efficientes totales possunt eundem effectum producere. Respondeo non sequi, tum quia in nostra sententia, antecedens procedit de causalitate morali, hic autem agimus de Physica : tum quia etsi sacerdotes in confectione Sacramentorum agerent vt causæ Physicæ, id fieret supernaturaliter, non autem per vires naturæ, de quibus hic agimus.

Dico 2. *Eumdem effectum posse supernaturaliter produci simul à pluribus causis totalibus.* Ratio præcipua est, quia ex communi Theologorum pronunciato, nihil est denegandum potentiæ Dei, nisi quod manifestam inuoluit contradictionem: at quod idem effectus possit simul produci à duabus causis totalibus, id manifestam non inuoluit contradictionem,

vt

vt ex solutione obiectionum patebit; ergo id denegandum non est potentiæ Dei absolutæ.

Confirmatur, quia non magis videtur implicare quod vnus effectus procedat simul à duabus causis, quàm quòd eadem natura terminetur simul à duobus suppositis extraneis, aut quòd idem locus simul occupetur à duobus corporibus. Quare cùm hæc supernaturaliter fieri possint, vt fatentur omnes Catholici, idem de illo affirmandum est.

Obijcies 1. Causæ distinctæ non possunt agere nisi per distinctas actiones; at distinctarum actionum distincti sunt termini, adeoque distincti effectus per eas producti. Respondeo minorem veram esse naturaliter, non supernaturaliter, cum enim actio sit causalitas agentis, distincta saltem modaliter ab effectu, non repugnat quod diuersæ actiones ad eundem realem effectum terminentur.

Obijcies 2. Si effectus produceretur simul à duabus causis, sequeretur eum dependere ab vtraque, vt supponitur, & à neutra dependere, quia posset existere sine alterutra. Respondeo hoc posterius non sequi, quia vt effectus verè dependeat ab vna causa, sufficit quod accipiat esse ab illa, siue illud etiam accipiat ab alia, siue non. Quare in dicto casu effectus verè dependeret ab vtraque causa, quia ab vtraque esse acciperet; sicut forma dependeret à duplici materia, si in vtraque diuinitus constitueretur: quia quælibet eam sustentaret, esto alterutra deficiente, in alia posset conseruari.

Instabis saltem hinc sequi, neutram fore causam per se effectus, sed per accidens. Verùm id negatur, nam causæ illæ verè &

realiter influerent in effectum, non minùs quàm si quælibet seorsim effectum peculiarem produceret; quare vtraque esset causa per se effectus., causa enim per accidens non influit realiter in effectum., sed tantùm coniuncta est cum causa in illum influente; vt cum medicus cantat, aut musicus sanat.

Obijcies 3. Non potest effectus dependere ab ea causa cuius influxu non indiget; at effectus qui producitur ab vna causa totali, non indiget influxu alterius, ergo ab ea dependere non potest. Respondeo majorem absolutè negandam esse, nam quod effectus non indigeat influxu alterius causæ, hinc tantùm sequitur eum non necessariò ab illa pendere; at non sequitur Deum non posse efficere vt actu ab illa pendeat, quemadmodum potest Deus efficere vt natura terminetur à duabus subsistentijs, etsi vna tantùm indigeat; & vt locus repleatur à duobus corporibus, esto ab eorum altero sufficienter repleri possit; vel vt idem corpus simul constituatur in duobus locis adæquatis, etsi vnum tantùm illorum naturaliter exigat.

Quæritur 2. An idem effectus à pluribus causis diuisim, & secundum se produci possit. Vt autem status huius quæsiti melius percipiatur,

Aduerte 1. Difficultatem non procedere de causis internis, & effectu illarum; constat enim si varietur materia, aut forma, non esse idem numero compositum, adeoque vt idem homo resurgat, requiri eandem materiam, modo alibi explicando. Dubitatio ergo procedit de causis efficientibus.

Aduerte 2. Sensum propositæ quæstionis esse, an idem numero effectus qui ab vna

causa productus est, potuisset æquè ab alia produci, si ad idem subiectum fuisset applicata. Vtrum verbi causa idem calor qui productus est in aqua ab igne A, æquè fuisset productus ab igne B, si loco ignis A, eidem aquæ in iisdem circumstantiis applicatus fuisset.

RESPONDEO & dico 1. *Id fieri non posse naturaliter.* Probatur 1. quia duo totalia agentia & minimè subordinata non possunt agere nisi per distinctas actiones; at distinctæ actiones non possunt naturaliter tendere ad eundem effectum, siquidem actio non distinguitur nisi ad summum modaliter à termino per eam producto, quare repugnat quod duo agentia naturaliter eundem numero effectum producant.

Probatur 2. Quia ex opposita sententia sequitur, quemlibet ignem quoslibet ignes producere, & à quibuslibet produci posse naturæ viribus; & similiter quemlibet hominem quoslibet homines producere, & à quibuslibet produci posse, quod sanè per se absurdum & incredibile videtur; potiusque dicendum est quemlibet effectum dicere ordinem ad certam causam à qua produci potest, non ad alias omnes eiusdem speciei indifferenter.

Confirmatur quia si quilibet effectus posset ex se æquè produci ab omnibus causis eiusdem speciei, sequeretur posse fieri spectata rei natura, vt Petrus non sit genitus à Paulo, sed ab alio quolibet, sitque pater ipsius Pauli, quod sane à nobis admitti non potest.

Probatur 3. Quia si quilibet effectus contineretur in potentia actiua cuiuslibet causæ eiusdem speciei; vt supponitur in sententia opposita, posset idem effectus per se lo-

quendo millies, imò & infinities produci, etiam naturæ viribus; v. c. quilibet homo ab omnibus hominibus poſſibilibus, quilibet equus à tota equorum ſpecie, ſicque reproductio eiuſdem hominis, vel equi non eſſet miraculoſa; quod dici non poteſt. Maximè quia aliàs nulla eſſet ratio cur non interdum; imò ſæpe, in tanta rerum multitudine idem numero indiuiduum non reproduceretur, non modo poſtquam interijt, ſed etiam quandiu adhuc ſuperſtes eſt.

Obijcies 1. Si repugnat quod v. c. calor productus ab igne A, potuerit produci ab igne B, vel id repugnat quia eſt calor, vel quia eſt hic numero calor; non quia eſt calor, quia calor à quouis igne produci poteſt; at nec quia eſt hic numero calor, quod enim talis ſit numero, id non habet ratione ignis à quo de facto productus fuit, ſed per ſuam propriam entitatem: Ergo ex nullo capite repugnat quod potuerit produci ab igne B. Reſpondeo repugnare quia per talem numero actionem, quæ alteri igni competere nequit, productus fuit.

Obijcies 2. Idem calor ab vno igne in aqua productus, ab alio poteſt conſeruari, ergo & produci. Reſpondeo non ſequi, quia vt calor conſeruetur, ſufficit quod impediatur frigus oppoſitum à quo deſtrueretur; vt autem producatur, requiritur influxus realis in illum.

Dico 2. *Nil repugnare quin effectus ab vna cauſa productus, ab alia ſupernaturaliter produci potuerit.* Probatur ex ſupradictis, nam ſi duo ignes ſimul iuncti eundem calorem diuinitus producere poſſunt, quidni ſinguli ſeorſim poſſent illum producere? In hoc ſane non major apparet repugnantia quàm in illo, imò

minor reperitur, vt patebit intuenti. Atque hoc validè confirmatur ex dictis in Idea Theolog. speculat. lib. 1. cap. 14. in fine, vbi iuxta communem sententiam Theologorum docuimus, vnionem Verbi cum hac humanitate potuisse decerni, priùs ratione quàm decerneretur illius assumptio ex tali fœmina. Hinc enim manifestè sequitur, Christum secundum se ab hac aut illa fœmina generari potuisse, adeoque effectum aliquem non ita determinatè à sua causa connaturali procedere quin diuinitus ab alia oriri potuerit.

CAPVT VI.

De Causa efficiente.

ARTICVLVS PRIMVS.

De Causa efficiente in genere.

QVæritur 1. Quid sit causa efficiens. Respondeo eam definiri ab Aristotel. 2. Physic. cap. 3. tex. 29. *Id vnde mutationis, aut quietis primum est principium, qualis causa*, inquit, *est is qui consulit, & Pater Filij, & vno verbo id quod efficit eius quod fit; & quod immutat, eius quod immutatur.* Verùm clariùs definiri potest causa efficiens, *Id à quo tanquam à primo principio est motus aut quies.*

In primis dicitur *id à quo*, quibus verbis indicatur specialis modus causandi causæ efficientis, vt ab alijs causis distinguitur; mate-

ria enim est, *Id ex quo*; forma, *id per quod*, finis *id propter quod*, & efficiens *id à quo aliquid fit*.

Secundò dicitur *tanquam à primo principio*, quibus verbis videtur excludi ab hac causæ definitione causa instrumentalis, quæ cùm non causet vi propria, sed ex motione causæ principalis à qua ad agendum impellitur, primum principium dici nequit.

Nec dicas, esse primum principium competere tantùm primæ causæ, quæ Deus est; hoc enim apud Christianos certissimum est: Verùm de ea non cogitauit Aristoteles, cùm causam efficientem definiuit, sed tantum de causa efficiente creata, quæ inter alias causas creatas est quoad executionem, primum principium à quo omnis mutatio oritur.

Tertiò dicitur *motus*, *aut quietis*, vbi per motum intelligi solet mutatio qua res fit & producitur è subiecto aliquo, & per quietem conseruatio rei productæ; vt cùm ignis calorem productum in suo esse, velut in statu quieto conseruat.

Quòd si opponas, naturam in Physicis definiri, *Principium motus, & quietis*: Respondeo eam definitionem intelligi de principio interno, causam verò efficientem esse absolutè principium motus & quietis non modo internum, sed etiam externum.

Quæritur 2. Quotuplex sit causa efficiens. Respondeo plurimas tradi à Philosophis illius diuisiones, inter quas istæ sex videntur maximè obseruandæ.

Prima est in causam primam, & secundam; prima dicitur, quæ cum vult agit independenter à quacunque alia causa, qualis est solus Deus. Secunda verò, quæ agere

nequit nisi dependenter à prima ; cuiusmodi sunt omnes causæ creatæ, quæ etsi realiter operentur, vt infrà dicemus, non tamen sine cooperatione causæ primæ ad eundem effectum.

Secunda est, in causam per se, & per accidens: Prior est à qua vt talis est, procedit effectus, vt homo est per se causa alterius hominis, quia quatenus homo eum genuit; posterior verò à qua vt tali, effectus non procedit, sed quia est coniuncta cum causa per se; vt homo quatenus Philosophus, vel musicus, est causa per accidens hominis geniti.

Tertia in causam Physicam, & Moralem; Physica dicitur quæ realiter & per se influit in effectum, siue id faciat necessariò, vt cùm ignis aquam calefacit, siue liberè, vt cùm pictor imaginem effingit. Moralis verò ea vocatur quæ talem influxum non habet, ei tamen effectus imputatur, vt homicidium consulenti, præcipienti, aut etiam non impedienti, qui cùm teneretur, & posset impedire, neglexit.

Quarta in causam vniuocam, & æquiuocam; vniuoca est quæ producit effectum sibi similem, vt homo hominem, ignis ignem; æquiuoca verò quæ producit effectum diuersæ rationis, vt dum sol producit aurum. Vnde illa est essentialiter æqualis effectui, hæc verò perfectior, cum effectum non formaliter vt prior, sed eminenter, adeoque nobiliori modo contineat.

Quinta in causam vniuersalem, & particularem; vniuersalis est quæ ad multos effectus concurrit, quomodo præter Deum, qui causa vniuersalissima dici potest, sol &

cœlum, dicuntur causæ vniuersales effectuum qui in mundo inferiori producuntur: Vnde est illud vulgatum apud Philosophos, sol & homo generant hominem, quod quo sensu intelligendum sit alibi dicetur. Particularis verò illa dicitur quæ habet vim producendi tantùm quendam effectum determinatum & certæ speciei, vt ignis ignem, canis canem, &c.

Sexta in principalem, & instrumentalem; principalis ea dicitur quæ vi sua effectum producit, vt in exemplis allatis; instrumentalis verò quæ agit virtute alterius, vt dum calor generat ignem virtute ignis agentis; vel dum semen producit fœtum virtute animalis à quo excisum est.

Quæritur 3. Quænam sit causalitas causæ efficientis. Respondeo causalitatem in actu primo esse potentiam agendi, causalitatem verò in actu secundo esse actionem, qua effectus producitur: Posita enim tali actione agens dicitur effectum causare actu, & effectus actu causari; ea verò ablata, tale quid dici non potest. Ergo causatio seu causalitas actualis causæ efficientis in actione illa consistit.

Confirmatur, nam causare effectum est illi tribuere esse, at agens non tribuit esse effectui, nisi actu influendo in illum, seu agendo; Ergo actio est causalitas illius in actu secundò. Eò vel maximè quia inter causam & effectum nihil aliud medium concipi potest, præter actionem qua effectus producitur.

Obijcies 1. actio est effectus agentis, cùm ab illo pendeat in esse, ergo ad illam requiritur causalitas, sicque causalitas in ea non consi-

ſtit. Reſpondeo 1. hoc argumentum poſſe retorqueri contra cauſalitatem quæ fingitur à nonnullis præuia actioni. 2. actionem non pendere ab agente vt quod, ſeu tanquam terminum qui efficitur, ſed vt quo, ſeu tanquam medium quo aliquid producitur: vnde in ea ponenda eſt cauſalitas agentis.

Obijcies 2. agens non denominatur actu cauſa niſi à cauſalitate in eo exiſtente, at actio tranſiens non exiſtit in agente, ſed in patiente. Reſpondeo antecedens falſum eſſe, vt vel ex eo patet, quòd Deus verè eſt cauſa efficiens actu, ſine vlla cauſalitate in eo recepta. Quare vt agens denominetur actu cauſa, ſufficit quòd effectus ab illo pendeat, ſiue cauſalitas in eo recipiatur, vt cùm agit immanenter; ſiue in ſubiecto extrinſeco, vt cùm agit tranſeunter.

Obijcies 3. agens non conſtituitur actu cauſa per effectum, vt notum eſt, ergo nec per actionem; ſequela patet, quia actio non diſtinguitur ab effectu qui per illam fit. Reſpondeo negando ſequelam, & ad illius probationem dicimus, actionem diſtingui modaliter ab effectu, quod ſufficit vt cauſa ab illa denominetur actu agens, non ab effectu, vt ſol denominatur actu illuminans per productionem lucis, quæ eſt modus quidam dependentiæ ab ipſa luce diſtinctus.

ARTICVLVS II.

De causa efficiente creata.

QVæritur 1. an causæ creatæ aliquid verè operentur, vel Deus tãtùm agat ad præsentiam earum, vt quidam olim opinati sunt. Respondeo eas verè operari, & oppositum sine manifestò errore sustineri non posse, vt patet ex verbis illis Genes. 1. *germinet terra herbam virentem, & facientem semen*, & ex illis Lucæ 21. *videte ficulneam, & omnes arbores, cùm producunt iam ex se fructum*, alijsque id genus permultis quæ planè ostendunt, ex communi Catholicorum sensu, res creatas verè & effectiuè aliquid producere.

Idem ostenditur speciatim de homine qui cum sit liber, potest agere & non agere, bene & malè operari, sicque est capax meriti & demeriti, præmij & pœnæ. Quò fit vt sententia opposita destruat omnino libertatem, omnemque rationem virtutis, & peccati; quia si homo non potest elicere actum aliquem, intelligi nequit quomodo sit liber, aut qua ratione sit capax virtutis & peccati, meriti & demeriti. Quare damnantur in Concilio Trid. Sess. 6. Can. 8. qui dicunt liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, sed velut inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passiuè se habere.

Accedit quòd frustrà rebus naturalibus datæ essent à creatore variæ potentiæ & facultates, nisi per illas aliquid operarentur; quia æquè posset Deus in ea hypothesi iis non exi-

ſtentibus, ac exiſtentibus effectus varios producere; v. c. aquam calefacere etſi ignis ei admotus non eſſet calidus, terram illuſtrare etſi ſol lucidus non eſſet, &c. Imò nulla ratio eſſet cur Deus præſente igne, potius calorem in ligno quàm frigus deberet producere.

Quæritur 2. per quid agentia creata operentur, an per propriam ſubſtantiam, an per accidentia tantùm.

Reſpondeo & Dico 1. *agentia creata non operari per accidentia tanquam per cauſas principales, quando producunt aliquam ſubſtantiam.* Probatur tum ex Ariſt. 2. de generat. cap. 9. vbi defendit efficientiam formæ contra Platonem qui rerum effectionem in Ideas referebat, & contra alios Philoſophos qui materiæ vim effectiuam tribuebant.

Tum euidenti ratione, quia cauſa principalis non poteſt eſſe ignobilior effectu, cùm illum in virtute ſua contineat; at accidens eſt longè ignobilius ſubſtantia, ergo non poteſt illam producere tanquam cauſa illius principalis.

Nec dicas accidens etſi improportionatum ſubſtantiæ in ratione entis, habere proportionem cum illa in ratione principij productiui. Hæc enim mera eſt petitio principij, quia cùm virtus agendi fundetur in rei entitate, repugnat quòd agens improportionatum effectui quoad entitatem, ſit illi proportionatum quoad vim agendi: quia ſic haberet vim agendi nobiliorem propria entitate, quod planè repugnat.

Dico 2. *agentia creata immediatè non operari per proprias formas ſubſtantiales, quando ſubſtantiam aliquam producunt, ſed tantùm per ac-*

cidentia ipsis ad agendum concessa. Probatur tum quia sol communiter creditur in his inferioribus multos effectus producere per suam lucem, quos per seipsum attingere nequit, vt perspicuum est. Tum quia animalia producuntur per virtutem seminalem, ab eorum progenitoribus, vel absentibus, vel mortuis relictam; clarum est autem animal absens vel mortuum non posse per se immediatè concurrere ad productionem alterius animalis.

Nec placet quod aliqui dicunt, Deum supplere defectum generantis, sic enim omnes rerum generationes in solum Deum essent referendæ, nec simpliciter verum esset Alexandrum fuisse genitum à Philippo, sed à Deo: sequela patet, nam filius non dicitur genitus à parente sui patris, etsi mediatè ab illo processerit.

Obijcies 1. si forma immediatè non influit in effectum, ergo solùm accidens immediatè operatur, adeoque est causa principalis effectus producti quicunque sit. Respondeo negando posteriorem consequentiam, quia cùm forma substantialis producat substantiam mediantibus accidentibus, hinc sequitur accidentia non producere substantiam, nisi vt instrumenta formæ substantialis.

Obijcies 2. ex nostra sententia sequi, formam principalem se habere tantùm per accidens ad effectum, huncque ei tantùm tribui denominatiuè, quia ab ea dependet accidens quo fit operatio. Verùm negatur id sequi, nam sicut artifex non se habet per accidens ad effectum, quem mediante artis instrumento effingit; ita forma substantialis non se habet per accidens, & merè denominatiuè ad effe-

ctum substantialem, quem per suam qualitatem naturalem producit. Illa enim qualitas non tantùm dependet quoad esse à forma substantiali, sed etiam est virtus illius naturalis per quam effectum sibi similem & proportionatum producit.

Obijcies 3. instrumentum non agit nisi motum & adiutum à causa principali, quæ proinde cum illo influere debet. Respondeo 1. antecedens ad summum verum esse de instrumentis artis, quæ vt operentur egent actuali motione artificis, vt patet in calamo, penicillo, alijsque instrumentis artis quæ nihil operantur, nisi actu moueantur & dirigantur secundum artem: At qualitates naturales sufficienter censentur motæ & adiutæ, quatenùs à natura tributæ sunt substantiæ vt propria quædam instrumenta, quorum beneficio effectus suos producere debet; de quo capite sequenti fusiùs agetur.

Respondeo 2. etsi talis aliqua motio recepta in instrumento admitteretur, non propterea forma substantialis agentis immediatè in substantiam productam influeret, adeoque antecedente gratis admisso, consequentia neganda esset. Id patet exemplo allato, nam etsi artifex moueat instrumentum quo agit, non tamen ipsemet attingit immediatè opus quod per illud efficit.

Dico 3. *agentia creata interdum per proprias formas substantiales influere immediatè ad productionem accidentium, interdum verò tantùm mediatè.* Primum ostenditur, nam primæ passiones quæ ab essentia dicuntur fluere & emanare, debent immediatè produci à forma substantiali; cùm nulla alia sit virtus media à qua oriri possint.

Confirmatur, nam cùm passiones illæ sint quidam effectus Physici & reales qui de nouo fiunt, dicunt ordinem ad aliquam causam realem & Physicam à qua verè producuntur. Hæc autem nulla alia probabiliter assignari potest præter formam substantialem agentis, cuius sunt proprietates.

Nec dicas produci à generante, nam quando aqua calefacta amoto igne paulatim frigesit, illa noua frigoris productio non potest tribui generanti, cum fortè non existat; sed formæ substantiali aquæ cui frigiditas tanquam propria passio debetur, adeoque illam, ablato impedimento, ex se veluti effundit. Quòd si frigiditas in eo casu ab aquæ forma dependet, nulla est ratio cur etiam ab illa non acceperit esse, cùm primum aqua producta est.

Vbi nota à nonullis negari passiones à formis substantialibus fluere mediante vera aliqua & Physica actione: sed contrà, nam cum passiones illæ sint veri effectus reales & Physici, negari non potest quin per veram actionem fiant.

Secundùm probatur, perspicuum enim est calorem à calore, frigus à frigore produci, &c. & ne quis putet istos & similes effectus referendos esse in substantiam, cui qualitates operatiuæ inhærent, insto aquam calidam posse calorem in alio subiecto producere, etsi constet eiusmodi productionem in aquam vt in causam agentem refundendam non esse. Ac præterea experimur accidentia panis & vini eosdem effectus producere post consecrationem, quos ante edebant; etsi nulli tunc substantiæ inhæreant, vt fides docet.

Verùm hic leuis occurrit dubitatio, an acci-

dens in productione accidentis se habeat vt causa principalis, an verò vt instrumentalis duntaxat. Dico leuem esse dubitationem, quia magis est de nomine quàm de re; constat enim accidens cum sit entis ens, à natura desiderari vt sit virtus agendi ipsius substantiæ; item vnum accidens ab alio productum non excedere illius perfectionem. Cùm ergo de his duobus apud omnes constet, restat solum quæstio de nomine, an propter primum affirmandum sit accidens se habere vt instrumentum in productione accidentis, an verò propter secundum id negandum sit.

Qua in re ij congruentiùs loqui videntur, qui partem negatiuam sequuntur; quia illud communiter poni solet discrimen inter causam principalem & instrumentalem, quòd principalis habet virtutem adæquatam effectui, instrumentalis verò inadæquatam. Et aliunde intrinseca dependentia causæ ab alio non impedit, quin illa sit principalis in suo genere, vt patet in forma corporea, quæ etsi pendeat quoad esse & conseruari à materia, producit effectus suos tanquam causa principalis; & in omnibus causis creatis quæ magis pendent à Deo, quam accidens à subiecto; nec tamen negari meritò potest quin se habeant, vt causæ principales respectu propriorum effectuum.

ARTICVLVS III.

De causa efficiente increata.

PRæmoneo 1. ab omnibus hic ſupponi contra Atheos, Deum exiſtere, itemque res omnes ab eo initio mundi fuiſſe creatas, & facultatibus ad agendum neceſſariis ornatas. Ex quo fit vt ſaltem remotè & mediatè ad omnes cauſarum ſecundarum effectus concurrat. Sed dubium eſt, an etiam proximè & immediatè influat in omnes operationes, & effectus qui ab agentibus creatis oriuntur.

Præmoneo 2. dupliciter intelligi poſſe Deum concurrere cum agentibus naturalibus quando operantur, primò ita vt influat intime in eorum operationes, ſicque eadem v. c. calefactio procedat immediatè tum ab igne, tum à Deo. Secundò, ita vt in ipſis cauſis ſecundis operetur aliquid, quo eas moueat & applicet ad agendum quoties operantur. Et quidem prior concurſus dicitur ſimultaneus, quia exhibetur eodem momento quo cauſa ſecunda ſimul cum Deo operatur; poſterior verò dicitur præuius, & vulgò præmotio Phyſica vocatur, quia actionem præcedit, & eſt cauſa quòd fiat, juxta eos qui talem influxum admittunt. Eſt ergo difficultas an Deus non tantum primo, ſed etiam ſecundo modo concurrat cum cauſis creatis ad earum operationes.

Reſpondeo & Dico 1 *Deum concurrere immediatè concurſu illo ſimultaneo, ad ſingulas operationes rerum creatarum.* Ita omnes communiter

contra Durandum, probaturque 1. Ex scriptura sacra 1. ad Corinth. cap. 3. *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus*. Actor. 17. *In ipso viuimus, mouemur, & sumus*. Ioan. 5. *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor*, quibus verbis vtitur Augustinus 5. de Genesi ad litteram cap. 20. ad eos refellendos qui docebant, Deum quidem fecisse mundum, cætera verò subinde à mundo fieri iussu & ordinatione Dei, eo minime operante: simulque ad ostendendum Deum non modo magna & præcipua, sed etiam terrena & infima operari.

Nec dicas verba allata posse intelligi de concursu Dei mediato, hoc enim manifestè absurdum est, cùm ij quos refellit Augustinus, talem concursum non negarent; & prædicta testimonia præsentem Dei operationem perspicuè innuant. Et sanè quid absurdius dici posset quàm Deum dare omnibus rebus incrementum, & operari vsque modo, si nihil in his inferioribus operatus esset, ex quo mundus factus est? Nonne similiter dici posset Adamum vsque modo operari, & ad generationem omnium hominum concurrere?

Probatur 2. nam non est potior ratio cur agens pendeat à Deo quoad entitatem, quàm quoad actionem, cùm tam hæc, quàm illa sit ens per participationem: atqui entitas agentis pendet intrinsecè ab actuali & immediato influxu Dei, vt omnes fatentur; ergo & actio illius. Imò cùm actio sit accidens, ea multò magis videtur egere influxu causæ primæ conseruantis quàm substantia, quæ cùm sit ens per se, vt sic, minùs videtur dependens ab alio.

Probatur 3. nam si Deus non concurrit per

se adactionem, ergo nec ad rem quæ fit; cùm non fit nisi modalis distinctio inter vtramque, v. c. inter calefactionem, & calorem per eam productum, neque concipi possit quod calefactio fiat sine Dei cooperatione, & calor ipse ea indigeat. Quare cùm calor productus egeat intimo influxu Dei conseruantis, idem de actione qua producitur calor, sentiendum est. Confirmatur, nam si ex mente Aristotelis, aliorumque Philosophorum sol & homo generant hominem; à fortiori dicendum est Deum ad hominis, & quarumcunque aliarum rerum generationem concurrere.

Obijcies 1. si Deus concurrit cum agentibus creatis, vel concurrit eadem actione, vel diuersa; non eadem, cùm diuersæ causæ non possint eandem actionem profundere: non diuersa, quia diuersarum actionum non potest idem esse terminus. Respondeo Deum & causam secundam influere eadem actione, diuersimode spectata. Nec refert quòd diuersa sint agentia, cùm enim vnum alteri sit essentialiter subordinatum, eadem realis actio ab vtroque profluere potest; vt eadem scriptio à manu, & à calamo.

Obijcies 2. causa secunda habet vim agendi effectui adæquatam, vt cùm ignis producit ignem, homo hominem, ergo non indiget ad agendum consortio primæ causæ; sequela patet, quia tunc tantum causa indiget auxilio alterius concausæ, cùm non habet sola vim adæquatam effectui; vt cùm duo equi simul iunguntur ad trahendum pondus, quod neuter seorsim tollere potest. Respondeo ad antecedens, causam secundam habere vim adæquatam in suo genere; vnde negatur consequentia, quia etsi inde sequatur eam non in-

digere consortio alterius causæ creatæ ad agendum, non tamen sequitur non indigere influxu primæ causæ. Et ad probationem dicimus, tunc tantùm causam creatam indigere auxilio alterius concausæ creatæ, quando non habet vim adæquatam effectui: indigere tamen concursu diuino, etiamsi talem vim habeat; quia cùm essentialiter sit primæ causæ subordinata, nihil sine illa operari potest.

Obijcies 3. illud amplectendum est quod maiorem dicit in Deo perfectionem; at sententia quæ docet Deum posse tribuere causis creatis vim agendi se solis, maiorem ponit in Deo perfectionem, ergo illa sententia amplectenda est. Respondeo 1. quamuis hoc totum gratis concederetur, inde non esse consequens Deum de facto non concurrere ad operationes causarum secundarum: cùm non sit necesse vt Deus semper faciat quidquid maiorem in illo arguit perfectionem, vt vel ex eo manifestum est, quòd alios mundos longè isto perfectiores creare potuerit, vt fatentur omnes Theologi.

Respondeo 2. minorem negandam esse, nam sicut non esset maioris perfectionis in Deo, quòd creatura posset sine illo existere, ita nec quod posset independenter ab illo operari. Imò hinc valde minueretur absolutum illud dominium quod Deus habet in res omnes creatas.

Obijcies 4. si Deus concurrit immediatè ad omnes actiones creaturarum, ergo & ad actus malos creaturæ rationalis; at hoc absurdum est, quia aliàs Deus esset auctor peccati. Respondeo negando minorem, & ad probationem illius dicimus, ideo Deum non esse causam peccati, quia non impellit ad illud, & ex

modo quo concurrit ad illius entitatem, ea non habet rationem peccati: exhibet enim tantùm concursum quem ex munere primæ causæ concedere tenetur, quoties homo ad malum propria sponte & liberè deflexerit, vt latiùs diximus in varijs tractatibus Theologicis, & iterum in Idea Ethicæ inculcabimus.

Dico 2. *Deum non præmouere causas naturales ad agendum influxu quodam reali & Physico in ijs recepto.* Ita omnes communiter contra recentiores Thomistas. Probatur 1. quia talis præmotio est superflua, cùm enim causæ secundæ sint sufficienter constitutæ, & determinatæ in actu primo ad agendum per vires naturales effectui proportionatas, nihil aliud expectant à Deo ad operandum, quàm influxum simultaneum quo cum illis intimè concurrat ad earum operationes. Et sanè per se ridiculum est existimare, ignem v. c. qui ex natura sua calidissimus est, adeoque vt sic intrinsecè determinatissimus, vt ita loquar, ad producendum calorem, & ignem in subiecto apto, indigere motione aliqua Dei in eo recepta, qua præmoueatur & prædeterminetur ad comburendam stuppam debitè sibi approximatam.

Probatur 2. quia intelligi non potest quid sit illa entitas quæ ponitur in causis secundis, præuiè ad earum operationes: vel enim est actus primus, vel actus secundus, non enim datur medium; at non est actus secundus seu actio, cùm potiùs detur ad actionem eliciendam, adeoque tanquam quid ab illa distinctum. Neque etiam actus primus, quia actus primus nihil est aliud quàm vis agendi, seu potentia quædam ad agendum necessaria, quæ nequit esse quantitas, nec relatio, nec vlla

alia entitas realis præter qualitatem aliquam effectiuam ab actione realiter distinctam. At eiusmodi qualitas, aut quæcunque sit alia virtus, cùm sit creatura, non magis potest agere sine præmotione Dei, quàm ignis, & alia agentia creata. Vnde de hac illius præmotione iterum inquiretur, an sit actus primus, vel secundus, sicque res in infinitum abibit. Quod vt caueatur, omnis præmotio ab agentibus naturalibus ableganda est, fatendumque concursum Dei simultaneum ad eorum actiones sufficere.

Neque dicas non esse parem rationem in præmotione, ac in qualitatibus rerum naturalium; quia cum sit actualis præmotio, non indiget alia præmotione, qualitates verò rerum naturalium cum non sint præmotiones, indigent præmotione. Hoc enim est ludere verbis, quia quòd qualitas illa dicatur præmotio, id non impedit quin sit virtus aliqua agendi creata, quæ necessariò & essentialiter debet pendere ab influxu causæ primæ vt agat, sicut negari non potest quin ab ea pendeat vt sit. Eo modo quo ex mente Aduersariorum, impulsus ille quo lapis ex communi sententia, mouetur sursum, pendet ab influxu Dei, etsi sit quædam actualis præmotio.

Probatur 3. nam si præmotio illa requiritur in causis necessariis, ob dependentiam quam habent à prima causa, ea etiam poni debet in causis liberis ad omnes earum operationes; cùm hæ non minus pendeant à causa prima quàm operationes agentium naturalium. At hoc sanè dici non potest, quia etsi in actibus bonis vulgò ab omnibus concedatur aliqua præmotio quæ quoad entitatem sit realis & Physica, eam tamen in actibus prauis admit-

tere nefas putauimus; cùm impossibile sit concipere Deum non esse propriè, directè, & primariò causam peccati, si voluntatem creatam præmouet ad illius entitatem, vt sæpe obseruauimus, maxime in suauis concordiæ disput. 2. sect. 6. & 7.

Obijcies 1. causa secunda non mouet nisi mota à prima ex 7. & 8. Physicorum. Ergo requiritur præmotio ex parte Dei ad singulas actiones creaturarum. Respondeo antecedens nihil aliud significare quàm causas secundas non agere nisi dependenter à prima, ad quod sufficit concursus simultaneus. Et quamuis ex mente Arist. aliquid præuium in causis ipsis receptum admittendum esset, sufficeret virtus agendi ijs indita, vt ex eo patet quod ex sententia illius, grauia & leuia dicuntur moueri à suis progenitoribus; non quòd præmotionem aliquam ab ijs recipiant, quoties in propria loca tendunt, sed quia vim se ad propria loca mouendi ab ijs in puncto generationis acceperunt.

Obiicies 2. creaturæ magis dependent à Deo quoad modum agendi, quàm instrumenta ab artifice; at hæc indigent præmotione ad agendum, vt patet in penicillo, calamo, serra, &c. Ergo & illæ. Respondeo maiorem falsam esse in sensu arguentium, cùm enim causæ secundæ non sint propriè instrumenta Dei, eò quòd habent vires proportionatas effectibus quos producunt, non est necesse vt quoad modum agendi, magis vel æquè dependeant à Deo quàm instrumenta ab artifice. Quare etsi instrumenta præmoueantur ad agendum, non sequitur quod etiam ipsæ à Deo præmoueri debeant. Et sanè absurdum est existimare ignem, qui ex naturali impetu tendit ad gene-

rationem ignis, lapidem qui intrinsecè inclinatur ad motum deorsum, æquè egere præmotione Dei ad actus sibi tantopere connaturales, ac indiget instrumentum præmotione artificis, ad opus ad quod nullam habet propensionem naturalem.

Obijcies 3. si causæ secundæ agerent sine præuia Dei motione, iam non agerent vt causæ secundæ, sed vt primæ; at hoc repugnat, ergo & illud. Respondeo maiorem falsam esse, illud enim quod agit dependenter ab alio, non agit vt prima causa, etsi in se nihil recipiat: at causæ secundæ agunt dependenter à Deo. cùm sine intimo illius influxu operari non possint; ergo non agunt vt causæ primæ, sed vt secundæ. Confirmatur ad hominem, nam hinc sequeretur qualitatem præmouentem quam Aduersarij constituunt, esse causam primam, cùm non agat dependenter ab alia præmotione.

Obijcies 4. actus secundus est nobilior primo, ergo non potest causa se reducere ab actu primo ad secundum, nisi per nouam entitatem qua de nouo actuetur & perficiatur. Sequela perspicua videtur, antecedens ostenditur, quia actus primus includit aliquam potentialitatem quam actus secundus non dicit. Respondeo 1. negando antecedens, & ad illius probationem dico, actum primum includere potentiam effectiuam actus, quæ absolutè actu perfectior est, vt intellectus intellectione, visus visione, &c. Respondeo 2. antecedente gratis admisso, negando consequentiam, nam entitas illa de nouo adueniens esset quidam actus primus, qui etiam esset ignobilior actu secundo, ac proinde egeret noua actualitate ad eum eliciendum, sicque

res in infinitum abiret. Quare etsi causa secunda esset simpliciter imperfectior actione, non oporteret in ea fingere aliquam præmotionem, sed sufficeret concursus Dei ad actionem intrinsecus, modo ante dicto.

ARTICVLVS IV.

De causa determinationis effectuum.

PRæmoneo 1. varias esse causas quæ possunt ex se producere plures effectus diuersæ speciei, vt capite præcedenti ostendimus. Dubitatur autem vnde oriatur quòd eiusmodi causæ produeant potius effectum huius quàm illius speciei.

Præmoneo 2. cùm quælibet causa quæ potest producere effectum certæ speciei, possit plures numero effectus producere, dubitari vnde oriatur quod hic numero effectus potiùs quàm ille ab ea producatur: cur v. c. ignis hunc numero ignem producat potiùs quàm alium, quem æque potest ex se producere, & qui in virtute illius continetur.

Respondeo & Dico 1. *Non esse recurrendum ad causam primam, vt reddatur ratio quare causæ secundæ habeant potiùs effectum vnius speciei quàm alterius.* Probatur manifestè, nam in primis materia cum ex se possit recipere omnes formas; ad talem specie determinatur ab agente, & à dispositionibus præuijs quarum vi ex illa educitur; vt ab igne ad concipiendam formam ignis, ab animali ad recipiendam formam animalis, &c.

Deinde quare sol potiùs producat ex putri materia ranam, quàm murem, causa huius

rei ſumitur ex parte materiæ, quæ diſpoſita eſt ad formam ranæ, non muris: ſicut etiam eadem cauſa determinatur ab equo ad producendum equum, à leone ad leonem generandum. Quod dictum ſit, ſupponendo communem ſententiam alibi expendendam, de productione eiuſmodi effectuum à ſole.

Rurſus ex occurſu obiectorum oritur quòd fiat actus vitalis huius aut illius ſpeciei; vt occurſus obiecti viſibilis, vel audibilis eſt cauſa quòd homo videat vel audiat: ſiquidem non poteſt exerceri niſi viſio circa obiectum viſibile, nec niſi auditio circa audibile. Ex quibus ſufficienter colligitur determinationem effectus quoad ſpeciem, à rebus creatis accipiendam eſſe, neque in Deum refundi debere. Maximè quia Deus paratus eſt ad concurrendum ad hunc vel illum ſpecie effectum, iuxta cauſæ ſecundæ exigentiam, ſed maior eſt difficultas de determinatione effectus quoad indiuiduum pro quo

Dico 2. *Neque etiam quoad hoc ad Deum recurrendum eſſe.* Probatur 1. quia ſi Deus me determinat ad hunc numero actum amoris, non ſum liber in eo eliciendo; ſequela patet, nam quæ ratio eſt cur cum non ſim liber ad ſpeciem actus, ſi Deus me ad illam determinat, vt ij fatentur qui ſpeciẽ actus in Deum refundere non audent; ſim tamen liber ad illius indiuiduationẽ, ex hypotheſi quòd Deus ad illã me determinet? vtrobique ſanè eſt paritas. At nonne abſurdum eſt affirmare hunc numero actum non eſſe mihi liberũ, cũm hinc apertè ſequatur me nihil agere liberè, eò quòd omnis actus qui fit eſt talis numero: ſequatur etiam me non magis mereri vel demereri per actũ quem elicio, quàm per illum quem nunquam eliciam?

Probatur 2. refellendo modum quo talis determinatio fieri dicitur; qui enim eam admittunt, docent Deũ videndo causam secundam esse veluti in procinctu ad eliciendũ actũ certæ speciei, & aliunde esse indifferentem ad hunc vel illum numero actum intra illam speciem, determinare efficaciter talem concursum in indiuiduo potiùs quã aliũ. At profectò modus iste non caret difficultate, tum quia cùm gradus specificus non sit quid distinctũ à numerico, nisi per nostros conceptus, vt iidẽ auctores fatentur; non potest intelligi quòd causa secũda sit determinata ad speciem actus, & non ad indiuiduum illius, aut quod Deus qui res cognoscit vt sunt, vnam rationẽ videat sine alia. Tum quia cùm non fiat actus nisi singularis, nõ potest Deus determinare ad indiuiduationem actus, quin simul determinet ad illius exercitium, adeoque quin tollat libertatem exercitij.

Confirmatur, nam etsi gratis concedatur Deum videre causam secundam velut in procinctu ad agendum modo dicto, nondum tamẽ videt eam actu agere; cumque in eo instanti decernat eam determinare ad indiuiduationem actus, hinc manifestè sequitur eiusmodi determinationem præcedere exercitium actus, sicque vsum libertatis tollere; cùm ea determinatione posita, non possit actus non fieri.

Probatur 3. nam quamuis opinio nostræ opposita minimè noceret libertati, adhuc tamen non satis videretur consentanea diuinæ sanctitati: quia si Deus voluntatem peccatoris determinat ad indiuiduationẽ actus, sequitur apertè Deum esse causam primariã & directam talis numero peccati, imò omnium peccatorum quæ fiunt, cum nullum fiat peccatum nisi in indiuiduo. Hoc autem, vt verum fatear, nobis proba-

ri non poteſt. Et ſanè quis credat valde conſentaneum eſſe diuinæ bonitati,& muneri primæ cauſæ, vt cùm quis paratus eſt ad patrandum adulterium, Deus illum determinet ad peccandum cum hac fœmina;& ſimiliter quando quis iaculatur ſagittam, Deus eam dirigat vt non hoſtem, ſed amicum, vel parentem iaculatoris interficiat?

Dico 3. *Quòd talis actus in indiuiduo fiat potius quàm alius, id ex varijs circunſtantijs repetendū eſſe.* Sequitur ex dictis, nam cum ea determinatio non poſſit ſumi à Deo, vt oſtenſum eſt, oportet vt ex circumſtantijs petatur; cùm nihil aliud ſuperſit vnde ſumi poſſit.

Confirmatur, nam quòd ignis producat hunc numero calorem, hoc ex eo commodè peti poteſt, quòd operetur tali loco, & tempore, & maximè circa tale ſubiectum eo modo diſpoſitum, alium producturus ſi in aliis circumſtantiis, & circa aliam materiam operatus eſſet. Cùm enim iſta iuuent ad productionem caloris, non video cur non etiam poſſint iuuare ad productionem talis caloris: cum non producatur calor niſi in indiuiduo, & ratio ſpecifica caloris non diſtinguatur à numerica, vt dictum eſt.

Quod rurſus ſuadetur, quia omnes concedunt eundem numero effectum ſemel productum non poſſe iterum naturaliter produci. Hoc autem vix poteſt defendi in ſententia quam impugnamus, quia iuxta illam productio indiuidui à ſolo Deo dependet; at nemo negat quin poſſit Deus eundem numero effectum reproducere. In ſentētia verò noſtra ſufficiēs cauſa illius impoſſibilitatis traditur, quia tot circumſtantiæ occurrunt ad productionem talis indiuidui, vt eæ omnes ſimul nunquam

alias contingere possint: quò fit vt reproductio eiusdem effectus sit naturaliter impossibilis.

CAPVT VII.
DE CAVSA FINALI, ET quibusdam causis minùs proprijs.

ARTICVLVS PRIMVS.

De ijs quæ spectant ad causam finalem.

Quæritur 1. an finis sit causa vera & realis. Respõdeo 1. si strictè loqui hac in re velimus, finem non videri dicendum causam physicam & realem. Quia cùm non existat realiter quando causat, nõ potest per se habere influxum realem & physicum : at illa non est propriè causa physica & realis, quæ per se non habet influxum realem & physicum. Confirmatur exemplo aliarum causarum, quæ ideo vocantur causæ reales & physicæ, quia per se realiter influunt in effectum, quælibet in suo genere.

Respondeo 2. non propterea tamen recedendum à communi sententia quæ finem ponit inter causas veras & reales ; tum quia Aristoteles assignat quatuor genera causarum, haud dubiè realium & physicarum, in quibus est finis ; tum quia ea potest dici causa realis, quæ quouis modo habet actum causandi realem, esto entitatiuè seu materialiter non sit ens reale : at finis habet actum causandi realem, quatenus efficiens realiter operatur propter

finem, & ex motione finis, vt ex postea dicendis clariùs intelligetur. Tum quia ea est vera causa & realis à qua effectus verè & citra mentis operam dependet; at effectus dependet hoc modo à fine, cum finis sit *id cuius gratia aliquid fit*, ex 2. physic. cap. 3. tex. 29. vt sumptio medicinæ reipsa dependet à sanitate sperata.

Quæritur 2. an finis causet secundum esse reale, an verò secundum esse intentionale. Respondeo causare secundum esse reale; Probatur nam finis causat secundum illud esse quod agens vult obtinere, at agens non vult obtinere esse finis intentionale, sed esse illius reale: Ergo finis causat secundum esse reale. Maior perspicua est in ægroto qui non mouetur à sanitate ad sumendam potionem, nisi secundum illud esse quod per potionem assequi intendit. Minor etiam est manifesta in eodem ægroto, qui per sumptionem medicinæ non intendit assequi esse intentionale sanitatis, seu cognitionem sanitatis, cum illam iam habeat, sed ipsam sanitatem realem. Quare sanitas eum mouet, secundum esse reale, non secundum esse intentionale.

Confirmatur, quia finis mouet secundum illud esse quo obtento agens conquiescit, & censetur finem intentum consecutus: at ægrotus non quiescit obtenta sanitate secundum suum esse intentionale, seu obtenta cognitione sanitatis, sed ea obtenta secundum esse reale, neque aliàs finem suum consequutus censetur: ergo finis mouet secundum suum esse reale, non secundum intentionale.

Obijcies 1. agens mouetur à fine ad consecutionem illius secundum entitatem realem, quo ipso realis entitas finis est effectus non modo causæ efficientis, sed etiam finalis.

Ergo si finis secundum idem suum esse reale mouet agens, sequitur finem esse causam & effectum sui ipsius secundum suam entitatem realem. Respondeo id verum esse sub diuersa consideratione, qua ratione absurdum nemini videri debet: entitas enim sanitatis vt futura & absens, mouet ægrotum ad sumendam potionem tanquam mediũ necessarium quo eandem illam sanitatis entitatẽ producat, & realiter præsentẽ exhibeat.

Obijcies 2. nihil causat nisi secundum esse quod habet, dum causat; at finis dum causat, nullum habet esse præter intentionale: ergo causat tantùm secundum esse intentionale. Respondeo maiorem falsam esse in causa finali, quia cùm causet agens mouendo ad sui productionem, necesse est vt moueat antequam sit actu, adeoque secundum esse quod non habet: quare sufficit quod illius esse sit futurum. Imò etsi futurum nunquam sit, mouere potest dummodo speretur futurum; vt patet in ægroto qui mouetur ad pharmaca sumenda à nunquam obtinenda sanitate.

Obijcies 3. intellectus mouet voluntatem per modum finis, ex S. Thoma 1. p. q. 82. art. 4. id est finis vt cognitus mouet voluntatem; adeoque secundum esse intentionale, non secundum esse reale. Respondeo negando consequentiam, intellectus enim mouet voluntatem per modum finis, quatenus ostendit illi bonitatem obiecti à qua ad amãdum allicitur. Vnde tantùm sequitur cognitionem finis esse conditionem necessariam vt causet, non autem esse id quod causat, seu quod mouet agens ad operandum.

Quæritur 3. quotuplex sit causalitas finis, & qua in re constituenda sit.

Respondeo & Dico 1. *Duplicem assignari posse finis causalitatem, aliam in actu primo, aliam in actu secundo.* Prior causalitas nihil est aliud quàm ratio illa motiua qua finis potest agens impellere ad agendum, seu bonitas finis; vt in sanitate causalitas in actu primo est id quo sanitas potest ægrotum mouere ad sumendam potionem amaram, id est bonitas ipsius sanitatis: sic enim finis constituitur in actu primo potens ad causandum in suo genere, seu ad mouendum efficiens vt illius gratia operetur.

Posterior verò causalitas seu actualis causatio consistit in ea motione qua finis de facto mouet agens ad operandum: hac enim motione posita finis concipitur iam vt actu causans suum effectum; v. c. sanitas est actu causa finalis respectu ægroti, cùm illum actu mouet ad sumendam potionem, vel ad eam optandam.

Obijcies, Deus est finis beatorum, nec tamen eos mouet ad operandum, cùm ipsum possideant. Respondeo 1. quod iam dictum est de motione finis, debere præsertim intelligi de fine absente & obtinendo; ille enim propriè mouet & trahit ad sui assecutionem. 2. id etiam aliquatenus competere Deo respectu beatorũ; quia illos continuo mouet & excitat ad actus beatificos, per quos ab ijs possidetur.

Dico 2. *Actualem causalitatem finis non esse quid realiter distinctum ab actione agentis quæ fit propter ipsum.* Probatur, quia actualis causalitas finis est id quo agens mouetur ad agendum, at agens non mouetur ad agendum nisi quatenus actionem elicit; ergo actio agentis est ipsa causalitas finis.

Confirmatur, nam quidquid finxeris ex parte finis ante operationem agẽtis, certè in eo priori verum erit dicere nihil fieri propter finem;

ergo verum erit finem actu nondum causare: non enim intelligitur finis causare, nisi quatenus aliquid fit illius gratia. Contrà verò statim atque agens operatur, concipis aliquid fieri propter finem, & finem actu causare. Quare omnino dicendum est actualem finis causalitatem non esse quid realiter distinctum ab operatione agentis, quæ fit propter illum.

Nec refert quod dici solet, finem esse causam primam per quam mouetur agens ad operandum; hoc enim verum est iuxta conceptum nostrum, quia cùm agens non operetur nisi propter finem, causalitas finis videtur prior causalitate agentis; cum tamen à parte rei sit vnica & eadem sub diuersa ratione. Eadem quippe actio qua ægrotus optat sanitatem, est effectiuè à voluntate ægroti, & motiuè à bonitate sanitatis per intellectum ei repræsentata.

ARTICVLVS II.

De causa instrumentali.

PRæmoneo 1. omnem causam alteri vt principali subordinatam posse dici aliquo modo instrumentalem, vt sunt dispositiones respectu materiæ, & fines intermedij respectu vltimi; sumi verò magis propriè instrumentum pro causa alteri subordinata in genere causæ efficientis, quomodo calor est instrumentum ignis ad generandum alium ignem.

Præmoneo 2. instrumentum sic sumptum assumi ad attingendum efficienter effectum vires illius superãtem, & causæ principali proportionatum; vt manifestum est in exemplo alla-

to calotis, qui cùm sit accidens, assumitur ad productionem substantiæ ignis, vt suprà diximus. His positis

Quæritur 1. An sit de ratione instrumenti, vt non moueat nisi motum à causa principali per aliquid reale in eo receptum. Respondeo negatiuè, ex communi sententia, contra Thomistas; nam etsi id interdum ita fiat, nempè in instrumentis artis, vt cùm pictor mouet penicillum ad pingendum, non tamen generatim est necessarium ad rationem instrumenti, vt patet, quia ignis per calorem vt per naturale instrumentum producit ignem, neque probabiliter dici potest ignem calori imprimere aliquam motionem, qua eum eleuet ad producendum ignem. Eò vel maximè quia cum calor sit per se naturalis virtus ignis, sufficienter est proportionatus in suo genere ad producendam formam ignis, & quæuis alia virtus ad hoc est superflua: alioqui pari iure dici posset ad hanc virtutem prærequiri aliam, & sic in infinitum.

Confirmatur, nam non raro instrumentum operatur causa principali non existente, à qua proinde moueri non potest, vt cum mortuo animali generatur fœtus ex semine ab illo deciso. Potest etiam ignis extingui paulo antequam alius generetur per dispositiones in subiecto aliquo ab eo productas; quo casu calor ignem generans ab igne extincto realiter moueri non potest, vt perspicuum est.

Obijcies 1. Instrumentum non agit nisi vt eleuatum à causa principali; at non potest eleuari nisi in se motionem aliquam virtuosam recipiat. Respondeo 1. hoc argumentum non satis cohærere cum sententia communi Thomistarum qua censent, substantiam non esse

per se immediatè operatiuam; illa enim motio instrumenti ab ipsa substantia causæ principalis immediatè profluere debet.

Respondeo 2. Instrumentum eleuari id aliud nihil esse quàm agere in virtute causæ principalis, & hoc sumi intransitiuè, vt sensus sit, instrumentum esse virtutem causæ principalis per quam effectus sibi proportionatos producit.

Obijcies 2. Instrumenta artis indigent præuia motione, cur non & alia? Respondeo esse manifestum discrimen, nam serra v. c. nullam ex se habet vim effectiuam ad scindendum lignum, adeo vt etiam dum actu concurrit ad scissionem, non tam videatur se habere efficienter ad illam, quàm subiectiuè, nempè sustentando impulsum agentis à quo fit scissio. Quare mirum non est quod eiusmodi instrumenta dissita assumi debeant, & moueri ab artifice ad effectus artis producendos. Calor verò est virtus naturalis ignis, quæ habet vim intrinsecam adæquatam & principalem ad producendum calorem sibi similem, inadæquatam vero & instrumentalem ad producendum ignem.

Quæritur 2. An instrumentum necessariò debeat habere aliquam operationem propriam, antecedenter ad eam quam elicit virtute causæ principalis.

Respondeo negatiuè, ex communi sententia, contra eosdem auctores, qui entia & motiones multiplicant sine necessitate. Probatur, nam quamuis in causa instrumentali propriè dicta admittenda sit vis quædam & aptitudo ad effectum producendum, non tamen apparet cur debeat habere actionem aliquam propriam, quæ antecedat actionem qua operatur vt instrumentum; cùm neque in ca-

lore quo producitur ignis, neque in plerisque aliis instrumentis duplex illa actio distingui possit. Et sanè quænam est alia actio caloris magis propria quàm calefactio? at hæc ipsa quoque est per quam disponitur subiectum ad productionem ignis, sicque calor elicit actionem illam vt instrumentum ignis.

Confirmatur exemplo instrumentorum artificialium, quæ non efficiunt aliquid proprium antequam moueantur à causa principali: serra enim non habet effectum aliquem prævium ad scissionem, nec calamus ad scriptionem: tunc autem operantur vt instrumenta, cùm non agant nisi mota à causa principali.

Vnde refelluntur qui dicunt duos hic esse distinguendos effectus, nempè in actione serræ scissionem, & formam cathedræ, vel scamni, & priorem effectum esse proprium serræ, posteriorem verò artificis. Cum enim serra non scindat nisi moueatur ab agente principali, hinc perspicuum est eam non scindere nisi vt causam instrumentalem, & scissionem esse proprium effectum causæ principalis, ex quo alius præcipuè intentus resultat, nempè figura rei artefactæ.

ARTICVLVS III.

De causa exemplari seu ideali.

PRæmoneo 1. Nomine exemplaris seu ideæ vulgo intelligi formam illam intellectualem, ad cuius similitudinem agens per intellectum intendit producere aliquem effectum externum. Quo sensu dicunt Theologi Deum

producere hominem iuxta ideam hominis, quam in mente habet; & constat pictorem effingere imaginem iuxta illius exemplar, quod mente concepit.

Præmoneo 2. Exemplar seu ideam communiter definiri, *Formam quam effectus imitatur ex intentione agentis intellectualis*, quasi diceretur exemplar esse imaginem ad cuius similitudinem agens intellectuale intendit producere effectum. Verùm vt hoc clariùs percipiatur, duæ difficultates proponendæ sunt.

Quæritur 1. in quo propriè consistat ratio ideæ seu exemplaris, an in conceptu formali qui aliud nihil est quam actualis intellectio seu formalis repræsentatio rei faciendæ; an verò in conceptu obiectiuo, seu in obiecto cognito & per actualem cognitionem repræsentato, quod dicitur esse obiectiuè in mente. Quòd si dicatur Ideam esse conceptum obiectiuum, dubitatur rursus an id intelligatur de ipso opere faciendo, an autem de quodam alio obiecto ad cuius imitationem opus faciendum sit.

Respondeo & dico 1. *Priorem quæstionem magis videri de nomine, quàm de re.* Cum enim omnes admittant duos illos conceptus in agente intellectuali, tota dubitatio eo voluitur, cuinam ex illis nomen ideæ seu exemplaris potiùs tribuendum sit.

Et fortè ad conciliandas sententias oppositas, congruentiùs dicemus duplicem admittendam esse ideam, aliam formalem, aliam obiectiuam. Siquidem effectus producitur tū ad similitudinem conceptus formalis non quoad esse sed quoad repræsentationem; quatenus opus eo modo quo per actualem cognitionē & speciem expressam repræsentatur: tum ad similitudinem conceptus obiectiui, quia artifex

intendit assimilare opus obiecto, quod illius menti obuersatur.

Fatendum tamen ideam seu exemplar magis propriè sumi hoc posteriori modo; quia nomine exemplaris solet intelligi obiectum aliquod, ad quod respiciens artifex conatur effingere opus illi simile; vt cùm pictor intuendo imaginem Regis, aliam ei similem efformat. Hocque videtur magis consentaneum scripturæ, cum ait Exod. 25. *Inspice & fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est.* Vt autem satisfiat posteriori difficultati,

Dico 2. *Exemplar non esse obiectum ipsum quod faciendum est, sed aliud ad cuius imitationem fieri debet.* Probatur 1. nam cùm pictor intuens Regem, effingit imaginem illius, dici non potest illius exemplar esse imaginem quam pingit, sed Regem ipsum ad cuius imitationem effingere conatur imaginem.

Confirmatur, nam opus cēsetur rectè factum, quando est conforme suo exemplari; at imago regis non censetur rectè facta eo quòd est sibi conformis, sic enim nullus artifex in effingendo suo opere errare posset; cùm nullum opus quantumlibet imperfectum, possit non sibi esse planè consentaneum, sed quatenus ipsum Regem perfectè repræsentat.

Probatur 2. Nam si exemplar esset opus ipsum quod fieri debet, sequeretur ideas diuinas non esse intra Deum, sed in rebus ipsis ab eo creabilibus, quas proinde teneretur intueri vt ad earum similitudinem istas procrearet. Hoc autem etsi à nonnullis admittatur, diuinæ perfectioni non satis videtur consentaneum, adeoque à nobis reiectum est in Theol. spec. l. 1. c. 12. vbi ostendimus, ideas diuinas non esse res ipsas factibiles, sed essentiam Dei vt variè imitabilem à creaturis.

Quæritur 2. Ad quam causam exemplar reducendum sit. Respondeo videri reducendum ad causam efficientem. Ratio est, quia ita se habet idea operis ad artificem, sicut forma naturalis ad agens quod constituit, at hæc spectat propriè ad principium effectiuum, ergo & illa ad idem principium reduci debet. Probatur maior, nam sicut agens naturale constituitur per formam, ita & agens artificiale per ideam; & sicut illud intendit producere effectum sibi similem quoad formam, ita & hoc quoad ideam; adeoque hæc spectat ad causam efficientem.

Confirmatur, nam ars est habitus effectiuus per modum dirigentis & regulantis; ergo & idea, cùm ad artem pertineat, ad causam effectiuam reduci debet.

Obijcies, Idea vt est præcisè quid imitabile ab ipso effectu artificioso, habet tantùm rationem causæ formalis; esto quatenus est principium operandi in artifice, ad causam effectiuam reduci debeat. Respondeo antecedens falsum esse, cum id quod non informat aliquid neque est pars illius intrinseca, sed est omnino illi extrinsecum, nullò modo nisi abusiuè illius forma dici possit. Quòd verò effectus fiat ad illius imitationem, id non sufficit ad rationem causæ formalis; quin potiùs spectat ad rationem causæ effectiuæ, eò quòd causa efficiens intendit producere effectum sibi similem.

Instabis, id quod tribuit speciem alicui est forma illius; atqui exemplar tribuit speciem effectui, ergo est forma illius. Respondeo distinguendo maiorem, quod tribuit speciem intrinsecè concedo, extrinsecè nego: at exemplar non tribuit speciem effectui priori modo, sed tantùm posteriori; quatenus artifex

eo informatus producit effectum illi similem, adeoque in tali specie.

ARTICVLVS IV.

De casu, fortuna, & fato.

QVæritur 1. An & quid sit casus. Respondeo per casum hic intelligi, *effectum aliquem insolitum ex causa naturali, præter inclinationem illius ortum.* Quo sensu dari casum dubitari non potest, cum multa eo modo eueniant, vt quando tegula decidens prætereuntem lædit. Ille enim effectus est de raro contingentibus, & est præter inclinationem natiuam tegulæ decidentis, aut venti eam impellentis; vnde læsio illa est effectus per accidens, & casualis respectu tegulæ, & tegula est causa per accidens illius læsionis.

Vbi nota effectum casualem reperiri in rebus respectu causarum creatarum, non autem respectu Dei, vt diximus lib. 1. Theolog. spec. c. 18. Quia etsi effectus aliquis possit subterfugere ordinem causæ particularis, non tamen causæ vniuersalis, quæ est Deus; cum nihil fiat nisi Deo præsciente & volente, aut saltem permittente. Vnde multò minùs casus admittendus est in iis quæ immediatè à Deo fiunt, quia cùm Deus sit omniscius, & omnipotens, fieri nequit quòd aliquid ab eo prodeat præter scientiam & intentionem illius. Quare cùm Deus per se immediatè mundum produxerit, repugnat quòd mundus ex fortuito atomorum concursu factus fuerit: vt Democritus, & quidam alij veteres somniarunt.

Quæritur 2. An, & quid sit fortuna. Respon-

deò per fortunam intelligi *effectum rarò contingentem præter intentionem agentis* : Quibus verbis illud ponitur discrimen inter fortunam & casum, etsi plerumque pro eodem vsurpentur, quod casus pręcipuè spectat ad res naturales intellectu carẽtes, fortuna verò ad intellectuales.

Quod autem fortuna eo sensu admittenda sit nimis perspicuum est, cum multa hominibus operantibus eueniant præter eorum intentionem, vt si quis fodiens terram, thesaurum inueniat. Illi enim fossioni, quæ est opus per se intentum à fossore, adjungitur omnino per accidens, & præter illius intentionem, thesauri inuentio. Vnde hæc inuentio est effectus fortuitus & fossor causa fortuita.

Vbi aduerte eos vulgò dici benè aut malè fortunatos, quibus incogitantibus bona aut mala eueniunt. Verùm etsi effectus illi dicantur fortuiti respectu causarum secundarum, non tamen respectu Dei, cùm præter cognitionem & dispositionem eius non eueniant. Quare in illius prouidentiam dispensatio illa bonorum aut malorum referenda est, non in Deam illam fictitiam, quam antiqui fortunam appellarunt.

Quæritur 3. An, & quid sit fatum. Respondeo nomine fati ab antiquis Philosophis intelligi causam aliquam casui & fortunæ omnino oppositam, qua scilicet res omnes fiant ex absoluta determinatione & necessitate, ita vt impossibile sit aliter euenire, adeoque tollatur omnis effectuum non modo libertas, sed etiam contingentia : vel certam aliquam dispositionem & ordinem in causis rerum constitutum, quo fiat vt omnia ineuitabili necessitate eueniant. Hanc autem causarum ordinationem & necessitatem alij in ipsarum naturam, alij in influxus astrorum, alij in voluntatem Dei, vel

necessariò, vel efficacissimè operantem referebant.

Verùm hæc opinio vt veræ Philosophiæ,ac fidei opposita ab omnibus Catholicis communiter reijcitur; cùm planè destruat libertatem hominis, & consequenter rationem omnem virtutis & vitij, meriti & demeriti, præmij & supplicij tollat. Pessimè etiam sentit de Deo, quatenus supponit eum agere ad extra ex necessitate naturæ: si enim nos homunciones præditi sumus libertate ad agendum, vel non agendum, quæ sane magna est perfectio; quanto magis Deus omnium creator, ensque absolutissimè perfectum in omni genere, agendi vel non agendi libertate potitur? qua de re aliquid diximus in Theol. specul. vbi de voluntate Dei. Ineptè quoque supponit astra, cùm sint agentia corporea, influere directè in voluntatem nostram quæ est potentia spiritualis, eamque ad vnam partem immobiliter determinare, de quo in Idea Ethicæ aliquid fortè dicetur.

Quare fatum in eo sensu reijciendum est tanquam impium & hæreticum; admittendum verò si sumatur pro dispositione in rebus creatis à Deo posita, qua fit vt causæ naturales effectus suos naturaliter & necessariò, causæ verò contingentes & liberæ effectus suos contingenter & liberè, infallibiliter tamen operentur. Cùm enim res omnes creatæ subsint prouidentiæ Dei, hæcque sit certa & immobilis, fatum eo sensu admittendum esse perspicuum est. Ne tamen detur occasio errandi, nomine prouidentiæ, aut voluntatis Dei, potiùs quàm fati vtendum est.

CAPVT VIII.

De ente rationis.

ARTICVLVS PRIMVS.

De existentia, & natura entis rationis.

PRæmoneo 1. cùm Metaphysica agat per se de ente reali, ad eam quoque spectare agere de ente rationis, per reductionem ad ens reale; adeoque illius existentiam, naturam, & causas inuestigare, quod in hoc capite exequemur.

Præmoneo 2. nomine entis rationis non hic intelligi aliquid realiter existens in ratione seu intellectu, quomodo species intellectiles & scientiarum habitus dici possunt entia rationis; neque aliquid ab intellectu realiter productum, quomodo actus intellectus, & opera externa ex artis directione facta, entia rationis appellari possunt; sed aliquid quod existit tantùm obiectiuè in intellectu, ita vt nullam habeat vel habere possit realem existentiam extra intellectum, sed tantum habeat existentiam, quam vocant obiectiuam, in ipso intellectu. Hoc enim propriè intelligitur nomine entis rationis, cum de eo sine alia declaratione agitur, siue in Metaphysica, siue in alijs scientiis. His præmissis

Quæritur 1. an detur ens rationis in sensu iam explicato. Respondeo affirmatiuè, ex communi omnium sententia, quæ in manifesta-

experientia fundatur. Quotidie enim multa entia rationis mente effingimus, quæ nullum aliud esse habent quàm obiectiuum, vt cùm concipimus cæcitatem, tenebras, aliasque priuationes in modum cuiusdam formæ realis subiecto inexistentis: nam licèt cæcitas, & tenebræ suo modo rebus conueniant citra mentis operationem, non tamen in ratione formæ positiuæ, vt ab intellectu concipiuntur. Concipimus etiam cerberum tricipitem, hydram, chimeram, aliaque impossibilia quæ nullum habent esse præter obiectiuum in mente concipientis.

Obijcies 1. quidquid est, debere priùs esse quàm cognosci, adeoque ens rationis nullo modo esse, cùm non sit antequam cognoscatur. Respondeo antecedens verum esse de eo quod existit independenter à cognitione, non autem de eo quod per cognitionem accipit esse, quale est ens rationis.

Quod si instes, omnem cognitionem supponere obiectum circa quod versatur; Respondeo id verum esse de obiecto per se vel per speciem sui ad cognitionem concurrente, non autem de eo quod non cognoscitur nisi per species alienas; fieri enim potest vt tale obiectum non existat, nisi per operationem intellectus eiusmodi species sic disponentis, vt eæ repræsentent tanquam existens aliquid quod verè non existit, nec existere potest; vt cùm per species hirci & cerui concipit hircoceruum, ad modum vnius animalis ex hirco & ceruo compositi.

Obijcies 2. terminum cuiusque actionis realis debere esse realem, ac proinde ens rationis, quod est terminus intellectionis realis, esse aliquid reale. Respondeo antecedens verum

esse de termino intrinseco actionis realis & productiuæ, quomodo per intellectionem producitur species expressa seu verbum mentis, quod est aliquid reale; non autem de termino illius extrinseco, quale est ens rationis per speciem illam expressum & repræsentatum. Ad eum modum quo terminus picturæ internus est realis, nempe imago à pictore efficta; at verò terminus externus potest esse non realis, & fictitius, vt cùm pictor varia monstra impossibilia effingit.

Obijcies 3. relatio rationis creatoris, Domini, & similes competunt Deo citra operationem intellectus, ergo saltem concedendum est aliqua entia rationis existere independenter ab intellectu cogitante. Respondeo falsò supponi Deum esse creatorem, & dominum per relationem rationis; illæ enim sunt potiùs denominationes reales extrinsecæ ex eo sumptæ, quòd Deus creaturas realiter produxit, & in eas summum habet imperium. Quòd si fingatur Deum per relationem rationis referri ad creaturas, iam eo ipso talis relatio constituitur per intellectum, cum nequeat esse relatio rationis nisi per opus rationis.

Quæritur 2. vtrum ens rationis sit aliquo modo in rebus, siue per operationem intellectus, siue independenter ab illa. Sententia communis est negatiua, quæ vt clariùs intelligatur.

Respondeo & Dico 1. *ens rationis omnino pendere ab operatione intellectus, ita vt neque quoad essentiam, neque quoad existentiam sit independenter ab intellectu*. Ratio est, quia non modo de existentia, sed etiam de essentia entis rationis est vt pendeat ab intellectu: tum quia debet esse proportio inter essentiam quamcunque &

existentiam ad quam dicit ordinem; quare cum ens rationis pendeat ab intellectu quoad existentiam, ab eo etiam pendere debet quoad essentiam. Tum quia si ens rationis non penderet ab intellectu quoad suam essentiam, vt aliqui existimant, eatenus non esset ens rationis, sed verum ens reale, sicut est essentia hominis, vel equi nondum existentis; hoc autem communi Philosophorum sensui repugnat, & per se statim absurdum apparet.

Dico 2. *ens rationis non esse in rebus extra intellectum, sed tantùm in intellectu.* Probatur, nam si est in rebus, non est in illis nisi dependenter ab operatione intellectus, cùm non nisi ab intellectu produci possit; at quod eo modo non sit in rebus inde patet, quia propter nostrum intelligere nihil ponitur in re, vt aiunt vulgò Philosophi; & per se ridiculum est existimare, quando concipimus Deum & creatorem, ex vi talis conceptus Deo imprimi relationem rationis ad creaturas. Confirmatur, quia non potest intelligi quod ex vi intellectus nostri aliquid resultet in Deo, aliove subiecto, quin id sit forma aliqua realis, vt pote exigens subiectum reale cui inexistat.

Obijcies, vel ens rationis nullibi est, vel est subiectiuè in intellectu, aut in rebus; at primum dici non potest, quia cum ens rationis dicatur formari ab intellectu, alicubi esse debet secundum esse quod habet: non etiam secundum, quia ens rationis dicitur esse in intellectu obiectiuè tantùm; ergo tertium admitti debet. Respondeo ens rationis alicubi esse, non quidem subiectiuè propriè loquendo, quia quod est in aliquo subiecto, est accidens reale; sed tantùm obiectiuè, nimirum in intellectu qui concipiendo chimeram quæ non

eſt, ac ſi eſſet, cenſetur illi tribuere quandam exiſtentiam obiectiuam, quatenus illam ſibi vt exiſtentem obiicit.

Ex quo patet, ens rationis non eſſe conceptum mentis à quo effingitur, ſed obiectum illius. Nec refert quòd nihil ſit niſi per conceptum, inde enim non ſequitur nihil eſſe præter conceptum; cum conceptus dicat actionem realem ab intellectu productam, & in eo ſubiectiuè receptam, ens verò rationis ſit obiectum eiuſmodi actionis, à qua proinde diſtingui debet vt quid fictitium ab ente verò & reali.

Quæritur 3. quid ſit ens rationis. Reſpondeo eſſe obiectum ab intellectu effictum, ſeu non ens conceptum ab intellectu per modum entis. Patet ex dictis, ens ſiquidē rationis nullibi habet aut habere poteſt eſſe ſubiectiuè, ſed tantùm poteſt repræſentari intellectui ac ſi verè exiſteret, adeoque poteſt tantùm habere eſſe obiectiuum per intellectum. Vnde illud non eſt propriè ens rationis quod concipitur vt exiſtens, etſi non exiſtat, ſi verè poſſit exiſtere: quia vt ſuprà aduertimus, eſſentiæ rerum includuntur intra ambitum entis realis, etiam quandiu ſunt in ſtatu poſſibilitatis, ſeu antequam actu exiſtant: requiritur ergo ad ens rationis propriè dictum vt aliter non exiſtat, nec exiſtere poſſit quàm obiectiuè in intellectu. Quò fit vt quando concipio Antichriſtum futurum, non effingam ens rationis; quia etſi Anti-chriſtus non ſit actu in rerum natura, poteſt tamen realiter & extra intellectum exiſtere, & obiicitur meo intellectui ſecundum illud eſſe poſſibile à quo denominatur ens reale. Quare per accidens eſt reſpectu illius quod ab intellectu concipiatur, cùm tamen vice

versa, totum esse entis rationis ab intellectu essentialiter pendeat; quatenus nullum habet esse siue actuale, siue possibile in rerum natura, sed tantum esse obiectiuum per conceptionem intellectus.

ARTICVLVS II.

De causa effectiua entis rationis.

QVæritur 1. à qua potentia fieri possit ens rationis? Quod vt intelligatur

Notandum 1. hic non agi de ente rationis strictè sumpto iuxta notionem vocabuli; cùm enim ens rationis dicatur à ratione, & ratio ad solum intellectum spectet, hinc sequitur ens rationis in eo rigore vocabuli non posse fieri nisi ab intellectu. Dubitatur ergo an ens rationis latè sumptum pro ente ficto, & distincto ab ente reali, possit effingi ab omnibus potentiis animæ; præsertim ab appetitu, & à sensibus: quòd enim ab intellectu formari possit, in dubium minimè vocatur.

Notandum 2. cum inquirimus causam à qua ens rationis fit, non agi de causa effectiua propriè dicta; quia cùm ens rationis non sit verum ens, non potest habere veram causam efficientem, neque propriè fieri. Debet ergo quæstio intelligi de causa efficiente impropria, quæ scilicet tribuat enti rationis illud esse obiectiuum quod habet; quibus prænotatis,

Respondeo & Dico 1. *appetitum non facere propriè ens rationis.* Ratio est, quia ens rationis fit eò ipsò quò quod non est ens effingitur per modum entis; at talis fictio non potest cadere in appetitum, quia rem aliter effingere

quàm ſit, non ſpectat niſi ad potentiam cognoſcitiuam; cùm ea ſola poſſit rem aliter concipere quàm ſit, eique tribuere quoddam eſſe obiectiuum quod à parte rei non habet.

Confirmatur, nam appetitus ex ſe eſt potentia cæca, quæ obiecta in quæ fertur non fingit, ſed eo modo illa amplectitur, quo ipſi ab intellectu vel phantaſia repræſentantur. Quare etſi voluntas feratur in rem aliquam aliter quàm ſit, v.c. in obiectum tanquam bonum quod reuera bonum non eſt; ille error referri debet in intellectum, qui obiectum aliter repræſentat quàm ſit: non autem in voluntatem, quæ cum non ſit facultas cognoſcitiua, bonum à malo diſcernere non poteſt.

Dico 2. *nullum ſenſum ſiue externum, ſiue internum poſſe efficere ens rationis.* Probatur, quia quamuis poſſint ſenſus obiecta percipere aliter quàm ſint, non tamen aliter quàm abſolutè eſſe poſſint, vt patet, nam ſi v. c. viſus remum in aqua tanquam fractum percipit, non repugnat abſolute quin re vera fractus ſit; & ſi imaginatio montem aureum effingit, nil vetat quin mons aureus à Deo poſſit creari, id eſt ingens auri moles inſtar montis; at non propriè fingitur ens rationis, quando aliquid concipitur aliter quàm ſit, ſi poſſit eſſe eo modo quo concipitur: nam aliàs concipiens res poſſibiles, vt roſam in hieme, efficeret ens rationis, quod dici non poteſt; ſed quando res concipitur aliter quàm ſit, aut eſſe poſſit.

Quod ſi dicas chimeram poſſe effingi ab imaginatione, etſi nec ſit realiter, nec eſſe poſſit. Reſpondeo chimeram effingi ab imaginatione quoad figuram tantum externam, quomodo eſſe poteſt; nil enim vetat quòd

Deus

Deus producat animal aliquod quod exterius tale ſit quale ab imaginatione fingitur. Quare chimera eo modo non eſt propriè ens rationis, ſed quatenus effingitur tanquam quoddam animal ſubſtantialiter conſtans ex diuerſis eſſentiis, vt fingitur ab intellectu; quomodo neque eſt, neque eſſe poteſt.

Dico 3. *ſolum intellectum efficere ens rationis, modo prædicto acceptum*. Sequitur ex reſolutionibus præcedentibus, cùm nulla alia illius cauſa veluti effectiua aſſignari poſſit. Hoc autem ita intellige, vt ens rations non aliter fiat ab intellectu, quàm per formalem conceptionem qua obiectiuè repræſentatur tanquam ens quod non eſt ens. In eo enim conſiſtit ens rationis, quòd ſit obiectum à mente effictum; non poteſt autem effingi niſi per actualem cognitionem, ac proinde non alia eſt admittenda operatio intellectus qua producatur ens rationis, quàm illius intellectio. Ad maiorem autem horum intelligentiam,

Nota 1. ens rationis dupliciter poſſe ab intellectu cognoſci, primò per cognitionem directam, vt cùm concipio directè chimeram tanquã animal aliquod poſſibile vel exiſtens; ſecundò per cognitionem reflexam, cùm ſcilicet cognoſco me concipere chimeram. Cæterùm ens rationis non fit propriè per poſteriorem cognitionem, quia potiùs tunc cognoſcitur vt iam factum, ſed per priorem.

Nota 2. à nonnullis dubitari, an per tres vulgares mentis operationes poſſint fabricari entia rationis, cui difficultati reſpondeo affirmatiuè; quia per primam poſſum ſimpliciter apprehendere vt ens, quod ens non eſt; per ſecundam poſſum iudicare aliquid eſſe ens, quod non eſt ens, aut vice verſa; per ter-

tiam possum ex præmissis concludere aliquid sequi ex alio, quod verè ex eo non sequitur, adeoque his omnibus modis possum effingere entia rationis.

Nota 3. ens rationis duobus modis per illas operationes fieri posse vel affirmatiuè vel negatiuè; affirmatiuè tribuendo rei aliquid quod ei non conuenit, negatiuè illi denegando aliquid quod ei verè & necessariò conuenit: priori modo fingitur ens rationis, cùm quis iudicat tenebras esse quandam nigredinem aëri affusam, posteriori verò cùm quis existimat Deum non esse, vel hominem non esse animal.

Quæritur 2. an ens rationis ab intellectu siue diuino, siue Angelico fieri possit.

Respondeo & Dico 1. *non posse fabricari ab intellectu diuino, si propriè loqui velimus.* Ratio est, quia nulla imperfectio cadit in Deum; at magna sane est imperfectio effingere ens rationis, ergo id Deo tribui non debet. Minor ostenditur, quia tūc fit ens rationis cùm aliquid concipitur aliter quàm sit; at magna est imperfectio rem ita concipere, ergo modus ille concipiendi in Deum cadere nequit, ideoque nec fabricatio entis rationis.

Confirmatur, nam cùm Deus infinita vi intelligendi polleat, non modo omnia cognoscit, sed etiam perfectè comprehendit quidquid ad eorum essentiam, proprietates, & alia adiuncta pertinet; quare non potest res aliter cognoscere quàm sint, & consequenter nullum ens rationis effingere potest.

Obijcies, Deus nouit ens rationis effictum ab intellectu humano, cùm sciens & volens concurrat ad quamcunque illius cognitionem, ac proinde ignorare non possit quod ab illo cogitante effingitur; ergo etiam Deus facit ens

rationis : sequela patet, quia ens rationis fit eo ipso quo cognoscitur. Respondent aliqui negando antecedens : sed immeritò, tum propter rationem iam allatam, tum quia etsi sit imperfectionis res aliter cognoscere quàm sint, magna tamen est perfectio, intelligere rem aliter cognosci ab alio quàm sit; quia sic & cognitio falsa cognoscitur vt est, & obiectum per eam repræsentatum cognoscitur etiam vt est; quod sanè non exiguam perfectionem indicat, ac proinde in Deo admitti debet.

Respondeo igitur 2. cum communi sententia, negando sequelam, & ad probationem illius dico, Deum non efficere ens rationis, etsi illud cognoscat quod à nobis fingitur : quia ens rationis fit tantum per eam cognitionem qua fingitur, non autem per eam qua vt fictum agnoscitur, vt patet ex dictis. Hæc enim posterior cognitio cum sit vera, & nullam fictionem contineat, non potest esse entis rationis effectiua; sed ea tantùm qua fingitur per modum entis, quod non est ens, nec esse potest. Et in idem redit quod aliqui dicunt, ideo Deum non efficere ens rationis, quando à nobis effictum cognoscit, quia illud non cognoscit practicè, sed duntaxat speculatiuè. Fateor tamen quæstionem istam magis ad modum loquendi spectare, quàm ad rem ipsam.

Dico 2. *Angelum non posse fingere entia rationis quoad res naturales, quarum claram & perfectam habet notitiam, posse tamen quoad res supernaturales.* Prior pars probatur, quia cùm Angelus clarè & intuitiuè penetret res omnes naturales, non potest falli in earum cognitione; ideoque non potest cæcitatem per modum formæ positiuæ, nec tenebras per modum

nigredinis percipere, sed singula cognoscit vt sunt à parte rei.

Posterior ostenditur, nam cùm supernaturalia non sint nota Angelis sine peculiari Dei reuelatione, dubium non est quin possint circa illa hallucinari, & aliter de rebus sentire quàm sint; quomodo deceptus est dæmon, iudicando Christum non esse Deum, sed merum hominem.

Idem dicitur communiter de futuris contingentibus, ab hominum natiua libertate pendentibus, cùm possit Angelus existimare aliquid eiusmodi futurum, quod verè futurum non sit. Verùm hæc deceptio non sufficit nisi ad fingendum ens rationis impropriè & latè sumptum, quia si agatur de ente rationis strictè sumpto, quale ante descriptum fuit, non facilè intelligitur illud ab Angelo fabricari posse; quia vt eiusmodi ens rationis ab illo fieret, necesse esset vt tanquam futurum iudicaret, quod neque vnquam euenturum esset, neque euenire posset. At non satis constat Angelum posse eiusmodi assensum elicere, cùm vires naturales humanæ libertatis perfectè penetret, adeoque sciat quidquid ab illa prodire potest; & aliunde in rebus non satis sibi perspectis præcipitem sententiam ferre non soleat, vt vulgo tradunt Theologi in tractatu de Angelis.

ARTICVLVS III.

De diuisionibus entis rationis.

ENs rationis primò diuidi solet in fundatum & non fundatum; fundatum dicitur

illud quod fit cum aliquo fundamento in re, vt cùm cæcitatem qua visus destruitur, concipimus per modum alicuius qualitatis noxiæ oculo inhærentis. Licèt enim quod ita cæcitatem concipiamus, id oriatur ex imbecillitate nostri intellectus, eo tamen defectu posito, est etiam aliquod fundamentum ex parte rei seu subiecti, fingendi aliquam qualitatem in oculo, quæ verè in eo non est.

Non fundatum verò dicitur illud quod fit ex mera intellectus libertate, vt chimera, hircocertuus, &c. nihil enim est in rebus quod tribuat occasionem intellectui coniungendi in vnam, duas aut tres naturas specie distinctas; & qua facilitate mens connectit vnam parte m substantiæ cerui cum parte substantiæ hirci, eadem posset ex boue & equo, ex leone & asino monstrum aliquod compingere

Eodem modo intellectus creditur facere ens rationis non fundatum, cùm profert aliquam propositionem identicam, qualis est illa, Deus est Deus; quia nullum est fundamentum distinctionis, quam inter attributum & subiectum talis propositionis constituit. Hinc autem trahi solet vulgaris distinctio rationis ratiocinatæ & rationis ratiocinantis, quarum prior dicitur quæ fit cum aliquo fundamento, posterior verò quæ fundamento destituitur. Verùm hæc doctrina attemperanda est iuxta superius à nobis dicta, de distinctione illa rationis ratiocinatæ, & rationis ratiocinantis.

Secundò, potest diuidi ens rationis in ens rationis primæ, & secundæ intentionis; ens rationis primæ intentionis est, id quod per se primò effingitur, vt cum concipio hircocertuum: ens autem rationis secundæ intentionis est, id quod rei iam cognitæ affingitur, siue


res illa sit realis, vt cùm dico in illa propositione, Petrus est homo, Petrum habere rationem subiecti; siue fictitia, vt cum dico, in illa propositione, chimera est animal, chimeram esse subiectum. Quòd enim Petrus & chimera induant rationem subiecti, id à parte rei nihil est, sed ab intellectu fingitur, ac si esset forma aliqua realis Petro, ac chimeræ adueniens.

Atque hæc entia rationis secundæ intentionis fundata in præcedenti cognitione reali, frequenter vsurpantur à Logicis, suntque valde vtilia ad directionem trium mentis operationum; cum sine subiecto, prædicato, antecedente, consequente, genere, specie, aliisque notionibus Logicis à mente effictis, quæ in Logica tractantur, commodè intelligi, & ad praxim deduci non possint.

Tertiò, ens rationis diuiditur à nonnullis in relationem, priuationem, & negationem; quod vt intelligatur aduerte 1. per relationem intelligi respectum quemdam rationis per mentem alicui rei affictum, respectu termini ad quem à parte rei nullo modo refertur; vt cùm concipimus Deum quatenus creatorem, dicere intrinsecè respectum quemdam ad creaturas; & parietem quatenus visum, referri intrinsecè ad oculum videntis.

Aduerte 2. priuationem & negationem duobus modis accipi posse, primò vt sunt mera priuatio & negatio alicuius formæ; secundò vt concipiuntur ab intellectu per modum alicuius formæ positiuæ: hoc autem posteriori sensu dici entia rationis, non autem priori, cùm sic rebus citra omnem mentis fictionem conueniant; vt cæcitas oculo, & negatio lapidis homini.

Aduerte 3. denominationes extrinsecas à nonnullis inter entia rationis constitui, & reduci ad relationem rationis; sed malè, quia etsi possimus fingere aliquem respectum rationis in pariete viso, ad oculum videntem, & in Deo ad creaturas; secluso tamen hoc respectu, & nemine cogitante, paries denominatur realiter visus, & Deus dicitur realiter creator. Quia etsi visio non sit nisi in oculo, sicque illum solum realiter denominet videntem; cùm tamen realiter tendat ad parietem tanquam ad suum obiectum, hinc illum etiam realiter denominat visum, non quidem intrinsecè, cùm ei non insit, sed extrinsecè. Et similiter licèt creatio non sit in Deo sed in creatura, sicque illam tantùm denominet intrinsecè creatam; quia tamen realiter à Deo procedit, hinc fit vt illum denominet realiter, extrinsecè tamen creatorem; neque ad has denominationes opus est vlla fictione intellectus.





LIBER III.

DE SPECIEBVS primariis entis.


Hoc tertio libro agendum est de præcipuis & immediatis veluti speciebus entis, nimirum de substantia, & accidente: & consequenter de qualitate, relatione, alijsque accidentibus prædicamentalibus, excepta quantitate cuius consideratio commodius in Physicam reijcienda videtur.

CAPVT PRIMVM.

De substantia secundum se.

ARTICVLVS PRIMVS.

De quidditate substantiæ.



Varij sunt dicendi modi de quidditate & essentia substantiæ, quod indicio est naturam substantiæ parum Philosophis esse perspectam, & quæ de ea subiiciemus parum esse certa. Neque id mirum videri debet,

quia cùm tota cognitio nostra pendeat à sensibus, & sensus non nisi accidentia percipiant, difficile est perspicuè cognoscere quidnam sit illud ens insensibile, quod accidentibus substare concipimus. Eò vel maximè quia in vestiganda etiam natura ipsarum rerum sensibilium plerumque cæcutimus, vt manifestum fiet ex toto decursu physicæ.

Communis sententia est, quidditatem substantiæ in eo consistere quòd sit *ens per se existens*, id est independenter à subiecto inhæsionis; quomodo substantiæ definitio aptari potest omni substantiæ, & distinguit substantiam ab accidente; cùm nulla sit substantia quæ subiecto inhæreat ad modum accidentis.

Hic autem quæritur, an esse seu existere per se sit aliquid entitati substantiæ superadditum. Responsio communis est negatiua, quia cùm in eo constitui soleat essentialis ratio substantiæ, vt per se existat, hoc quod est existere per se non debet esse aliquid superadditum entitati substantiæ; sicut esse rationale non potest esse aliquid additum quidditati hominis.

Confirmatur, nam si esset aliquid superadditum, posset diuinitus separari à substantia, & ita substantia non existeret per se; & consequenter nihil impediret quin posset inhærere alteri tanquam subiecto inhæsionis, ad modum accidentis, quod sanè dici non potest.

Obiicies 1. esse in alio est modus superadditus accidenti, ergo & esse per se est modus superadditus substantiæ. Respondeo non sequi, & ratio discriminis à posteriori ex eo deprehendi potest, quia cùm ex fide constet accidens posse actu separari à subiecto, hinc manifestum est esse in alio esse modum quemdam

distinctum ab entitate accidentis: at verò cùm neque ex fide, neque aliunde sufficienter nobis constet, substantiam posse esse in alio vt in subiecto inhæsionis, hinc meritò concluditur modum essendi per se non distingui à substantia.

Obiicies 2. existere per se nihil aliud esse quàm subsistere, substantiam verò non subsistere per suam entitatem, sed per modum quemdam illi superadditum, vt patet in humanitate Christi quæ fuit priuata propria subsistentia. Respondeo existentiam per se distingui à subsistentia, vt ex eo colligitur, quòd humanitas Christi non erat in verbo vt in subiecto inhæsionis, sed tantùm vt in termino à quo perficiebatur in ratione suppositi: quare etsi per propriam entitatem non subsisteret, sed per subsistentiam verbi supplentem defectum subsistentiæ illius naturalis, vi tamen propria existebat per se.

Obijcies 3. si substantia existit per seipsam sine vllo modo superaddito, sequitur eam existere per suam essentiam; at hoc repugnat, quia solus Deus est ens existens per suam essentiam. Respondeo substantiam quamcunque existere per suam essentiam, ita vt non sit distinctio realis inter essentiam & existentiam substantiæ; Vnde Deus non tantùm eo sensu est existens per suam essentiam, sed alio longè diuerso qui nulli creaturæ competit, quatenus nempe non modo existentia Dei est idem cum essentia illius, sed etiam est de conceptu essentiæ Dei quod actu existat; adeo vt nequeat concipi Deus, quin intelligatur actu existens. At verò etsi creaturæ existentia & essentia realiter non distinguantur, non tamen est de-

earum essentia quod existant; sed possunt adæquatè quoad totam essentiam concipi, abstrahendo ab actuali existentia, vt alibi obseruatum est.

Obijcies 4. idem est existere per se, ac non esse in alio; at non esse in alio est negatio, quam Deus potest amouere à subiecto, adeoque efficere vt substantia non existat per se. Respondeo maiorem falsam esse, esse enim per se dicit modum positiuum existendi independenter à subiecto inhæsionis. Cùm enim substantia adæquatè sit ens reale & positiuum, non potest ratio illius essentialis constitui per negationem, sed tantùm per aliquid positiuum; esto interdum à nobis alio modo declaretur, quia non percipimus res vt sunt, & de ijs loquimur prout eas percipimus. Et quamuis daretur esse per se dicere negationem, inde non posset efficaciter colligi eam negationem posse à substantia tolli; quia etsi negationes quæ sequuntur aliquod accidens commune rei, possint ab illa auferri, non tamen quæ illius essentiam sequuntur; vt patet in negatione equi, lapidis, aliarumque rerum quæ ab essentia hominis tolli non potest: quia de ratione intrinseca hominis est vt non sit equus, nec lapis, &c.

ARTICVLVS II.

De subsistentia quæ competit substantiæ.

DVo hic quæri possunt, primò an substantia non modo per se existat, sed etiam subsistat. Secundò an subsistentia addat aliquid

positiuum supra entitatem substantiæ.

Respondeo & Dico 1. *Negari non posse quin natura substantialis exigat ex se propriam subsistentiam, per quam dicatur ens subsistens.* Probatur tum ex communi vsu loquendi, omnes enim aliquo sensu agnoscunt subsistentiam in rebus, cùm plerumque nominibus subsistentiæ, subsistentis, suppositi, hypostasis, personalitatis vtantur; neque putent ea omnia esse vanas voces nihil significantes, vt nimis perspicuum est.

Tum quia in Deo ponuntur tres subsistentiæ, per quas tres personæ diuinæ constituuntur, vt fides docet, ergo cùm etiam in creatis sint personæ, ab iis ratio subsistentiæ excludi non potest. Et idem dicendum de aliis substantiis, quibus ratio personæ non competit; quia cùm personalitas nihil sit aliud quàm id quo natura intellectualis subsistit, cùm etiam aliæ naturæ non intellectuales subsistant, negari non potest quin ratio subsistentiæ etiam iis competat.

Tum maximè quia ex fide constat, naturam humanam in Christo subsistere per subsistentiam verbi; hinc autem Theologi colligunt humanitatem ex se esse capacem propriæ subsistentiæ, eamque naturaliter exigere, sed propter vnionem ad verbum fuisse in Christo diuinitus impeditam. Ergo negari absolutè non potest dari quandam subsistentiam in natura, per quam res subsistant. Quòd si nonnullis substantiis id conceditur, nulla est ratio cur aliis denegetur, cùm omnes ex se æqualiter postulent modum completum subsistendi, & habere rationem suppositi infrà declarandam.

Dico 2. *Subsistentiam esse modum quemdam*

positiuum naturæ superadditum, *& ab ea distinctum*. Probatur nam vel subsistentia nihil addit supra naturam, vel aliquid addit; priùs repugnat fidei, quia si subsistentia nihil adderet supra naturam, apertè sequeretur verbum assumendo humanitatem in incarnatione, assumpsisse etiam subsistentiam humanam, cùm totam & integram humanitatem assumpserit; at de fide est verbum non assumpsisse subsistentiam naturæ humanæ, quia cùm subsistentia naturæ intellectualis idem sit ac personalitas, sequeretur verbum assumpsisse personam humanam, sicque duas esse personas in Christo, quod Nestorianum & planè hæreticum est, vt diximus in Idea Theol. Speculat. lib. 2. cap. 11. Fateri ergo debemus necessariò subsistentiam aliquid addere supra naturam, quidquid illud sit.

Rursus, si subsistentia dicit aliquid supra naturam, vel illud distinguitur tantùm per rationem à natura, vel negatiuè dumtaxat, vel modaliter. Non tantùm per rationem, quia si natura & subsistentia sunt idem realiter, fieri nequit, esto per rationem distinguantur, quòd vnio terminetur ad vnam & non terminetur ad aliam; cùm vnio non se habeat ad modum intellectus nostri qui potest per, conceptus inadæquatos vnum præscindere ab alio, cum quo perfectè identificatur, sed physicè attingat & coniungat rem, vt est in seipsa. Quare hinc sequeretur vnionem verbi terminatam ad humanitatem Christi, fuisse quoque terminatam reipsa ad illius subsistentiam, sicque personam humanam fuisse à verbo assumptam simul cum humani-

tate; quod à fide Catholica alienum est.

Non etiam negatiuè duntaxat, tum quia si subsistentia nihil aliud esset formaliter quàm negatio vnionis cum altero supposito, vt aliqui existimant, frustra à Conciliis tanquam dogma fidei determinatum esset, humanitatem à verbo assumptam carere propria subsistentia; cum intellectis terminis, vel ipso limine naturæ perspicuum sit, naturam verbo vnitam non habere negationem vnionis ad verbum.

Tum quia subsistentia est complementum, terminus, & vltima perfectio naturæ; at ista non haberet si esset mera negatio existendi in alio supposito, vt per se notum videtur Ergo dici non debet rationem formalem subsistentiæ in negatione consistere. Confirmatur, nam vel est in natura aliquod fundamentum talis negationis, vel nullum; at hoc posterius dici non potest, quia aliàs non magis substantiæ tribui deberet subsistentia, quàm accidenti: posterius ergo verum est, adeoque in subsistentia est aliquid positiuum ratione cuius illi competit negatio vnionis cum alio; & hæc vocari debet subsistentia; siquidem non alio titulo res exigit non esse in alio supposito, nisi quia subsistit per se, seu per propriam subsistentiam.

Tum quia suppositum concipitur ab omnibus vt ens vnum per se & vnius naturæ; at natura constituitur in ratione suppositi per suam subsistentiam, quæ si esset negatio, profectò non constitueret cum natura vnum ens per se, sed vnum tantùm per accidens, vt perspicuum est: Ergo absolutè negandum est subsistentiam formaliter in negatione consistere.

Vnde concludo subsistentiam esse modum quemdam naturæ creatæ superadditum, & realiter ab ea distinctum, ita vt etsi non possit subsistentia existere sine natura, cùm sit terminus illius intrinsecus, possit tamen natura diuinitus existere sine propria subsistentia; vt patet in humanitate Christi quæ per vnionem ad verbum propria subsistentia priuata fuit. Neque maior distinctio ponenda est inter naturam & subsistentiam, cùm natura sine subsistentia sit integra in ratione naturæ, tantúmque illi desit aliquod complementum connaturale, quod per entitatem quamdam modalem sufficienter habere potest; eò quòd subsistentia nihil aliud est quàm modus quidam quo substantia existit in se independenter ab alio supposito; sicut inhærentia accidentis non distinguitur nisi modaliter ab accidente, eò quòd dicit tantùm modum quo accidens existit in alio.

Obijcies 1. non sunt multiplicandæ entitates sine necessitate; at nulla est necessitas ponendi in natura modum distinctum per quem subsistat, cùm subsistere nihil sit aliud quàm existere per se, & natura per seipsam existat per se, vt antè ostensum est. Respondeo negando minorem & illius probationem, quatenus existentiam per se cum subsistentia confundit. Natura enim potest existere per se seu independenter à subiecto inhæsionis, etsi non subsistat per propriam subsistentiam; vt patet in humanitate Christi quæ per se existit eo modo, etsi careat propria subsistentia. Vnde sequitur subsistentiam esse modum non tantùm naturæ, sed etiam existentiæ per se superaddi-

tum, cùm ab ea possit separari; quemadmodum inhærentia est modus ab accidente distinctus, cum ab eo diuinitus separari possit.

Obijcies 2. Si subsistentia esset modus à natura distinctus, sequeretur verbum non assumpsisse humanitatem integram & perfectam, itemque illius humanitatem perpetuò priuatam manere complemento suo connaturali, ac proinde esse in perpetuo statu violentiæ; quæ & similia admitti non debent. Respondeo ista non esse adeo absurda quin aliquo sensu admitti possint; nam humanitas quidem non erat integra in ratione suppositi & personæ, quod necessariò admittendum est, quia alias duæ essent personæ in Christo, vt dictum est; erat tamen integra in ratione naturæ, cùm constaret perfecto corpore, & perfecta anima. Christi etiam humanitas aliquam videtur pati violentiam naturalem, quatenus impeditur ne propriam subsistentiam effundat; sicut anima rationalis violentiam pateretur, si diuinitus impediretur ne proprium intellectum ex se effunderet, & aqua si impediretur vt frigus ex se emitteret. Absolutè tamen dici potest humanitatem Christi non esse in statu violento cùm defectus propriæ subsistentiæ per verbi subsistentiam infinitè nobiliorem suppleatur.

Obiicies 3. Verbum diuinum supplet in Christo defectum subsistentiæ creatæ; at non potest supplere defectum modi, cùm hoc dicat imperfectionem, ergo subsistentia non est modus, sed potiùs realitas distincta à natura. Respondeo subsistentiam creatam dupliciter se habere erga naturam

quam afficit, eam enim modificat, & vltimò terminat reddendo incommunicabilem alteri supposito: inter hæc autem munera illud est discrimen, quòd primum cùm intrinsecè dicat imperfectionem, à verbo non potest suppleri, non enim fieri potest vt verbum sit modus alicuius naturæ creatæ: Secundùm verò quia nullam imperfectionem inuoluit, à verbo suppleri potest, sicque non opus est vt subsistentia creata magis quàm modaliter distinguatur à natura. Eò vel maximè quia etsi subsistentia esset entitas realiter distincta à natura, cùm tamen non possit non esse entitas creata, & infinitè distans à persona diuina, semper arguentibus explicandum superesset, quomodo illius defectus à verbo suppleri possit. Cæterùm hæc omnia possunt lucem accipere ex dictis lib. 2. Theologiæ specul. vbi de Verbo incarnato.

ARTICVLVS III.

De subsistentia compositi naturalis.

CVm hic propriè sit locus agendi de subsistentia in genere, quæ quidam est modus substantiæ, vt dictum est, non erit abs re in hoc etiam capite inquirere speciatim de subsistentia rerum materialium, de qua nonnulla difficultas excitari potest. Dubitatur ergo an sicut materia & forma habent, ex communi sententia, proprias existentias, ex quibus coalescit totalis & integra existentia compositi; ita in illis admittendæ sint partiales subsistentiæ, ex quibus integra compositi subsistentia resultet; vel potiùs vna simplex subsistentia

totius per quam partes illius subsistant.

Respondeo & dico 1. *Materiam habere propriam subsistentiam partialem.* Probatur, tum quia materia accipit esse per creationem, at creatio est subsistentium: tum quia materia est primum subiectum generationis, & formæ materiales ex illius gremio educuntur; ergo ad illam maximè spectat subsistere. Tum quia si materia separaretur à forma, posset separata existere, idque cum continuatione eiusdem influxus, vt suppono ex dicendis in Physica: at tunc subsisteret per propriam subsistentiam, ergo & per eandem subsistit in composito.

Dico 2. *Probabilius videri etiam formam habere propriam subsistentiam partialem.* Probatur, tum quia proprium est substantiæ vt distinguitur ab accidente, subsistere; at forma de qua agimus est substantia, ergo subsistit, adeoque habet partialem subsistentiam non secus ac materia. Aliàs certè in modo essendi non differret ab accidente, quod nobis durum videtur.

Tum quia compositum cùm sit substantia completa, debet subsistere per subsistentiam completam & adæquatam; at non ita subsisteret per solam subsistentiam materiæ, cùm ea sit partialis & incompleta, ac proinde toti composito non satis proportionata; necesse est ergo vt subsistat per subsistentias partiales materiæ & formæ simul vnitas, ex quibus vna integra & totalis subsistentia coalescat.

Tum quia anima rationalis habet propriam subsistentiam, cùm à verbo sustentari possit etiam à corpore separata, vt in triduo mortis Christi contigit: ergo idem dicendum est de alijs formis substantialibus. Sequela patet, quia etsi illæ fiant dependenter à materia, cum

ea tamen constituunt compositum substantiale, non minùs completè subsistens, quàm homo subsistat per corpus & animam rationalem. Quare debent habere proprias subsistentias. Confirmatur, nam si forma careret propria existentia, compositum non posset existere complete per solam existentiam materiæ. Ergo similiter si careret propria subsistentia, compositum non posset subsistere completè per subsistentiam solius materiæ.

Obijcies, forma materialis existit dependenter à materia, ergo non habet propriam subsistentiam: sequela patet, quia quod habet propriam subsistentiam per se subsistit, at quod per se subsistit, existit independenter ab alio. Respondeo negando consequentiam, & ad illius probationem dico, formale munus subsistentiæ non esse efficere vt res existat independenter à materia; quia si hoc esset, sequeretur eò ipsò quò aliquid caret propria subsistentia, illud debere existere dependenter à materia, quod tamen falsum est: quia etsi materia, & anima rationalis priuarentur propria subsistentia, non propterea existerent dependenter à materia. Quare quod forma pendeat à materia, id præcisè non impedit quin propriam habeat subsistentiam.

Dico 3. Non esse ponendam in toto subsistentiam aliquam simplicem, distinctam à subsistentijs partialibus materiæ & formæ. Probatur, tum quia eiusmodi subsistentia esset superflua, cum totum non minus possit subsistere completè per subsistentias materiæ & formæ simul vnitas, quàm per earum existentias completè existat.

Tum quia cùm compositum intrinsecè coalescat ex duabus partibus realiter distinctis,

imò nihil aliud ſit quàm partes illæ vt vnitæ, vix concipi poteſt quomodo per vnam ſubſiſtentiam ſimplicem complete ſubſiſtere poſſit. Siquidem illa ſubſiſtentia ſimplex vel eſſet ſpiritualis, quod abſurdum eſt, cùm agamus de ente corporeo & materiali; vel non poſſet afficere duas partes realiter diſtinctas, ſicque compoſitum non ſecundum ſe totum per illam ſubſiſteret

Obijcies, ſubſiſtere eſt ſuppoſiti, non partium; ergo admittenda eſt vnica ſubſiſtentia in compoſito. Reſpondeo ſubſiſtere complete eſſe ſuppoſiti, non partium; vnde non ſequitur in compoſito eſſe vnam ſimplicem ſubſiſtentiam, ſed vnam ex ſubſiſtentijs partialibus reſultantem.

ARTICVLVS IV.

De cauſis ſubſiſtentiæ, & de formali illius effectu.

QVæritur 1. quænam ſit cauſa efficiens ſubſiſtentiæ. Nonnulli exiſtimant eandem cauſam externam quæ producit ſubſtantiam, producere etiam ſubſiſtentiam. Alij verò docent ſubſiſtentiam emanare immediatè ab ipſa ſubſtantia & natura cùm qua ſuppoſitum conſtituit. Et hoc videtur probabilius.

Tum quia nulla eſt ratio cur credamus, animam Chriſti fuiſſe creatam diſtincta ſpecie creatione à creatione aliarum animarum; at eſſet ſpecie diſtincta creatio, iuxta ſententiam oppoſitam, quia in alijs animabus terminaretur intrinſecè ad ſubſiſtentiam, quod

in Christi anima contingere non potuit, cùm careat propria subsistentia.

Tum quia cùm omnium consensu, naturæ habeant vim effectiuam qua suas passiones producunt, anima rationalis intellectum & voluntatem, aqua frigiditatem, & ita de alijs, non videtur deneganda naturæ similis virtus respectu propriæ subsistentiæ. Imo si natura potest ex se effundere entitatem omnino realiter à se distinctam, à fortiori dicendum est non superare vires naturæ quòd modum quemdam suum, quo vltimò completur & terminatur, ex se producere possit.

Nec dicas cætera hic non esse paria, quia natura quæ suas proprietates producit, est subsistens; at vero antequam suam subsistentiam effundat non subsistit, adeoque etsi in priori casu possit agere, non tamen in posteriori, quia actiones sunt suppositorum seu subsistentium. Ista enim diuersitas nihil sententiæ nostræ officit, quia natura per se existit priùs ratione quàm subsistat, cum subsistentia sit modus ab ea etiam vt existente realiter distinctus, vt suprà ostendimus: hoc autem sufficit vt possit agere, cùm vis agendi sit naturæ, non suppositi, nisi denominatiuè vt infrà dicemus.

Quare illud axioma, *actiones sunt suppositorum* debet intelligi de omnibus actionibus quæ supponunt naturam constitutam in ratione suppositi; illæ enim omnes tribuuntur supposito tanquam toti, ad quod natura & subsistentia spectant in ratione partium. Excipienda tamen est actio illa qua natura constituitur in ratione suppositi, per effluxum ipsius subsistentiæ ab illa; cùm talis actio suppositum præcedat, adeoque illi tribui non pos-

sit. Quemadmodum etsi actiones omnes intellectiuæ animæ rationali tribui soleant, ea tamen excipi debet qua ipse intellectus effluit ab anima; cùm perspicuum sit eam ab anima quatenus est rationalis, vel intellectiua oriri non posse. Et quamuis aqua ad alios effectus supponatur frigida, non tamen ad ipsam productionem frigiditatis ita supponi debet.

Obijcies 1. Quod tribuit esse, tribuit etiam modum essendi, atqui agens tribuit esse naturæ, ergo & tribuit illi modum essendi. Respondeo distinguendo maiorem, si per modum essendi intelligatur ipsa existentia per se, concedo, si verò intelligatur subsistentia, nego. Nam existentia per se non est quid distinctum à natura, adeoque quæ causa producit vnum, producit aliud; at subsistentia est modus naturæ, & existentiæ superadditus, & ab ea realiter distinctus; qui proinde à natura immediatè fluere potest, etsi hæc à causa externa producatur.

Obijcies 2. Agens quod producit accidens, producit etiam inhærentiam illius in subiecto; ergo etiam agens quod producit naturam, debet illius subsistentiam producere; cùm ita se habeat inhærentia ad accidens, sicut subsistentia ad naturam. Respondeo concesso antecedente, negando consequentiam, & probationem illius; quia illud est discrimen inter accidens & substantiam, quòd accidens non existit nisi inhæreat, adeoque repugnat quòd producat propriam inhærentiam in subiecto; substantia verò existit prius natura quàm subsistat, sicque in eo priori potest subsistentiam suam producere.

Ex dictis collige duas actiones requiri in no-

ſtra ſententia, ad productionem ſuppoſiti, quarum aliâ producatur natura ab agente, aliâ ſubſiſtentia à natura. Cùm enim diſtincta ſint agentia, & diſtincti termini, diſtinctas quoque eſſe actiones neceſſe eſt. Iuxta ſententiam verò oppoſitam aliqui dicunt, naturam & ſubſiſtentiam poſſe fieri ab agente vnica actione; quia productio tendit ad rem ſubſiſtentem, ac proinde ad naturam ſimul cum ſubſiſtentia. Verùm cum termini iſti ſint realiter diſtincti, & actio non diſtinguatur realiter à termino qui per illam fit, hinc ſequitur reuera eſſe duas actiones diſtinctas; præſertim cùm poſſit eſſe productio naturæ ſine productione propriæ ſubſiſtentiæ, vt patet in Chriſti humanitate. Quia tamen ex natura & ſubſiſtentia fit vnicus terminus totalis & completus, hinc dici poteſt ex duabus illis actionibus veluti partialibus vnam totalem coaleſcere.

Quæritur 2. Quænam ſit cauſa materialis ſubſiſtentiæ. Reſpondeo non aliam eſſe quàm naturam quam afficit, & cuius eſt modus; ſiue enim ſubſiſtentia immediatè procedat à natura, ſiue ab agente; cum intrinſecè modificet naturam, non niſi in illa recipi poteſt; adeoque natura eſt cauſa materialis ſeu ſubiectum illius.

Quòd ſi dicas fieri non poſſe quòd ſubſiſtentia dependeat à natura, cùm ſit forma qua natura redditur independens, Reſpondeo id non ſequi, nam cauſa formalis non producit effectum formalem in ſeipſa, ſed in alio, vt albedo non ſe formaliter albam conſtituit, ſed niuem aliaque corpora candore affecta; quare etſi ſubſiſtentia ſit dependens, id non impedit quin per illam poſſit natura

independens constitui. Maximè quia id contingit in diuerso genere, subsistentia enim dependet à natura, vt à subiecto; natura verò affecta subsistentia redditur independens à quocunque alio supposito.

Si quis verò inquirat quænam res habeant propriam subsistentiam. Respondeo 1. omnes substantias non modo completas, quales sunt lapis, planta, brutum, homo, Angelus, Deus, sed etiam incompletas, siue essentiales, nimirum materiam & formam, de quibus suprà actum est, siue integrantes vt caput, manus, &c. habere propriam & sibi proportionatam subsistentiam. Proprium enim est substantiæ non modo existere per se, sed etiam subsistere independenter à quocunque alio supposito. Quare nulla est substantia siue creata, siue increata, siue corporea siue spiritualis, siue totalis, siue partialis cui non competat propria quædam subsistentia.

Respondeo 2. Nullum accidens habere propriè subsistentiam. Ratio est quia subsistentia est modus substantialis, quo scilicet substantia vltimò completur & constituitur in ratione suppositi. Quare cùm accidens non sit substantia, non potest habere subsistentiam propriè dictam.

Nec dicas accidens saltem separatum habere modum quemdam existendi per se, adeoque subsistere. Antecedens enim in nostra sententia non est verum de modo existendi positiuo, sed tantùm de negatiuo. Et quamuis talis modus admitteretur, ille non esset substantialis, ac proinde non esset subsistentia propriè dicta. Vide Ideam Theologiæ Sacramentalis lib. 2. cap. 6. resol. 2.

Quæritur 3. quinam sit effectus formalis subsistentiæ.

Respon-

RESPONDEO & dico 1. *Effectum formalem subsistentiæ non esse facere naturam per se existentem.* Quia vt suprà ostendimus, subsistentia distinguitur realiter ab existentia, eamque supponit. Confirmatur, quia humanitas Christi posset diuinitus à verbo separata, omnique alia subsistentia priuata conseruari; at tunc sanè existeret per se.

Dico 2. *Effectum formalem subsistentiæ non esse reddere naturam potentem operari.* Ratio est, quia subsistentia vel complet naturam per modum principij operatiui, vel per modum conditionis sine qua non; at neutrum dici potest: non primùm, quia subsistentia non est intellectus, nec voluntas, nec calor, nec frigus, &c. Ergo non est principium intellectionis, volitionis, calefactionis, frigefactionis, &c.

Non etiam secundum, tum quia non apparet quomodo ad actiones omnes naturæ subsistentia sit conditio sine qua nulla operatio fieret; cùm neque sit applicatio agentis ad patiens, neque dispositio necessaria ad effectum, neque aliter explicari possit quomodo ratio conditionis necessariæ illi competat. Tum quia etsi gratis daretur subsistentiam esse conditionem ad agendum requisitam, hinc non benè nota fieret ratio subsistentiæ, cùm multæ sint aliæ conditiones prærequisitæ ad agendum, quæ non sunt subsistentiæ.

Dico 3. *Subsistentiæ effectum formalem, primarium & positiuum esse constituere naturam vltimò completam, vt sit omnino perfecta & terminata quoad suum esse substantiale. Et inde sequi alium effectum formalem negatiuum, nempè reddere naturam incommunicabilem alteri supposito.*

Hoc non poteſt aliter probari quàm ex adorando Incarnationis myſterio, cum ratio ſubſiſtentiæ aliter nobis non innotuerit, & Philoſophi antiqui non ſatis eam perſpectam habuerint, vel certè, vt nonnulli exiſtimant, eam prorſus ignorauerint. Cum enim oſtenſum ſit ſubſiſtentiam eſſe modum quemdam ſubſtantialem naturæ ſuperadditum, & ab illius exiſtentia diſtinctum, nullaque ſit ratio cur credamus alium quemdam modum ſupereſſe quo natura ſubſtantialis compleatur; hinc rectè colligimus ſubſiſtentiam eſſe vltimum complementum naturæ ſubſtantialis, quo eſt in ſe modo ſibi congruentiſſimo & perfectiſſimo.

Deinde cùm modus ille in Chriſti humanitate impeditus fuerit per illius vnionem ad verbum, inde non obſcurè colligitur, ſubſiſtentiam facere vt natura quam modificat & terminat, non poſſit vniri alteri ſuppoſito. Quia ſi humanitas affecta propria ſubſiſtentia poſſet communicari alteri ſuppoſito, ſanè verbum aſſumendo humanitatem non impediuiſſet ne propria & connaturalis ſubſiſtentia ex ea prodiret. Cùm ergo illius effluxum impedierit, vt fides docet, hinc euidenter colligitur proprium eſſe ſubſiſtentiæ, ſaltem in creatis, reddere naturam quam afficit alteri ſuppoſito incommunicabilem.

ARTICVLVS V.

Quomodo se habeat subsistentia ad existentiam, hypostasim, personalitatem, & suppositum.

QVæritur 1. an ſubſiſtentia diſtinguatur ab exiſtentia. Reſpondeo diſtingui ab illa modaliter, tum quia exiſtentia rei non diſtinguitur à natura illius, vt ſuprà viſum eſt; quare cùm ſubſiſtentia diſtinguatur modaliter à natura, vt iam probatum fuit, ſequitur vt eodem modo diſtinguatur etiam ab exiſtentia. Confirmatur; nam ſubſiſtentia eſt modus quidam exiſtendi, ergo diſtinguitur modaliter ab exiſtentia.

Tum quia humanitas Chriſti habebat propriam exiſtentiam, per quam erat ens actu in rerum natura, vt probatum eſt in Idea Theologiæ ſpeculat. lib. 2. cap. 11. reſolut. 2. & tamen carebat propria ſubſiſtentia, ergo ſubſiſtentia diſtinguitur modaliter ab exiſtentia. Confirmatur, quia verbum non potuit aſſumere niſi naturam exiſtentem, & propria ſubſiſtentia carentem.

Neque refert quod exiſtentia per ſe & ſubſiſtentia in vulgari ſermone pro eodem vſurpentur, non enim propterea confundi debent; nam exactè loquendo, exiſtere per ſe eſt exiſtere independenter à ſubiecto inhæſionis, quomodo competit omni ſubſtantiæ exiſtere per ſe; ſubſiſtere verò eſt exiſtere independenter ab alieno ſuppoſito, quomodo humanitas Chriſti non ſubſiſtit, etſi exiſtat per ſe.

Quæritur 2. Cùm ſubſiſtentia aliquo modo

distinguatur ab existentia, quinam ordo inter illas ponendus sit. Respondeo eum ordinem constituendum esse inter existentiam & subsistentiam, vt existentia priùs competat naturæ, quàm subsistentia sit vltima perfectio naturæ adueniens. Probatur ex dictis, tum quia cùm existentia non distinguatur à natura, subsistentia verò ab ea distinguatur realiter, minori saltem realitate, seu tanquam modus à re, hinc perspicuè sequitur subsistentiam supponere existentiam, & esse illa posteriorem: cum prius illud sit quòd identificatur cum natura, quàm id quod ab ea realiter distinguitur.

Tum quia per existentiam res est, & per subsistentiam redditur incommunicabilis alteri supposito; at priùs est quòd res sit, quàm quòd sit incommunicabilis alteri supposito, cùm non possit esse incommunicabilis nisi sit. Tum quia non potest aliquid subsistere quin existat, potest tamen aliquid existere, etsi non subsistat per propriam subsistentiam, vt constat in humanitate Christi: ergo subsistentia supponit existentiam tanquam priorem.

Obijcies 1. Existere & operari sunt suppositorum: dicimus enim hominem existere, loqui, ambulare, &c. Ergo natura priùs constituitur in ratione suppositi, quàm existentis, vel potentis operari. Respondeo non sequi, nam homo non existit, nisi præexistat natura & subsistentia ex quibus componitur; sicut non existit homo, nisi illius corpus & anima præexistant: Existentia tamen tribuitur supposito, quia natura & subsistentia sunt partes ex quibus suppositum tanquam totum, & quid perfectius coalescit; & quod partibus competit, toti ad cuius compositionem

destinantur, tribui solet. Et idem de operatione postea dicetur.

Obijcies 2. Dum concipio Petrum secundum sua essentialia duntaxat, in eo conceptu includitur Petri subsistentia, non autem illius existentia: Ergo subsistentia intimiùs est coniuncta essentiæ quàm existentia. Respondeo distinguendo antecedens, nam non concipis Petrum secundum sua essentialia, nisi concipias illum vt potentem existere in ratione hominis: quare sicut Petrus nequit actu habere rationem hominis nisi existat, ita neque potest concipi sub tali ratione vt possibili, nisi præconcipiatur vt possibiliter existens; cùm apertè repugnet id posse esse hominem, quod esse non potest.

Quæritur 3. Quodnam sit discrimen inter subsistentiam, hypostasim, personalitatem, & suppositum. Respondeo ista parum inter se differre, nam in primis etsi nomen hypostasis olim idem esset ac substantia, adeoque Patres antiqui non ponerent eo sensu in Deo nisi vnam hypostasim seu substantiam, postea tamen apud Græcos & Latinos vox illa sumpta est pro subsistentia & persona, ita vt in Deo tres hypostases, id est tres subsistentiæ, seu personæ constitutæ sint.

Deinde personalitas idem est reipsa ac subsistentia, connotando tamen naturam intellectualem quam modificat; ita vt cùm modus vltimus quo substantiæ non intellectuales perficiuntur in ratione suppositi & subsistentis, retineat nomen subsistentiæ; in rebus tamen intellectualibus modus subsistendi non modo dicatur subsistentia, sed etiam personalitas.

Rursus suppositum est nomen concretum, significans naturam cum subsistentia, seu

compoſitum ex vtraque, definiturque communiter *ſubſtantia ſingularis, completa, & incommunicabilis.* Quòd ſi illud ſuppoſitum ſit in natura rationali, dicitur perſona. Vnde dicimus ſuppoſitum non perſonam lapidis, plantæ, equi, bouis, &c. dicimus tamen ſuppoſitum & perſonam naturæ intellectualis, nempè hominis, Angeli, & Dei.

Hic autem inquiri poteſt, quo ſenſu dicatur vulgò actiones eſſe ſuppoſitorum. Reſpondeo 1. id non debere ſic intelligi vt actiones ab ipſo ſuppoſito, ſeu à ſubſiſtentia qua natura conſtituitur ſuppoſitum, effectiuè procedant: modus enim ſubſtantialis quo res exiſtit, non eſt vis intelligendi, volendi, loquendi, aliaſque operationes naturales eliciendi; at ſubſiſtentia eſt talis quidam modus, ergo illa non eſt vis agendi, adeoque non poteſt totum ex ea & natura compoſitum, habere vim agendi ratione illius.

Confirmatur, nam etſi ſubſiſtentia creata non eſſet in Chriſti humanitate, ea tamen omnes operationes humanas, quæ ab alijs hominibus eliciuntur, patrare poterat; at non poterat illas elicere niſi haberet intra ſe principium earum elicitiuum. Quare actiones non ita debent tribui ſuppoſitis, vt per ſe effectiuè ad illas concurrant.

Obijcies, ſi ſubſiſtentia non influit in actiones, ergo operationes humanitatis Chriſti non pendebant à verbo, adeoque non habebant dignitatem infinitam, vt Patres, & Theologi communiter docent. Reſpondeo cum diſtinctione, non pendebant à verbo Phyſicè, concedo; moraliter, nego. Verbum enim vnitum humanitati illius opera infinitè dignificabat, etſi ea non eliceret: ſicut gratia quæ eſt in ani-

ma, dignitatem aliquam confert operibus virtutum moralium, etsi ab ea effectiuè non proficiscantur.

Respondeo 2. Actiones dici suppositorum denominatiuè, quia cùm suppositum sit totum ex natura & subsistentia compositum, & actiones quæ eliciuntur ab aliqua parte tribuantur toti, hinc fit vt actiones dicantur esse suppositorum denominatiuè, non verò effectiuè seu elicitiuè. Confirmatur ex communi vsu loquendi, nam homo dicitur discurrere, videre &c. etsi non discurrat nisi per animam, nec videat nisi per oculos.

CAPVT II.

De Accidente secundum se.

ARTICVLVS PRIMVS.

In quo consistat ratio accidentis.

PRæmoneo 1. Accidens sumi posse Logicè, & Metaphysicè, & priori modo complecti quidquid est extraneum alicui, etiam si in se sit substantia; quomodo vestis accidentariò competit homini, etsi in se sit substantia: Posteriori verò dici tantùm de accidentibus, quatenus sunt entia quædam realia, à substantia condistincta; quo sensu hic agimus de accidente secundum se spectato.

Præmoneo 2. Non esse hic inquirendum, an detur aliquod accidens à substantia distinctum, cùm perspicuum sit aliquod eius-

modi accidens existere, vt patet ex rerum alterationibus, cum v. c. eadem aqua ex calida fit frigida; sensu enim experimur in ea vicissitudinem illam caloris & frigoris, etsi eadem aqua substantialiter remaneat. Quare dubitari non potest, quin calor & frigus sint accidentia realiter ab aqua distincta. Et confirmatur efficaciter ex speciebus Eucharisticis, quæ aliud nihil sunt quam accidentia realia à substantia panis & vini, quæ per consecrationem destructa est, separata, adeoque ab illa realiter distincta.

Quæritur ergo in primis in quo consistat formalis & quidditatiua ratio accidentis, seu quid sit accidens. Respondeo accidens communiter definiri *ens in alio*, seu *ens inhærens alteri.* Et quidem quod sit ens, probatur ex communi diuisione entis in substantiam, & accidens; ibi enim ens sumitur pro vero ente reali, adeoque membra illius diuidentia non nisi de vera entitate reali intelligi possunt.

Nec refert quòd accidens interdum dicatur non tam ens, quàm entis ens, non enim id dicitur quod verè & realiter non sit ens; cùm aqua v. c. realiter sit frigida, & per calefactionem amissa frigiditate realiter fiat calida, adeoque & calor & frigus sint entitates reales à conceptu nostro independentes, & à substantia realiter distinctæ. Id ergo tantùm indicat ens dici analogicè de substantia & accidente, & rationem entis competere accidenti dependenter à substantia: quemadmodum ipsa substantia est ens dependenter à Deo, & eatenus entis ens vocari potest, etsi à parte rei veram entis rationem participet.

Quòd verò accidens sit ens in alio, seu alteri inhærens probatur; quia cùm distinguatur à substantia, quæ est ens existens per se, seu independenter à subiecto inhæsionis, debet consequenter esse ens existens in alio, seu alteri inhærens; cùm quidquid non existit in se, debeat in alio existere, neque aliquid medium inter hæc duo obtingere possit.

Obijcies, ea non est ratio essentialis accidentis, quæ competit formæ substantiali materiali; at esse in alio tanquam in subiecto, competit formæ substantiali materiali: ergo ea non est propria & essentialis ratio accidentis. Respondeo essentialem rationem accidentis non esse præcisè quod sit in alio, cùm substantia partialis sit in alio vt in toto, & totalis vt in supposito; nec quòd sit in alio vt in subiecto, quia formæ prædictæ, & modi substantiales sunt quodammodo in subiecto, sed quòd sit in eo, vt in subiecto inhæsionis, quomodo nulli substantiæ competit esse in alio, sed tantùm accidenti.

Instabis, formam materialem dependere à subiecto in fieri & in conseruari, non minùs quàm accidens; adeoque illi inesse tanquam in subiecto inhæsionis. Respondeo non sequi, nam subiectum inhæsionis illud dicitur cum quo forma ei in existens non constituit vnũ per se; at forma substantialis, etsi dependeat in esse & conseruari à materia, constituit cum illa vnum per se; ac proinde non est in illa vt in subiecto inhæsionis, sed vt in subiecto quod vocant informationis.

Quòd si vrgeas, gratis dici per formam constitui vnum per se, cùm æquè ac accidens pendeat quoad esse & conseruari à subiecto: Respondeo id sine fundamento vrgeri, quia cùm

materia & forma substantialis sint eiusdem ordinis, maior ratio est cur ex iis fiat vnum per se, quàm ex subiecto & accidente. Quemadmodum ex genere & differentia fit vnum per se, non autem ex genere & passionibus accidentariò ei adiunctis; esto ipsa differentia eodem modo concipiatur aduenire generi, quo passiones accidentariæ illi aduenìunt.

Quæritur 2. quomodo inhærere alteri sit formalis ratio accidentis. Quod vt intelligas, aduerte duobus modis concipi posse accidentis essentiam consistere in inhærentia, seu vnione cum subiecto, primo aptitudinaliter ita vt posse inhærere subiecto, & habere inclinationem naturalem ad illi inexistendum, sit de essentia accidentis; secundò actualiter, ita vt non possit accidens existere nisi actu subiecto inhæreat. Dubitatur ergo quonam ex his modis inhærere subiecto sit de essentia accidentis.

Respondeo & Dico 1. *non esse de essentia accidentis quòd actu inhæreat subiecto.* Ita omnes Catholici contra Philosophos paganos, qui solo rationis lumine ducti, existimabant accidentis essentiam consistere in actuali illius inhærentia ad subiectum, ita vt nullo modo extra illud conseruari possit. Verùm hic error apertè refellitur ex fide Catholica, quæ docet accidentia panis & vini conseruari in Eucharistia post consecrationem, sine vllo subiecto substantiali; hinc enim euidenter colligitur actualem inhærentiam non esse de essentia accidentis, cum repugnet rem aliquam per vllam potentiam existere, sine eo quod ad illius essentiam pertinet.

Nec refert quòd qualitates panis & vini inhæreant quantitati, nam saltem fatendum est quantitatem iis suppositam in nullo esse subie-

cto, cùm illa priùs immediatè inhæreret substantiæ, quæ per consecrationem destructa est: quare non est de essentia quantitatis, quòd actu subiecto inhæreat. Imò idem concludendum est de omnibus aliis accidentibus realiter à quantitate distinctis: quia sicut quantitas ideo potest diuinitus separari à substantia, quia ab illa realiter distinguitur; ita qualitates, & alia accidentia si quæ sunt, quæ realiter à quantitate distinguantur, ab ea diuinitus separari possunt. Cùm nulla sit ratio discriminis ob quam id à Deo fieri non possit.

Loquor de accidentibus realiter distinctis, nam accidentia quæ sunt modi, qualia sunt actio, passio, figura & similia, cùm non sint entitates à subiecto distinctæ, vt res à re, non possunt per vllam potentiam existere sine illo. Vt enim patet ex dictis libro præcedenti, illud discrimen ex communi sententia, constituitur inter duas res, & inter modum & rem; quòd duæ res dicunt entitates realiter distinctas, & mutuò separabiles saltem per virtutem diuinam; quomodo quantitas ex dictis potest separari à substantia, & hæc à quantitate: at verò modus etsi plusquam per mentem, adeoque realiter distinguatur à subiecto quòd modificat, non tamen est entitas ab illo realiter separabilis ex parte ipsius modi, licèt sit separabilis ex parte subiecti; ita quidem vt subiectum possit existere sine modo, vt accidens sine inhærentia, non tamen modus sine subiecto, vt inhærentia sine accidente.

Dico 2. *inhærentiam aptitudinalem esse de essentia accidentis*. Probatur, nam cùm ex consensu omnium Philosophorum, diuisio entis in ens per se, & ens in alio, sit diuisio entis in substantiam & accidens; oportet quòd sicut ratio

vt alibi diximus, & patebit ex art. sequenti. 2. ea gratis admissa, inde non sequi quod infertur; quia etsi accidens separatum haberet modum positiuum per se existendi, id non impediret quin accidens eo affectum secundum se diceret aptitudinem ad inhærendum subiecto; sicut aqua dicit intrinsecè ordinem ad frigiditatem, etiam cùm actu calida est; & anima rationalis dicit ordinem ad corpus, etiam cùm extra illud existit.

Obijcies 3. non potest aliquid intelligi sine eo quod est de essentia illius; at potest accidens intelligi sine ordine ad subiectum, ergo ordo ad subiectum non est de essentia accidentis. Maior perspicua est, probatur minor, quia quantitas consideratur à Mathematico sine vllo ordine ad subiectum. Respondeo maiorem veram esse de eo quod intelligitur conceptu adæquato & explicito, non autem de illo quod concipitur inadæquatè & implicitè; quomodo quantitas concipitur à Mathematicis vt est quædam extensio, abstrahendo à quacunque materia. Quare id non obest quin à parte rei ordo ad subiectum sit essentialis quantitati, etsi id à Mathematicis non consideretur, quia nihil facit ad eorum institutum. Si enim definitio accidentis repetatur à Metaphysico, ille dicit ex Arist. accidens esse entis ens, vel ens in alio, vel aliquid simile includens necessario ordinem ad subiectum; & consequenter hanc definitionem quantitati, qualitati, alijsque omnibus accidentis speciebus adæquatè, & explicitè spectatis competere affirmabit.

ARTICVLVS II.

De accidente vt actu inhærente, & separato.

QVæritur 1. quid sit accidens actu inhærere subiecto, seu quid sit illa actualis inhærentia. Respondeo negari non posse quin actualis inhærentia addat aliquid reale supra entitatem accidentis, vt ex eo manifestum est, quod accidens à subiecto separatum habet totam suam entitatem, sine actuali inhærentia: quemadmodum subsistentiam addere aliquid reale supra naturam ex eo conuincitur, quod humanitas Christi retinet totam suam entitatem, quatenus natura est; etsi careat propria subsistentia. Et quoad hoc non est difficultas.

Dubitatur autem in quo genere constituenda sit actualis inhærentia. Qua in re certum est inhærentiam non distingui maiori realitate, seu tanquam rem à re ab accidente; quia si hoc esset, actualis inhærentia indigeret alia inhærentia actuali ad inexistendum subiecto, & hæc alia, sicque progressus fieret infinitus, quod repugnat. Quare dicendum est inhærentiam distingui tantum minori realitate, seu modaliter ab accidente, & nihil esse aliud quàm modum vnionis quo accidens inexistit subiecto; sicut subsistentia est modus quo natura vltimò completur in se & terminatur.

Sunt tamen inter illa obseruanda quædam discrimina, primum quòd subsistentia supponit naturam existentem, at inhærentia non supponit accidens existens; quia cùm accidens

sit entis ens, non priùs existit quàm alteri inhæreat: & quamuis esse in genere priùs sit quàm inesse, non tamen in specie, vt est tale esse seu accidentale; hoc enim intrinsecè est esse in alio.

Secundum, quòd subsistentia est vltimus naturæ terminus quo est in se, inhærentia verò non est terminus accidentis, sed est nexus quo realiter coniungitur substantiæ tanquam subiecto, & termino ad quem dicit ordinem & respectum transcendentalem.

Neque dicas vnionem supponere partes vniendas, adeoque inhærentiam supponere accidens, & subiectum cui vnitur, contrà iam dicta. Tunc enim vnio supponit partes vniendas, quando per illam non fiunt partes vniendæ; at per actualem inhærentiam fit accidens in subiecto, quare etsi illa supponere debeat subiectum, non tamen accidens.

Tertium, quòd subsistentia immediatè fluit à natura, inhærentia verò non fluit ab accidente; quia cùm accidens non sit nisi inhæreat, inhærentia videtur quodammodo prior accidente, adeoque non potest ab illo emanare. Eò vel maximè quia cum esse accidentis sit inesse seu inhærere, si inhærentia flueret ab accidente, sequeretur accidens sibi esse causam existendi, quod dici non potest. At neque dicendum est inhærentiam effectiuè pendere à subiecto accidentis receptiuo; quia recipere formam aliquam est eam pati, seu exercere causalitatem passiuam erga illam: quare dicendum est modum inhærendi esse effectiuè à causa efficiente, à qua accidens producitur in subiecto, & materialiter à subiecto in quo producitur.

Quartum, quòd subsistentia recipitur in na-

tura subsistente, inhærentia verò non recipitur in accidente inhærente, sed in subiecto cui inhæret: quia si accidens modum illum in se reciperet, accidens priùs esset quàm inesset, & per inhærentiam esset in se, non in alio; quod repugnat. Quare cùm per inhærentiam accidens formaliter constituatur in subiecto, necesse est vt inhærentia in ipso accidentis subiecto, simul cum accidente recipiatur.

Confirmatur, quia cùm per inhærentiam accidens accipiat esse in subiecto, & ab illo tanquam à causa materiali dependeat; oportet vt modus ille veluti mediet inter subiectum & accidens, tanquam causalitas illius materialis, adeoque sit natura prior accidente: quò fit vt in illo recipi nequeat, sed in subiecto è quo educitur.

Quæritur 2. quomodo accidens existat separatum à subiecto, vt in Eucharistia. Nonnulli existimant accidenti separato tribui modum quemdam existendi positiuum; alij verò sentiunt accidens posse conseruari extra subiectum sine tali modo, quod nobis videtur probabilius, tum ob rationes in Idea Theologiæ sacram. lib. 2. cap. 6. allatas, tum quia accidens separatum non indiget modo positiuo per se essendi, nisi vt constituatur existens independenter à subiecto; at illo non indiget ob eum finem, cùm per specialem Dei influxum possit conseruari independenter à subiecto. Tum quia accidens separatum existit independenter à quocunque modo, ergo à nullo potest accipere independentiam à subiecto. Antecedens probatur, quia accidens priùs existit, quàm modum aliquem nouum accipiat: sequela patet, quia accipere independentiam à subiecto nihil est aliud, quàm accipere exi-

stentiam sine vllo ordine ad subiectum.

Obijcies, accidens sine modo superaddito existens, esset tantum negatiuè à subiecto independens; quare vt positiuè à subiecto esset independens, deberet illi superaddi modus quidam positiuus. Verùm hoc refellitur, nam modus positiuus, cùm non sit formalis negatio dependentiæ, non aliter facit vt accidens sit independens à subiecto, quàm quia ex eo sequitur talis independentia: at similiter influxus quo accidens conseruatur diuinitus extra subiectum, est entitas quædam positiua ex qua sequitur independentia accidentis à subiecto. Ergo præter hunc influxum alius modus est superfluus.

Obijcies 2. Sicut datur modus positiuus essendi in alio, ita dari potest modus positiuus illi oppositus, qui competat accidenti. Ergo cùm magis congruat statui accidentis separati, illi denegandus non est. Respondeo dari quidem modum oppositum modo essendi in alio, nempe modum positiuum existendi in se, non quidem qui competat accidenti, sed substantiæ. Neque verum est modum illum magis congruere accidenti separato, cùm dicatur oppositus modo illius existendi connaturali. Quare sicut melius est aquæ, etiam carenti connaturali frigiditate, non esse calidam, quàm calore perfusam esse; ita congruentius est accidenti, etiam priuato actuali inhærentia, non existere per modum existendi positiuum, quàm sic existere.

ARTICVLVS III.

De diuisione accidentis.

QVæritur 1. Vtrum accidens in communi immediatè diuidatur in quantitatem, qualitatem, aliaque accidentia categorica.

Respondeo 1. Diuisionem illam non esse ita immediatam, quin potuerint aliæ tradi magis immediatæ in membra pauciora, quæ vlteriùs in nouem accidentia prædicamentalia subdiuiderentur. Hoc patet, quia potest accidens diuidi in corporeum & spirituale, certum enim est dari quædam accidentia corporea, vt colores, sapores, &c. alia spiritualia, vt operationes, & habitus animæ: eaque diuisio est adæquata, cùm nullum sit accidens quod non sit corporeum, aut spirituale.

Potest etiam accidens diuidi in illud quod est propriè forma realis inhærens substantiæ, & illud quod est tantùm quidam modus illius: non enim dubium est quin hoc genus accidentis detur; quantitas enim & qualitas sunt formæ reales substantiæ inhærentes, & ab ea realiter distinctæ, actio verò & passio sunt quidam modi eam afficientes. Et rursus, quod hæc diuisio sit adæquata inde constat, quia nullum assignari potest accidens quod non se habeat altero ex his modis respectu subiecti, nempe vel vt forma realis ei inhærens, vel vt modus quidam illud afficiens. Mitto alias plerasque diuisiones immediatas quæ à nonnullis afferuntur.

Respondeo 2. diuisionem vulgarem in no-

uem accidentium categorias esse prædictis commodiorem, & doctrinæ gratia retinendam. Probatur 1. quia priores diuisiones non sunt propriæ accidentis, sed enti in genere competunt, & etiam substantiæ. Siquidem omne ens vel est corporeum, vel spirituale; vel entitas, seu res, vel modus; & idem de omni substantia affirmari potest: at vulgaris diuisio accidentis in nouem categorias soli accidenti competit.

Probatur 2. Quia illa est magis probanda diuisio accidentis, quæ vtilior est ad ordinanda & distinguenda summa genera accidentium; at diuisiones priùs allatæ ad hoc non conducunt, cùm v. c. sub eodem genere qualitatis includantur accidentia corporea & spiritualia, res & modi. Diuisio verò vulgaris fit per genera accidentium primò diuersa; quare simpliciter reliquis est præferenda, cùm longè vtilior sit ad assequendam cognitionem omnium accidentium.

Nota tamen diuisionem vulgarem accidentis in nouem prædicamenta, non esse diuisionem accidentis, strictè sumpti, quod scilicet cum substantia adæquatè diuidit ens. Cùm enim ens diuiditur in substantiam & accidens, ens sumitur pro vera entitate reali, quæ proinde non potest diuidi nisi in membra realia, seu in substantiam realem, & accidens reale: at accidens reale non diuiditur in nouem prædicamenta accidentis, cùm inter accidentia categorica nonnulla reperiantur quæ propriè non sunt entia realia, sed tantùm quædam denominationes extrinsecæ, vt esse vestitum, esse in tempore.

Quæritur 2. Vtrum diuisio accidentis in nouem genera prædicamentalia sit vniuoca.

Respondeo & Dico 1. *Accidens in tota illa amplitudine non esse vniuocum.* Ratio est, quia accidens propriè sumptum dicit aptitudinem ad inhærendum subiecto: at quamuis aliqua accidentia prædicamentalia inhæreant subiecto, puta quantitas, & qualitas, non tamen omnia; cùm nonnulla consistant in quadam denominatione extrinseca, vt dictum est. Quare ratio accidentis non potest illis omnibus vniuocè conuenire, sed ad summum analogicè, propter quandam similitudinem quam habent denominationes extrinsecæ cum veris accidentibus; eò quòd videntur subiecto inhærere, etsi non inhæreant.

Verùm hic difficultas occurrit, an accidens dicatur vniuocè saltem respectu accidentium prædicamentalium, quæ sunt res & formæ à subiecto realiter distinctæ, v. c. respectu quantitatis, & qualitatis quæ etiam inter se realiter distinguuntur, vt ex sententia probabiliori hic supponimus.

Dico 2. *Accidens dici posse vniuocum respectu quantitatis, & qualitatis.* Ratio est, quia ex vna parte quantitas & qualitas sunt entitates reales à substantia, & inter se realiter distinctæ; & ex alia possumus ab illis abstrahere communem rationem accidentis realis & physici, quæ illis ex æquo conueniat.

Nec refert 1. Quòd qualitas inhæreat quantitati, eamque supponat: talis enim suppositio se habet veluti per accidens & materialiter, cùm non competat quantitati vniuersim respectu omnium qualitatum; siquidem dantur innumeræ qualitates spirituales à quantitate omnino independentes: & præterea quantitas præcedit in ratione potentiæ passiuæ, qualitas verò ei aduenit in ratione actus; quo fit

vt ratio accidentis non possit dici nobiliori modo de quantitate, quàm de qualitate.

Nec refert 2. Quòd qualitas sit nobilior quantitate, ob rationem iam tactam; non enim id sufficit vt accidens dicatur de illis analogicè; quia responderi potest maiorem illam perfectionem non competere qualitati, quatenus accidens est, sed quatenus tale accidens, seu ratione propriæ differentiæ, quod vniuocationem non impedit.

ARTICVLVS IV.

De productione accidentium.

Dimissa ad Physicam productione formarum substantialium, inquirendum est hoc loco qua ratione formæ accidentales producantur, an per veram creationem, an verò per eductionem è subiecto.

Respondeo formas omnes accidentales educi è subiecto in quo recipiuntur. Ratio est, quia illud educitur è subiecto aliquo quod fit dependenter ab illo; at formæ omnes accidentales fiunt dependenter à subiecto in quo recipiuntur, ergo educuntur ex illo. Maior probatur ex discrimine quod reperitur inter creationem & eductionem: creatio enim fit independenter à subiecto, eductio verò dependenter ab illo, ac si quodammodo res ab illo extrahatur, cùm creatio fiat ex nihilo. Minor ostenditur, quia omnes formæ accidentales inhærent subiecto, nec extra illud naturaliter conseruari possunt; quod manifesto indicio est eas fieri dependenter à subiecto, ac proinde ex illo educi.

Atque hæc assertio procedit non modo de productione caloris, frigoris, aliarumque qualitatum siue primarum, siue secundarum quæ physicæ & reales appellantur, sed etiam de productione specierum intentionalium; quia licèt non habeant contrarium, & ab obiecto conseruari debeant, id non impedit quin fiant dependenter à subiecto in quo recipiuntur, v. c. Ab aëre, vel ab oculo, quod ad veram eductionem sufficit.

Procedit etiam de formis artefactorum, vt de forma cathedræ, vel statuæ; illæ enim non fiunt ex nihilo, sed ex præsupposito subiecto, ad earum productionem passiuè concurrente. Nec refert quòd subiectum non concurrat ad illas formas per potentiam naturalem, sed per obedientialem; nam quouis modo hæc potentia vocetur, certum est formas artificiales ab illius concursu passiuo pendere quoad fieri & conseruari; quod sufficit ad veram eductionem.

Procedit quoque de qualitatibus spiritualibus tam naturalibus, cuiusmodi sunt habitus scientiarum & virtutum acquisitarum, quàm supernaturalibus, quales sunt gratia sanctificans, & virtutes infusæ. Illæ enim omnes cùm vera sint accidentia, fiunt dependenter ab anima, & extra illam naturaliter conseruari nequeunt. Quare verè ex illius potentia passiua educuntur, aut naturali, si sint qualitates naturales, aut obedientiali, si sint supernaturales; esto hæ communiter dicantur infundi, vocenturque qualitates infusæ, vt distinguantur à qualitatibus ordinis naturalis.

CAPVT III.

De qualitate.

ARTICVLVS PRIMVS.

De essentia qualitatis.

QValitas ab Aristotele describitur, vt patet ex Logica, *Id à quo denominamur quales*, quæ descriptio vt melius intelligatur,

Obseruandum 1. Nomen qualitatis valde impropriè tribui accidentibus aliorum prædicamentorum, cùm si quæras, qualis sit homo, non bene respondeatur eum esse quantitate præditum, aut aliò referri, aut agere, aut pati, aut stare, vel sedere, aut esse in loco, aut in tempore, aut esse vestitum; sed esse album, aut nigrum, calidum aut frigidum, &c. Quò fit vt propriè non denominemur quales ab vllo accidente præterquam à qualitate, quæ ideo rectè describitur accidens à quo denominamur quales. Verùm quia hæc descriptio non satis explicat naturam qualitatis,

Obseruandum 2. Varias à variis excogitatas fuisse qualitatis definitiones, quibus illius essentia distinctiùs exprimeretur. Quidam illam sic definiunt, *Qualitas est accidens absolutum per se primo institutum ad intrinsecè ornandam & perficiendam substantiam, tum in existendo, tum in agendo.* Verum hæc definitio reijcitur, cùm æquè bene aut meliùs competat quantitati, quàm colori aut figuræ.

Alij sic, *Qualitas est accidens absolutum à quantitate distinctum.* Sed contra, nam similiter dici posset, quantitas est accidens absolutum à qualitate distinctum. Et præterea, ex communi sententia, nonnulla ex vltimis prædicamentis sunt accidentia absoluta à quantitate distincta.

Alij sic, *Qualitas est accidens entitatiuum absolutum, subiectum ad modum substantialis formæ determinans.* At neque satis intelligitur qua ratione hæc definitio omnibus qualitatibus conueniat, aut non æquè multis alijs accidentibus aptari possit.

Alij sic, *Qualitas est accidens proueniens à forma in esse quieto*, vbi per formam intelligitur pars altera compositi physici. Sed quomodo potest hæc definitio competere formæ & figuræ, quæ sequuntur quantitatem, adeoque & ipsam materiam, non formam; Itemque qualitatibus naturalibus Angelorum & animæ rationalis, vel ijs quæ ipsis diuinitus infunduntur?

Alij alias definitiones qualitatis excogitarunt, sed quia prædictis non videntur accuratiores, ijs supersedemus. Vnde colligitur essentiam qualitatis secundum se adeo esse reconditam, vt nondum satis perspicuè ab vllo philosopho tradita fuerit.

ARTICVLVS II.

De prima specie qualitatis, quæ est habitus & dispositio.

CVm Aristoteles doceat vt vidimus in Logica, illud esse discrimen inter habitum &

& dispositionem, quòd habitus est difficile mobilis à subiecto, dispositio verò ab eo facilè amoueri potest; dubitari solet an hoc discrimen sit essentiale, ita vt habitus & dispositio præcisè vt talia sunt, duas species qualitatis essentialiter distinctas constituant. Vt autem status huius quæstionis intelligatur,

Obseruandum est duobus modis concipi posse qualitatem aliquam esse difficilè aut facilè mobilem à subiecto, primò ex natura sua, secundò ex conditione subiecti in quo reperitur: priori modo scientia est difficilè mobilis, eò quòd generatur per demonstrationem qua conuincitur intellectus; opinio verò est facilè mobilis, quia generatur per rationem probabilem, quæ facilè alia probabiliori tolli potest. Posteriori modo scientia ex morbo, aliaue causa accidentaria interdum facilè amittitur; contrà verò opinio in animo proterui firmas radices ponit, vt constat experientia. Quo posito

Respondeo & Dico 1. *Habitum ex natura sua difficilè mobilem à subiecto specie distingui à dispositione, quæ ex natura sua à subiecto facilè amoueri potest.* Probatur manifestè, nam ea specie distinguuntur quæ ex natura sua postulant conditiones essentialiter distinctas: at habitus & dispositio quæ se habent modo iam dicto, postulant ex natura sua conditiones essentialiter distinctas, nempe esse difficilè, & facilè mobilem à subiecto; ergo specie distinguuntur. Confirmatur, nam esse qualitatem difficilè & facilè mobilem à subiecto non minùs sunt opposita, quàm esse animal rationale & irrationale: quare sicut hæc differentiam essentialem & specificam inferunt, ita & illa.

Obijcies 1. Ex Arist. cap. 8. libri Categor.

habitum & affectionem eſſe vnam ſpeciem qualitatis. Reſpondeo habitum & affectionem poſſe dici vnā ſpeciem qualitatis ſcilicet ſubalternam, quia in ea conueniunt; eo modo quo Porphyrius ait cap. 2. ſuæ Introduc. plures homines ſpeciei participatione eſſe vnum hominem.

Obiicies 2. Ex eodem Ariſt. ibid. affectionem quæ longinquitate temporis quaſi naturalis euaſit, aut difficilè amoueri poteſt, vt pote iam habitum effectam, meritò habitum appellari. Reſpondeo affectionem diuturnitate temporis radicatam & firmatam fieri habitum non eſſentia, ſed ſtatu; quia tunc ſe habet ad modum veri habitus: ſicut vice verſa habitus quando facilè ob conditionem ſubiecti amoueri poteſt, habet ſtatum ſeu modum affectionis; quamuis tamen eſſentialiter ſit habitus, vt non obſcurè indicat Ariſtoteles cùm loco citato expreſsè numerat inter habitus diuturniores & permanentiores, ſcilicet ex natura ſua, ſcientiam licèt mediocrem.

Dico 2. *Habitum ex ſola conditione ſubiecti difficilè mobilem, non differre ſpecie à diſpoſitione quæ ex natura ſua à ſubiecto facilè auelli poteſt.* Ratio eſt quia diſpoſitio ex ſe facilè mobilis poteſt diuturnitate temporis, vel per actuum multiplicationem adeo radicari in ſubiecto, vt ab eo ægrè amoueri poſſit; iſta autem maior radicatio eſt extra eſſentiam qualitatis, ac proinde non poteſt conſtituere diſcrimen eſſentiale inter diſpoſitionem & habitum ex ea procreatum, ſed tantùm accidentale.

Ex quo intelligitur calorem febrilem, qui initio languidus eſt, & facilè amoueri poteſt, ſi ſucceſſu temporis adeo inualeſcat, vt difficilè expelli poſſit, non mutari in aliam ſpe-

ciem, ſed accidentariò tantùm perfici intra eandem ſpeciem; cùm non habeat ſtatum illum permanentem ex natura ſua, ſed ex variis circumſtantiis quibus ſubiectum afficitur.

ARTICVLVS III.

De ſecunda ſpecie qualitatis, quæ eſt naturalis potentia, & impotentia.

CIrca hanc ſpeciem qualitatis duo inquiri ſolent: 1. qua ratione diſtinguatur ab habitu & diſpoſitione. 2. An potentia ſpecie diſtinguatur ab impotentia ſibi oppoſita, quatenus hæc ſignificat vim poſitiuam qua aliquid difficile agit aut reſiſtit, non autem meram negationem aut priuationem potentiæ.

Reſpondeo & Dico 1. *Potentiam naturalem & impotentiam ſpecie diſtingui ab habitu & diſpoſitione.* Probatur, quia potentia naturalis eſt data ad operandum ſimpliciter, ita vt ſine illa operatio fieri nullo modo poſſit; habitus verò naturalis ordinatur ad facilè operandum, ita vt ſine illo fieri poſſit operatio, etſi non ita perfectè ac cum illo. Deinde potentia naturalis eſt data à natura, habitus verò naturales propriis actibus comparantur; quæ diſcrimina diſtinctionem ſpecificam inter potentiam & habitum euidenter oſtendunt.

Quo loco aduerte hæc intelligi de habitibus naturalibus, nam quod ſpectat ad ſupernaturales & per ſe infuſos, Ariſtoteli ignotos, quos Catholici omnes admittunt, ij dant ſimpliciter potentiam agendi ſupernaturaliter, ita vt nullo modo ſine illis operatio ſupernaturalis fieri poſſit, niſi eorum defectus per auxilia actualia

supplentur. Illi etiam nequeunt propriis actibus physicè produci, sed à Deo solo immediatè producuntur, nobisque infunduntur.

Dico 2. *Impotentiam sumptam pro forma positiuâ potentiæ opposita, qua aliquid ægrè operari, aut resistere potest, specie à potentia distingui.* Ratio est, quia quemadmodum habitus ex natura sua difficilè mobilis à subiecto, specie distinguitur à dispositione facilè mobili, vt supra ostensum est; ita potentia facilè agendi, aut resistendi specie distinguitur ab impotentia opposita, qua quid difficilè operari aut resistere potest. Isti enim actus oppositi & specie diuersi euidenter indicant potentias oppositas & specie distinctas; qua ratione durities ferri per quam diuisioni fortiter resistit, specie distinguitur à mollitudine ceræ, qua debiliter diuisioni resistit.

Obiicies 1. Facilè aut difficilè operari ad eandem specie potentiam spectat, vt patet in potentia videndi quæ in iuuene facilè, & in sene difficilè operatur, etsi nemo dubitet quin sit eiusdem speciei. Ergo cùm potentia & impotentia non aliter distinguantur quàm penes facultatem facilè aut difficilè operandi, vel resistendi, hinc sequitur inter eas non esse distinctionem essentialem seu specificam. Respondeo antecedens verum esse quando impotentia sumitur pro potentia debili & remissa, vt in exemplo allato; falsum autem, quando sumitur pro forma positiua potentiæ opposita, qua res ex natura sua difficilè operari vel resistere potest, vt hic sumitur: sic enim facilè aut difficilè operari arguunt distinctionem specificam, vt probatum est. Et sanè per se ridiculum est existimare, non maius esse discrimen in ra-

tione potentiæ & impotentiæ resistendi, inter duritiem ferri, & mollitiem ceræ, quàm inter visum senis, & visum iuuenis in ratione videndi. Quare etsi hæc non distinguantur nisi accidentariò, hinc minimè sequitur illa non distingui inter se specie.

Obijcies 2. Potentiæ non distinguuntur specie nisi per actus & obiecta, sed potentià & impotentia vt hic de ijs agimus, ordinantur ad eundem actum, ergo sunt eiusdem speciei. Confirmatur, quia non differunt nisi vt sunt principium perfectum & imperfectum, quod non nisi differentiam accidentalem arguit. Respondeo minorem falsam esse, nam ex natura sua fortiter agere aut resistere, & ex natura sua debiliter agere aut resistere, sunt actus diuersæ speciei, adeoque principia essentialiter distincta arguunt. Vndę ad confirmationem dicimus principium perfectum & imperfectum non nisi differentiam accidentalem arguere, quando eadem potentia quæ ex se est principium perfectè agendi, ita debilitatur vel impeditur vt non nisi imperfectè agere possit: Inferre verò discrimen essentiale, quando impotentia dicit formam aliquam positiuam potentiæ oppositam, qua res ex se non nisi cum difficultate operari aut resistere potest.

ARTICVLVS IV.

De potentia obedientiali.

PRæmoneo 1. Duplicem assignari posse potentiam, aliam actiuam, aliam passiuam:

actiua ea dicitur quæ tendit ad aliquid efficiendum, qualis est potentia calefactiua in igne ad calorem producendum; passiua verò quæ ad aliquid recipiendum ordinatur, quomodo in pariete est potentia passiua ad recipiendam albedinem.

Præmoneo 2. Potentiam actiuam duplicem esse, aliam naturalem, aliam supernaturalem seu obedientialem. Naturalis dicitur quæ agit consentaneè ad suam naturam, & effectum sibi proportionatum producit; vt est prædicta vis calefactiua in igne ad calorem producendum. Supernaturalis verò ea est quæ respicit effectum vires illius natiuas excedentem, quemque cum concursu Dei, ex communi lege sibi debito, producere non potest. Vnde iam vulgò dicitur potentia obedientialis actiua, quia elicit actum aliquem superioris ordinis, non ex propria & connaturali virtute, sed quatenus perfectè subdita est imperio Dei, eique obedit ad nutum, vt per eam faciat quidquid libuerit. Qua ratione intellectus & voluntas hominis censentur agere per potentiam obedientialem, quatenus actus virtutum per se infusarum & supernaturalium eliciunt.

Præmoneo 3. potentiam etiam passiuam duplicem esse, aliam naturalem, aliam supernaturalem seu obedientalem. Naturalis est qua forma aliqua connaturalis recipitur, vt cùm paries recipit in se albedinem; supernaturalis verò seu obedientialis ea dicitur, qua res in se recipit formam aliquam ordinis supernaturalis; vt cùm anima rationalis, quæ est ordinis naturalis, recipit in se gratiam iustificantem, quæ est ordinis supernaturalis. Est autem difficultas, qua ratione po-

tentia actiua obedientialis in rebus admittenda sit, an tantùm ad certos effectus limitata, an verò generatim ad quoscunque effectus: ita vt Deus possit per quamcumque entitatem quemlibet effectum producere. Dubitari etiam potest quidnam sit illa potentia, & vtrum ad prædicamentum qualitatis pertineat.

Respondeo & Dico 1. *Probabilius videri non esse ponendam in rebus potentiam obedientialem actiuam in tota illa latitudine, sed tantùm cum quadam restrictione & limitatione.* Probatur 1. Quia cùm omnis causa efficiens siue principalis, siue instrumentalis debeat effectum quem producit attingere, seu verè & physicè ad illius productionem concurrere, in ea debet necessario reperiri virtus aliqua saltem inchoata, & remota ad talem effectum: quia aliàs eum verè non causaret, illiusque productio in solum diuinum influxum referenda esset. At non potest solidè dici in qualibet re etiam minima & imperfectissima, esse virtutem inchoatam & remotam ad productionem cuiuslibet effectus; quænam enim est eiusmodi potentia v. c. in palea ad producendum Angelum, vel lumen gloriæ?

Confirmatur, nam quæ eleuari solent ad effectus aliquos supernaturales producendos, habent vim aliquam inchoatam ad illos: vt patet in intellectu & voluntate quæ cùm sint potentiæ vitales, eleuantur diuinitus ad eliciendos actus visionis, & amoris diuini, qui non nisi à potẽtiis vitalibus profluere possunt; quia sunt actus intrinsecè vitales. Ergo cùm similis potentia in rebus omnibus non obseruetur, in ordine ad omnes effectus, frustrà sanè & sine fundamento in ijs admittitur.

Probatur 2. Quia si in rebus omnibus est potentia obedientialis inchoata & innata, vt volunt Aduersarii, ad omnes effectus producendos; inde sequitur in igne esse potentiam innatam ad producẽdam aquam, in aqua ad producendum ignem, in calore ad frigus producendum, in frigore ad producendum calorem, & ita de aliis; at hoc absurdum videtur, tum quia sic in re qualibet esset virtus actiua inchoata & innata tendens per se ad sui destructionem; quod probabiliter affirmari nequit, cùm res quælibet per se tendat naturaliter ad sui conseruationem. Tum quia virtus illa innata esset naturalis, cùm tendat ad effectum naturalem & commensuratum, adeoque immeritò diceretur supernaturalis, aut obedientialis.

Confirmatur, nam ideo ponitur in intellectu & voluntate potentia obedientialis actiua respectu actuum virtutum infusarum, quia actus illi sunt intrinsecè ordinis supernaturalis. Ergo cum ignis, aqua, calor, frigus, & similia sint entia merè naturalia, si ex per quandam potentiam innatam, qualis est ex communi sententia, obedientialis, se mutuò producere possunt, dicendum est illam potentiam esse simpliciter naturalem.

Probatur 3. Quia ratio præcipua cur potentia obedientialis actiua in tanta latitudine inuecta est, sumitur ex Sacramentis nouæ legis, quæ cùm ex se sint res quædam materiales & infimi ordinis, non aliter videntur producere gratiam sanctificantem quàm per illam potentiam obedientialem: Verùm hæc ratio, etsi magnam vim habeat contra illos qui ponunt in Sacramentis causalitatem Physicam ref-

pectu gratiæ, in nostra tamen sententia nullius est momenti; cum existimemus sacramenta non producere gratiam Physicè, sed tantum moraliter, vt breuiter ostendimus in Idea Theologiæ Sacrament lib. 1. cap. 6. resolut. 2. & fusè in alio tractatu de Sacramentis 1. p. disput. 8. sect. 4. & 5.

Obijcies 1. S. Thomam ponere in rebus creatis potentiam obedientialem actiuam. Respondeo admittere quidem, non generalem & illimitatam ad omnes effectus quantumuis extraordinarios & supernaturales, sed determinatam ad nonnullos effectus qui vires naturales & communem concursum excedunt. Id patet manifestè ex prima parte quæst. 45. articulo 5. Vbi S. Thomas docet nullam creaturam assumi posse tanquam instrumentum ad creationem. Si enim existimaret Deum per quamlibet creaturam posse quemlibet effectum producere, consequenter fateretur creaturam posse à Deo assumi tanquam instrumentum ad creationem, quod tamen negat.

Obijcies 2. Accidens eleuatur ad productionem substantiæ, ad quam nullam habet proportionem; ergo similiter omnia possunt eleuari ad omnes effectus. Respondeo 1. hoc posse retorqueri, quia cùm accidens naturaliter concurrat ad productionem substantiæ, sequeretur omnia ab omnibus naturaliter fieri posse.

Respondeo 2. Negando sequelam, & ratio discriminis est, quia cùm accidens sit naturale instrumentum substantiæ, non mirum est quod virtute illius similem substantiam producere possit: at nihil tale reperitur in rebus omnibus ad producendos

quoſcunque effectus ſupernaturales, vt perſpicuum eſt.

Obijcies 3. In rebus omnibus eſt potentia paſſiua obedientialis ad omnes effectus, ergo & actiua. Reſpondeo 1. Antecedens negari poſſe, quia ſatis incredibile videtur quòd Angelus poſſit in ſe recipere albedinem, cùm certum ſit eum dealbari non poſſe; aut quòd gratia ſanctificans poſſit inhærere lapidi, cùm nequeat illum Deo formaliter gratum efficere. Quo enim fundamento dices formam aliquam recipi poſſe in ſubiecto, cui effectum ſuum formalem primarium communicare nequit? Reſpondeo 2. Etiam dato gratis antecedente, conſequentiam negari poſſe; quia ad agendum poteſt maior quædam proportio requiri quàm ad recipiendum; cùm nobilius ſit per ſe loquendo, agere quàm recipere.

Dico 2. *Potentiam obedientialem actiuam non ſpectare ad Categoriam qualitatis.* Ratio eſt, quia ex communi ſententia, eiuſmodi potentia non diſtingutur re ipſa ab entitate rei quæ eleuatur per concurſum Dei extraordinarium, ad effectum aliquem ordinis ſupernaturalis producendum: at non tantùm qualitas, ſed etiam res quædam aliæ poſſunt eleuari ad aliquid producendum ordinis ſupernaturalis. Ergo potentia obedientialis actiua non ſpectat, ſaltem ſecundum totam ſuam latitudinem, ad prædicamentum qualitatis. Confirmatur, nam ita aliquo modo ſe habet potentia obedientialis actiua ad prædicamentum qualitatis, quo ſe habet relatio tranſcendentalis ad prædicamentum relationis; at relatio tranſcendentalis non ponitur in prædicamento relationis, ſed per alia prædi-

camenta vagatur : ergo similiter.

Vnde refelluntur qui dicunt, potentiam obedientialem actiuam dicere qualitatem aliquam supernaturalem rei superadditam : hoc enim non potest intelligi vt putant, de qualitate Physica, cùm hæc sit vnius prædicamenti, sed de Logica, quatenus omnis virtus agendi qualitas interdum nominatur. Eò vel maximè quia si ad eliciendum aliquem actum supernaturalem, aut ad recipiendam aliquam formam supernaturalem, necessaria esset qualitas aliqua ordinis supernaturalis; eodem modo requireretur prior aliqua qualitas supernaturalis ad illam recipiendam, & ita daretur progressus infinitus à nemine admissus.

Refelluntur etiam qui constituunt potentiam obedientialem actiuam, in mera non repugnantia efficiendi aliquid supernaturale. Cùm enim non repugnantia sit negatio, & negatio nullam vim agendi habeat, impossibile est quòd potentia obedientialis actiua consistat in non repugnantia; sed entitatem aliquam positiuam necessariò inuoluere debet, eamque indistinctam à re quæ dicitur eleuari ad producendum effectum aliquem supernaturalem.

ARTICVLVS V.

De tertia specie qualitatis, quæ est patibilis qualitas, & passio.

QVæritur 1. an passio sit vera qualitas, & ratio dubitandi est, tum quia Aristoteles categor. cap. 8. negat esse qualitatem; tum quia illud non est vera qualitas, à quo res non denominantur quales; atqui ex Arist. ibid. à passione non denominamur quales, ergo passio non est vera qualitas.

Verùm quòd passio sit vera qualitas, satis ostendit Aristoteles eodem cap. his verbis, Tertium genus qualitatis sunt patibiles qualitates & passiones, vt dulcedo, amaror, acerbitas, & quæcunque sunt in eodem genere. Item calor, frigus, albor, nigror; has igitur esse qualitates perspicuum est. Ita ille. Vt autem intelligas quo sensu Aristoteles negauit passionem esse qualitatem,

Nota qualitatem duplicem hic communiter assignari, alteram quæ est qualitas secundum rem, & simul secundum modum; alteram quæ est qualitas secundum rem duntaxat, non autem secundum modum: & quidem qualitatem prioris generis esse illam quæ & in se est qualitas, & à qua res denominantur quales; posterioris verò illam à qua, etsi in se verè sit qualitas, res non denominantur quales absolutè & simpliciter.

Atque hac distinctione soluitur obiectio ex Aristot. proposita: quando enim negat subiectum denominari quale à passione, eamue esse qualitatem, non est sensus eam non esse qua-

litatem secundum rem, vel subiectum ab ea nullo modo quale denominari; satis enim constat ruborem ex erubescentia ortum esse reipsa qualitatem, & eo affectum dici quodammodo rubeum. Est ergo sensus eam non esse qualitatem secundum modum, quia ab illa subiectum non denominatur absolutè & simpliciter quale.

Quæritur 2. Quo sensu Aristoteles dicat, colores non dici qualitates patibiles, quòd in sensibus passionem efficiant, sed quia à passionibus producti sunt; cùm color afficere videatur visum, eodem modo quo mel afficit gustum, & calor tactum. Respondeo qualitates duobus modis posse agere in sensum, primò realiter in eo producendo qualitates similes, vt cùm manus realiter calefit, aut refrigeratur; secundò intentionaliter per emissionem specierum intentionalium, qua ratione colores agunt in visum: & ob hoc discrimen Aristotelem dixisse colores non efficere passionem in sensibus, scilicet ad modum aliarum qualitatum; quia cùm species intentionalis sit qualitas subtilissima, per eam secundum se spectatam oculus leuissimè planéque insensibiliter afficitur.

Quæritur 3. An patibilis qualitas & passio distinguantur inter se specie: Responsio communis est non distingui, quia per accidens est v. c. ad ruborem ex se, quòd citò transeat, aut diu perseueret in subiecto: neutrum enim ex natura sua exigit, sed tantùm ex accidentaria quadam subiecti cui inhæret conditione; per se verò tantùm postulat vel vt passionem causet, vel vt ex ea causetur.

ARTICVLVS VI.

De quarta specie qualitatis, forma nempe & figura.

QVæritur 1. Quid per formam & figuram hoc loco intelligatur.

Respondeo 1. Hoc valdè incertum esse; nam quamuis satis constet hic non agi de forma substantiali, nec de accidentali in tota sua latitudine, dubium tamen manet qua ratione forma & figura quartam speciem qualitatis constituant, & inter se distinguantur. Quidam enim existimant formam & figuram pro eodem sumi, alij putant formam significare pulchritudinem, figuram verò sumi pro terminatione quantitatis; Alij dicunt formam spectare ad res animatas, figuram verò ad inanimatas. Alij docent figuram esse nudam terminationem quantitatis, formam verò esse artefactorum. Alij tandē arbitrantur figuram esse rerum Mathematicarum, formam verò aliarum omnium rerum siue sint animatæ, siue inanimatæ; siue naturales, siue artefactæ. In tanta autem opinionum varietate

Respondeo 2. Eos magis accedere ad mentem Aristotelis, qui docent 1. formam & figuram non pro eodem sumi. 2. figuram habere locum tantùm in Mathematicis, formam verò in reliquis. Vtrumque enim non obscurè colligitur ex ipso textu Aristotelis quatenus refert in primis varias figuras Mathematicas à quibus ait res denominari quales, tum verò addit hæc verba, *sed & secundum formam*

vnumquodque dicitur quale, nam additio ista euidenter ostendit formam esse quid distinctum à figura; & exempla sumpta ex solis Mathematicis ad probandum, à figura res denominari quales, perspicue innuunt figuram ex mente Philosophi, non nisi in Mathematicis locum habere; ac proinde formam ad alia omnia esse extendendam.

Quæritur 3. An forma & figura inter se specie distinguantur. Respondeo negatiuè, quia de ratione istius qualitatis est quòd extrinsecè terminet subiectum; est autem illi omnino accidentarium, quod subiectum ab ea terminatum sit Mathematicum, aut naturale, aut artificiale: adeoque ex ea diuersitate non potest oriri discrimen specificum inter figuram, quæ res Mathematicas terminat, & formam quæ res alias.

ARTICVLVS VII.

Duæ dubitationes expenduntur.

PRior dubitatio est, an rarum & densum, itemque asperum & læue ad qualitatis categoriam spectent. Aristoteles apertè id negat in categorijs cap. de qualitate, aitque ea potiùs ad partium positionem spectare. Rationem affert sumptam ex prædictorum definitione, densum enim dicitur, *Cuius partes sibi inuicem propinquæ sunt*, rarum autem *cuius partes à se inuicem distant*: Et læuè illud est, *cuius partes in rectum quodammodo positæ sunt*, asperum verò, *cuius pars alia eminet, alia superatur*.

Verùm hæc sententia non caret difficultate,

tum quia ex Arist. 7. Physic. cap. 2. perspicuè colligitur rarum & densum esse qualitates, & pertinere ad tertiam speciem qualitatis, quia sensu percipiuntur: tum quia probabile non est rarum & densum, asperum & læuè, cùm sint modi rei affixi, siue loco moueatur, siue non, spectare ad Categoriam situs, quæ dicit certam positionem partium ad locum, tum quia cùm Aristoteles curuitatem & rectitudinem ponat in quarta specie qualitatis, similiter videtur asperum & læue ad eandem reducendá esse; cùm in re aspera curuitas, & in læui rectitudo conspiciatur.

Et iuxta hanc opinionem, quæ est communior, dici potest primò, cùm Aristoteles priori loco prædicta refert ad positionem partium, verisimile esse eum per talem positionem intelligere positionem partium quantitatiuam, de qua egit capit. de quantitate; cùm quanta diuisit in ea quæ situm & positionem partium inter se habent, alia quæ non habent, vt vel ex eo probatur, quòd definitiones rari & densi, &c. quas affert, nihil aliud quàm positionem seu certum ordinem partium significare videntur. Secundò, illo loquendi modo eum tantùm velle innuere, prædicta vt ab eo sunt definita, pertinere ad quantitatem tanquam quosdam modos illius. Hæc tamen, vt verum fatear, difficultate non carent, quæ meliùs percipietur ex alibi dicendis de raritate & densitate.

Posterior dubitatio est, an pondus sit species qualitatis. Nonnulli putant esse speciem quantitatis, sed communis sententia illud ad qualitatem reducit: primò quia pondus nihil est aliud quàm grauitas corpus

deorſum impellens ; corpus autem impellere non eſt munus quantitatis , ſed qualitatis. Siquidem grauitas & leuitas ſunt in eodem genere ; at perſpicuum eſt leuitatem non eſſe quantitatem , ſed qualitatem qua corpus ſurſum pellitur : ergo ſimiliter grauitas eſt qualitas qua corpus deorſum truditur.

Secundò, quia ſi grauitas eſſet quantitas , quò maior eſſet quantitas , eò ſemper maior eſſet grauitas , quod tamen falſum eſt ; cùm non rarò quæ minoris ſunt molis , ſint grauiora , vt patet in metallis & lapidibus cum lana & goſſipio collatis.

Obijcies , æquale & inæquale eſſe proprietates ponderis , & etiam quantitatis ; vnde ſequitur pondus eſſe quantitatem. Reſpondeo vt in ponderibus non eſt propriè quantitas molis , ſed virtutis : ita in illis non eſſe æqualitatem & inæqualitatem molis, ſed virtutis , quæ in eo conſiſtit vt in vno ſit maior vis impulſiua , quàm in alio : quo fit vt pondera potius debeant dici ſimilia aut diſſimilia , quàm æqualia vel inæqualia ; adeoque ſpectent ad qualitatem, non ad quantitatem propriè dictam.



CAPVT IV.

De variis oppositionibus rerum.

ARTICVLVS PRIMVS.

Obseruationes circa opposita.

CVm res inter se opponantur maximè ratione qualitatum, non immeritò hic nonnulla de oppositis in Logica prætermissa, subiicienda duximus, quibus quæ de qualitate in genere dicta sunt, & quæ infrà de habitibus addentur, clariora euadent. Itaque cùm ibi dictum sit, quatuor modis res inter se opponi, nempe relatiuè, contrariè, priuatiuè, & contradictoriè, iam

Aduertendum 1. quæcunque relatiuè opponuntur idipsum quod sunt oppositorum dici, vt patet ex dictis vbi de relatione: at contraria non dicuntur ad se inuicem, neque enim bonum dicitur mali bonum, sed contrarium; nec album nigri album, sed contrarium.

Aduertendum 2. contraria dici, quorum alterum necesse est in iis inesse, in quibus natura comparatum est vt insint; atque inter hæc contraria non datur medium, v. c. quia morbus & sanitas naturaliter insunt animali, necesse est vt alterum ei insit, nec datur status medius. Item quia par & impar tribuuntur numero, necesse est quemcunque numerum vel esse parem, vel imparem.

Sunt tamen aliqua contraria quorum non eſt neceſſe alterum ineſſe, & in iis datur medium, vt patet in albedine, & nigredine: nam etſi naturaliter inſint corpori, non tamen neceſſe eſt vt omne corpus ſit album, aut nigrum, cùm aliquod poſſit eſſe rubrum, aut flauum. Et ſimiliter inter probum & improbum datur medium, ſi hæc ſpectentur ſecundum habitum, nempe homo qui habitu virtutis & vitii caret: ille enim neque probus, neque improbus eo ſenſu dici debet.

Ex quo intelligis quædam media nomine proprio explicari, quia conſiſtunt in quibuſdam formis poſitiuis quæ participant de vtroque extremo; alia vero non niſi per negationem vtriuſque extremi explicari, quia in eiuſmodi negatione conſiſtunt.

Aduertendum 3. priuationem & habitum circa idem aliquid eſſe, vt viſus & cæcitas circa oculum; vnde diſtinguitur hæc oppoſitio ab iis, quia non eſt neceſſe vt alia ſint in eodem ſpecie & numero ſubiecto: at priuatio & habitus verſantur circa idem aliquid, id eſt circa idem ſpecie & numero ſubiectum, vt viſus & cæcitas circa eundem oculum.

Vt autem aliquid dicatur priuatum habitu, duo requiruntur: 1. vt ſubiectum ſit capax habitus; quare lapis non poteſt dici cæcus, cùm aptus non ſit ad videndum. 2. vt non habeat habitum quando à natura habere debet, quò fit vt non vocemus edentulum quod non habet dentes, & cæcum quod non habet viſum, ſed quod non habet quando à natura habere debet. Nam nec infantes ab ortu dentes habent, nec catuli viſum, non tamen illi edentuli, aut iſti cæci dicuntur.

Aduertendum 4. priuantia diſtingui à rela-

tis, quia relata id quod sunt alterius esse dicuntur; at hoc non conuenit priuantibus, nam visus non dicitur cæcitatis visus, nec cæcitas visus cæcitas, sed tantùm visus priuatio.

Aduertendum 5. priuantia distingui etiam à contrariis siue immediatis, siue mediatis; ab illis quidem, quia ita se habent ex supradictis, vt semper necesse sit alterum inesse subiecto ad recipiendum apto; at potest dari subiectum ex se capax priuationis & habitus, vtroque tamen carens, vt catulus ante nonum diem, qui nec videns, nec cæcus est: ab istis etiam, quia nunquam necesse est vt alterum eorum sit in subiecto, nisi insit à natura; paries enim qui ex se habet aptitudinem vt sit albus aut niger, potest esse semper rubeus aut ceruleus; at priuantium alterum debet semper esse in subiecto post tempus à natura præstitutum, vt visus aut cæcitas in catulo post nonum diem.

Aliud est discrimen inter priuantia & contraria, quòd pleraque contraria se mutuo expellunt è subiecto: nam quod est album potest nigrum fieri, & quod est frigidum calefieri, & vice versa: at in priuantibus aliter res se habet, nam etsi ab habitu ad priuationem mutatio fiat, non tamen à priuatione ad habitum fieri potest. Neque enim qui cæcus factus est rursus aspexit, nec caluus comam recepit. Atque hinc sumitur vulgatum illud axioma, *à priuatione ad habitum non datur regressus*, de cuius intelligentia articulo 3. agetur.

Aduertendum tandem contradictoriè opposita illud maximè proprium habere, quòd alterum eorum de quacunque re siue existente siue non existente verè dicitur: nam quidquid est aut non est, videt aut non videt, legit aut non legit, calidum est aut non calidum, &c.

atidem non habet locum in aliis oppositis, quia non quidquid est, est pater aut filius, album aut nigrum, videns aut cæcum.

ARTICVLVS II.

Nonnulla dubitationes proponuntur circa oppositiones prædictas.

QVæritur 1. an oppositum sit genus respectu prædictorum quatuor oppositorum, seu an prædicetur de illis vniuocè, an verò tantum æquiuocè, aut analogicè.

Respondeo & Dico 1. *non dici de illis æquiuocè.* Siquidem ea non sunt æquiuoca, quæ in nomine & ratione per nomen significata conueniunt; atqui prædicta quatuor opposita conueniunt in nomine & ratione oppositorum; ergo non sunt æquiuoca. Maior perspicua est ex dictis de æquiuocis in Logica, minor verò suadetur; nam & nomen oppositorum conuenit relatis, contrariis, priuantibus, & contradicentibus, omnia enim communiter vocantur opposita; definitio etiam oppositorum illis competit, nam opposita definiuntur *quæ simul esse non possunt*; non posse autem simul esse prædictis omnibus oppositorum speciebus conuenit, vt perspicuum est

Dico 2. *non etiam dici vniuocè, sed tantùm analogicè secundum magis & minùs.* Probatur, quia eo maior est oppositio inter aliqua, quo minor est naturæ conuenientia inter illa; atqui minor est naturæ conuenientia inter ens & non ens, quàm inter ens & priuationem entis; & minor inter ens & priuationem entis, quàm inter duo

entia absoluta: & minor inter duo entia absoluta, quàm inter duo relatiua, vt facilè consideranti patebit: ergo maior est oppositio inter contradicentia, quàm inter priuatiua; inter priuatiua, maior quàm inter contraria; & inter contraria maior quàm inter relatiua.

Quæritur 2. an diuisio prædicta oppositorum sit adæquata. Respondeo affirmatiuè, quod probatur, quia omnis oppositio vel est inter duo entia positiua, vel inter ens & non ens; si est inter duo entia positiua, vel ea sunt absoluta, quomodo constituitur oppositio contrária, vel respectiua, quomodo constituitur oppositio relatiua. Quod si oppositio reperitur inter ens & non ens, vel ea est inter ens & negationem entis, quomodo constituitur oppositio contradictoria; vel inter ens & priuationem entis, qua ratione constituitur oppositio priuatiua.

Obijcies, disparata cùm essentiis & definitionibus differant, nec eidem possint competere, inter opposita reponenda esse, vt homo & lapis; sicque prædictam diuisionem non esse adæquatam. Respondeo oppositionem interdum latè sumi pro quacunque repugnantia in vnum conueniendi; quomodo complectitur disparata substantiarum completarum quas repugnat eidem competere: propriè verò sumi oppositionem pro repugnantia cum certo termino, vt patet in quatuor membris propositis: nam in non positiuis vna forma repugnat vni tantùm negationi; aut priuationi, vt lapis non lapidi, & tenebræ luci: in positiuis verò vnum opponitur tantùm alteri, vt calor frigori, & pater filio; qua ratione disparata non sunt opposita, quia non habent determinatam oppositionem cum certo termino, sed

generalem cum rebus infinitis à quibus essentialiter differunt; vt lapis cum homine, equo, aliisque omnibus entibus quæ non sunt lapides.

ARTICVLVS III.

De regressu à priuatione ad habitum.

QVæritur 1. quo sensu dicat Arist. à priuatione ad habitum non dari regressum, seu illum qui forma aliqua priuatus est, non posse iterum illam recipere. Respondeo hoc communiter explicari adhibita distinctione; nam interdum quis priuatur actu duntaxat, vt qui dormit, priuatur actuali visione; interdum verò potentia agendi, vt cæcus priuatur videndi facultate. Quando priuatio contingit tantùm priori modo, tunc aiunt certum esse à priuatione ad habitum dari naturaliter regressum; siquidem ille qui cùm dormiret, actu non videbat, expergefactus iterum videt. Quando autem priuatio posteriori modo aduenit, tunc fatentur ad illam viribus naturæ non dari regressum: neque enim cæcus naturaliter visum recuperare potest, neque mortuus vitam. Dico naturaliter, nam quòd hæc supernaturaliter restitui possint, satis constat ex Euangelio, & ex historia Ecclesiastica quibus docemur Christum, Apostolos, aliosque sanctos cæcis visum, & vitam mortuis plerisque restituisse.

Hæc tamen cùm aliqua limitatione intelligenda sunt: nam in primis nunquam idem numero actus qui per priuationem fuerat ablatus, restituitur; qui enim post somnum videt,

non eandem numero visionem quam antea, elicit, sed eandem specie.

Deinde quòd interdum possit fieri naturaliter regressus ad eundem specie habitum, patet exemplo aquæ quæ ex frigida fit calida, & ex calida iterum frigida, & vice versa. Et, iuxta communem sententiam alibi expendendam, in mutua conuersione aëris in aquam, & aquæ in aërem. Potest etiam fieri vt quis scientiam per morbum amissam, eandem quoad speciem iterum proprio labore comparet. Et nemo ignorat aërem qui ex lucido fit tenebrosus, iterum redeunte sole illustrari.

Ex quibus exemplis constat, non modo in contrariis, sed etiam in priuatiuis propriè sumptis dari regressum ad formam amissam. Quod non satis videtur cohærere cum mente Aristotelis, qui cap. de oppositis illud ponit discrimen inter contraria & priuatiua, quòd in contrariis fieri potest regressus ad formam, non autem in priuatiuis; cùm cæcus visum nunquam recuperauerit, nec caluus comam, nec vllus edentulus dentes emiserit: quod intelligendum videtur de priuatiuis, quibus potentia aliqua naturalis destruitur. Verum clarioris doctrinæ causa,

Quæritur 2. an quod semel corruptum est, possit idem numero in integrum restitui, siue spectatis viribus naturæ, siue per ordinem ad Dei omnipotentiam; idque siue res corrupta sit permanens, siue successiua.

Respondeo & Dico 1. *rem semel corruptam non posse eandem numero viribus naturæ restitui.* Probatur 1. ex Arist. loco citato cùm ait à priuatione ad habitum non dari regressum; cùm enim id intelligat de regressu ad eundem specie habitum, vt ex dictis manifestè colligitur, inde

inde à fortiori deduci poteſt, non poſſe idem numero quod ſemel corruptum eſt, viribus naturæ in integrum reſtitui.

Probatur 2. Experientia, quia non videmus res eaſdem numero quæ perierunt ad vitam reuocari, v.c. eundem hominē, eundem equum; quod ſimiliter de alijs omnibus affirmandum eſt, etſi diſcrimen inter illa non adeo clarè obſeruari poſſit. Confirmatur, nam ſi idem homo poſſet iterum viribus naturæ reproduci, fides miraculoſæ reſurrectionis non parum inde labefactaretur.

Probatur 3. Quia non minùs difficile eſt quòd res exiſtens prima hora, & non ſecunda, iterum exiſtat tertia, quàm quòd res occupans primum locum adæquatum, occupet poſtea tertium ſimilem, etſi non fuerit in medio. At hoc poſterius ab omnibus iudicatur impoſſibile, ſpectatis naturæ viribus. Ergo & illud prius naturaliter impoſſibile iudicari debet. Atque hæ rationes ſatis probabiliter propoſitū oſtendunt; quænam autem vera & intrinſeca ſit cauſa huius impoſſibilitatis adhuc ignotum eſt.

Obijcies, experientia conſtat muſcam in aqua ſuffocatam & verè mortuam ad vitam redire, ſi ſoli feruido exponatur, aut intra cineres tepidos recondatur. Reſpond. 1. non ſatis conſtare an muſca illa verè ſit mortua, etſi nobis mortua appareat. 2. experientiam illam non oſtendere eſſe eandem numero muſcam, ſed ad ſummum eſſe idem numero corpus, adhuc ſufficienter diſpoſitum vt ex eo virtute caloris, diſtincta anima excitata fuerit.

Dico 2. *Rem corruptam permanentem poſſe eandem numero reſtitui per potentiam Dei abſolutam.* Probatur 1. Quia ex fide conſtat, omnes homines poſt mortem diuina virtute reſurrectu-

ros ad vitam immortalem; ergo ex hoc saltem capite de veritate nostræ propositionis à Catholicis dubitari nequit. Quod si idem homo diuinitus redire potest, cur non & alia omnia creata? Nam etsi illius anima non destruatur, corpus tamen in vermes & in terram abit; imo ex illius substantia plantæ, aues, pisces, & interdum homines nutriuntur. Quare post tot transmutationes non minùs operosum est illud in pristinum statum restituere, quàm formam lapidis, vel equi corruptam denuo producere.

Probatur 2. Nam si Deus non potest rem corruptam producere, repugnantia se tenet vel ex parte Dei, vel ex parte rei corruptæ; non ex parte Dei, cum omnes fateantur eum esse omnipotentem; non etiam ex parte rei corruptæ; cùm non sit de essentia illius quòd non nisi semel existere possit. Confirmatur, nam si res potest diuinitus existere simul in duobus locis, vt omnes fatentur, cur non etiam poterit eadem virtute existere in duobus temporibus: ita vt sicut non est in medio loco sed in extremis, ita sit in temporibus extremis, non in medio? Maximè cùm res eodem modo se habeat respectu Dei, dum corrupta est, ac antequam primò producta esset. Quare sicut à Deo produci potest antequā sit, ita & cùm esse desijt.

Obijciet aliquis repugnantiam oriri ex parte actionis, quia non potest idem reproduci nisi per eandem actionem, qua primò productum est: at non potest etiam diuinitus restitui actio quæ præterijt, cum pendeat à tempore preterito quod restaurari non potest. Respond. maiorem negandam esse, agendo de virtute diuina: cùm enim Deus efficere possit vt idem effectus à diuersis causis totalibus, adeoq; per

distinctas actiones & dependẽtias producatur, ex suprà dictis; à fortiori poterit ipsemet rem primo per vnam actionem productam, iterum per aliam producere. Posset etiam maiori concessa negari minor; quia etsi detur actionem creaturæ pendere à tempore, non apparet cur non possit Deus extraordinariè talem dependentiam supplere. Et quamuis id non posset, inde non sequeretur non posse Deum quod se solo produxit, iterum postquam interiit eadem actione reproducere.

Dico 3. *etsi probabilis sit communis sententia quæ statuit, res successiuas quæ desierunt non posse easdem numero diuinitus restaurari, id tamen non carere difficultate.* Probatur ex dictis, nam cùm repugnantia non se teneat ex parte Dei, debet se tenere ex parte rei successiuæ: at hoc non potest solidè probari, cùm non sit de essentia rei successiuæ vt postquam esse desiit, non ampliùs per vllam virtutem esse possit; nec appareat cur res quæ non est, non contineatur eodem modo in potentia Dei productiua siue extiterit, siue non.

Obiicies 1. ad præteritum non datur potentia, ergo motus aut tempus præteritum non potest reproduci. Respondeo negando consequentiam: illius enim effati sensus non est, idem numero tempus quod præteritum est, non posse iterum restitui, sed fieri non posse quin præteritum sit, quod verissimum est; quia etsi restituatur, semper verum erit illud aliàs præteriisse, sicut verum erit post resurrectionem, omnes homines etsi tunc viuentes, aliàs mortuos fuisse.

Obijcies 2. vnitas numerica motus pendet ab vnitate temporis imaginarij; at hoc semel elapsum restitui non potest, ergo nec ille.

Respondeo maiorem negari posse, motus enim constat intrinsecè ex suis partibus successiuis, nec dicit essentialiter ordinem ad talem partem temporis imaginarij; quare ex se est indifferens vt primò sit in hoc vel illo tempore imaginario, adeoque postquam desiit æque potest in alio reponi, saltem virtute diuina.

Neque refert quòd ex Arist. ad vnitatem numericam actionis seu motus requiratur vnitas numerica subiecti, termini, & temporis, hinc enim nihil aliud infertur quàm, vt motus sit vnus seu continuus requiri vnitatem seu continuationem temporis; quod verificari potest in quouis tempore, modo partes illius non interrumpantur.

ARTICVLVS IV.

Nonnulla obseruanda circa proprietates contrariorum ab Arist. assignatas.

QVinque assignantur ab Arist. proprietates contrariorum, vt diximus in Logic. Prima est, *quidquid bono contrariatur esse malum*, circa quàm obseruãdum 1. ex eo quòd Aristoteles ait bonum & malũ esse contraria, vt iustitiam & iniustitiam, manifestè colligi malum & iniustitiã esse quid positiuum, non autem priuationem, vt multi existimant; cùm opposita contrariè sint entia positiua, & à priuatiuè oppositis distinguantur, vt constat ex supradictis, & omnes fatentur. Hinc autem confirmatur eorum doctrina qui existimant, peccatum actuale commissionis esse quid positiuum; quod

nobis probabilius videtur, vt diximus olim in Idea Thelog. Moralis, & infrà iterum dicetur in Ethica.

Obſeruandum 2. quod ait Ariſtoteles, malo & bonum repugnare & malum, intelligi de bono quod eſt veluti medium inter duo mala extrema; qua ratione auaritiæ repugnant prodigalitas, & liberalitas, ſed cum diſcrimine: nam duo illa vitia ſunt extremè oppoſita: virtus vero media opponitur eorum vni, quatenus de alio participare videtur; vt liberalitas opponitur auaritiæ, quatenus ad prodigalitatem aliquo modo accedit, & prodigalitati quatenus ad auaritiã vergit. Vnde quod dicitur 10. Metaph. tex. 15. vnum vni contrarium eſſe, debet intelligi de iis quæ ſunt directè & extremè oppoſita.

Obſeruandum 3. bonum non opponi bono, ſed malo, malum autem non tantùm opponi bono, ſed etiam malo; non quòd mala vt mala ſibi inuicem repugnent, ſed quia vnum excedit, & aliud deficit. Itaque per exceſſum & defectum mala ſibi inuicem opponuntur, quia modis oppoſitis à bono defici poteſt; cùm autem vnica ſit & ſimplex ad bonum capeſſendũ via, hinc fit vt non ſint oppoſitæ rationes boni, ſed vnica; adeoque bonũ bono non repugnet.

Secunda eſt, *ſi vnum contrariorum eſt in rerum natura, non eſſe neceſſe exiſtere alterum*; circa quã obſeruandum eſt, Ariſtot. non ſatis ſibi videri conſtare, cùm oppoſitum tradat 2. de cælo cap. 3. vbi ex eo quod terra eſt, probat ignem eſſe; quia dato vno contrariorum aliud dari debet, & ex eo quod terra & ignis ſunt, probat elementa media debere quoque exiſtere: quia quodlibet elementum aliquam habet cum alio contrarietatem.

Dicendum tamen duo illa loca posse optimè inter se conciliari. Nam in priori nihil aliud vult Arist. quàm non spectare absolutè ad rationem contrariorum, quatenus contraria sunt, vt vno posito aliud existat; sicut est de ratione relatorum vt vno existente, aliud quoque existat. In posteriori verò ex eo quòd vnum contrariorum existit in rerum natura, colligit aliud debere existere; non quia sunt contraria, sed ob perfectionem vniuersi, quæ ex positione contrariorum magis elucet.

Tertia est, *Contraria non posse simul esse in eodem subiecto*, circa quam obseruandum est eam veram esse, si spectentur contraria in gradibus intensis, non autem si in gradibus remissis. Ipse enim Arist. 4. Metaph. cap. 6. docet fieri non posse vt contraria simul insint, nisi aut vtrumque aliqua ex parte, aut alterum aliqua ex parte, alterum simpliciter. Et satis constat aquam dum ab igne incipit calefieri, non statim totam frigiditatem amittere, adeoque calorem & frigus in ea simul reperiri in gradibus remissis.

Quarta est, *Contraria versari circa idem genere aut specie subiectum*; circa quam obseruandum est, non omnia contraria versari circa idem specie subiectum. ignis enim qui calidus est, non potest esse frigidus, & aqua quæ humida est, non potest esse sicca, sed circa idem specie aut genere subiectum. Nam licèt ignis non possit esse frigidus, nec aqua sicca; aqua tamen, aër, & terra frigiditatem admittunt, itemque ignis & terra siccitatem.

Quinta est, *Contraria vel esse in eodem genere, vel in diuersis generibus*, circa quam obseruandum est graue dubium esse, quo sensu dicat.

Arist. bonum & malum esse genera, nec tamen esse in genere, inde enim videtur colligi duodecim esse summa genera, nimirum decem vulgaria, & præterea bonum & malum. Verùm dimissis varijs interpretationibus, quæ cum textu Arist. parum cohærent, ea magis videtur probanda quæ docet, Philosophum id dixisse ex mente Pythagoræorum, qui duo tantùm rerum summa genera constituebant, nempe bonum & malum.

CAPVT V.

De habitibus in genere.

ARTICVLVS PRIMVS.

De existentia, & essentia habitus.

QVæritur 1. an quidam habitus admittendi sint. Respondeo affirmatiuè, vt patet tum ex communi omnium consensu, tum ipsa experientia, nam cum aliquem actum sæpe repetimus, experimur nos longè faciliùs eum postea exercere quàm ante; quod manifesto indicio est nos per illam actuum repetitionem, comparasse quandam agendi facilitatem ad similes actus inclinantem, quæ habitus appellatur.

Confirmatur, nam quando potentiæ naturales experiuntur difficultatem in operando, & postea per varios actus fiunt aptæ ad operationes suas facilius exercendas, perspicuum est mutationem quandam in ipsis potentiis acci-

P iiij

diſſe; quia *idem manens idem aptum tantùm eſt facere idem:* at ea mutatio non in eo cōſiſtit, quòd vis naturalis potentiæ ſit intrinſecè aucta, quia eiuſmodi augmētum per actuum repetitionem fieri non poteſt. Neque in eo præcisè quòd aliquod impedimentum ſit amotū tum quia non poteſt dici quodnam ſit eiuſmodi impedimentum, quoties potentia aliqua facilitatē agendi conſequitur. Tum quia aliud eſt carere aliquo impedimento agendi, aliud aſſequi poſitiuam facilitatem ad agendum, hoc enim ex illo non ſequitur, at experimur nos poſt actuum repetionem poſitiuè inclinari ad faciliùs operandū: quare fatendum eſt aliquam qualitatem aduenire potentiis naturalibus, per quam poſitiuè fiant habiliores ad ſuas operationes exercendas, & eam qualitatem vocamus habitum.

Obiicies 1. Potentia eſt principium completum actus qui ab ea procedit, ergo ſuperfluus eſt habitus qui ſimul cum ea ad eundem actum concurrat. Reſpondeo ad antecedens, potentiam eſſe principium completum actus quoad ſubſtantiam ſeu entitatem ſpectati, non autem quoad modum ſeu facilitatem agendi; adeoque hoc poſteriori titulo requiritur habitus qui tribuat non ſimpliciter vim agendi, ſed facilitatem.

Obiicies 2. Si darentur habitus minuentes difficultatem agendi, ſequeretur agentem ex habitu bono minùs mereri quàm agentem ſine habitu, quia ille minorem in agendo difficultatem experiretur. Hoc autem abſurdum eſt, & communi ſenſui repugnans. Reſpondeo negando id ſequi, quia meritum non pendet per ſe ex difficultate operantis, ſed maximè ex dignitate & difficultate operis quod elicitur; at quamuis habitus tollat difficultatem

ex parte operantis, non tamen minuit dignitatem & difficulatem operis, adeoque non minuit meritum. Vnde non laudamus eos qui cum difficultate operantur, ſed eos qui difficilia aggrediuntur.

Quæritur 2. Quid ſit habitus. Reſpondeo eſſe qualitatem de ſe permanentem & ſtabilem, quæ potentiæ tribuit facilitatem agendi. Hoc patet ex dictis, nam ipſa potentia habet per ſe ſufficientem vim agendi ſine habitu, vt vel ex eo manifeſtum eſt, quia cùm habitus producatur per actuum multiplicationem, aliquis actus debet neceſſariò præcedere habitum, ac proinde potentia ſine habitu abſolutè agere poteſt. Quare habitus non poteſt requiri vt ſimpliciter neceſſarius ad agendum, ſed tantùm vt adiuuans potentiam ad actum cum maiori facilitate eliciendum.

Itaque habitus eſt in primis in genere qualitatis, quia id quod ineſt potentiæ, eique tribuit agendi facilitatem, eſt principium actionis; eſſe autem principium actionis non competit quantitati, nec relationi nec actioni aliiſque prædicamentis accidentium, ſed tantùm qualitati.

Nec refert quòd habitus dicat intrinſecè ordinem ad operationem, hoc enim non impedit quin ſit qualitas, quia ordo ille non eſt relatio prædicamentalis, ſed tranſcendentalis. Aliàs dicendum eſſet potentias omnes operatiuas non ſpectare ad qualitatem, ſed ad relationem; quia intrinſecè dicunt ordinem ad proprias operationes,

Deinde habitus eſt qualitas de ſe permanens & ſtabilis, ſe habet enim vt principium agendi, non vt actio, adeoque non tranſit cum actione, ſed poſt illam perſeuerat, vt ex eo

patet; quia post cessationem ab operatione potentia eandem experitur facilitatem, quando rursus se ad opus accingit.

Tandem habitus supponit potentiam agendi, non modo radicalem & remotam, sed etiam formalem & proximam; adeoque eam non confert, sed potentiam præexistentem iuuat vt facilius operetur. Quod intellige de habitibus naturalibus qui per proprios actus acquirũtur: nam supernaturales qui à Deo infunduntur, censentur simpliciter tribuere potentiam agendi supernaturaliter; non quòd soli eliciant actus supernaturales sine consortio potentiæ naturalis, recipiuntur enim in aliqua animæ potentia & cum ea actum eliciunt; sed quia potentiam eleuant ad simpliciter agendum, ita vt potentia habitu infuso destituta, nequidem actum imperfectissimum supernaturalem elicere possit, nisi aliunde illius defectus suppleatur.

Obijcies prædictam definitionem non competere sanitati, pulchritudini, alijsque huiusmodi qualitatibus quæ ab Arist. inter habitus numerantur; quia illæ disponunt subiectum in ordine ad se, non autem in ordine ad operationem. Respondeo vel sanitatem & pulchritudinem formaliter consistere in quadam contemperatione qualitatum, adeoque potiùs ad relationem spectare quàm ad habitum; vel si inter habitus reponenda sunt, dicendum eos esse mediatè operatiuos: quia cum substantia sit propter operationem, omnis habitus bene afficiens substantiam censetur mediatè illam ordinare ad operationem, sicque definitionem allatam ijs posse non incongruè aptari.

ARTICVLVS II.

De subiecto habituum.

QVæritur 1. an habitus sint in intellectu & voluntate. Respondeo affirmatiuè, ex cōmuni sententia quæ docet sapientiam, scientiā, fidem, opinionem, &c. esse habitus intellectiuos, seu in intellectu constitutos; item iustitiam, fortitudinem, & temperantiam esse habitus morales in voluntate residentes.

Idque comprobatur experientia, nam quando incipimus scientias addiscere, aut virtutes morales sectari, multas experimur difficultates ex parte intellectus & voluntatis, quas tandem per multiplicationem actuum superamus; ita vt facilè assentiamur propositionibus quas initio falsas existimabamus, & vltrò, imò cū magna delectatione actus virtutis, antea non parum ingratos eliciamus: ista autem facilitas repetitione actuum inducta, est qualitas quædam habitualis in intellectu & voluntate producta, qua in similes actus inclinantur.

Obijcies 1. habitus requiritur ad determinandam potentiam, at intellectus est ex se determinatus ad suos actus, voluntas verò cùm sit libera & indifferens non potest ab extrinseco determinari ad agendum, ac proinde nullus habitus poni debet siue in intellectu, siue in voluntate. Respondeo habitum exigi ad iuuandam potentiam, & eatenus determinandā quoad modum facilius agendi, qua ratione potest poni habitus in intellectu; quia etsi sit determinatus ad assentiendum vero clarè ipsi proposito, non tamen ad assentiendum illi tanta facilitate, vt maiori non possit per additio-

nem alicuius qualitatis. Poteſt etiam poni habitus in voluntate non obſtante illius libertate, quia etſi per habitum inclinetur ad actum, non tamen ad illum determinatur, ſed ipſa ſe & habitum ad exercitium actus determinat.

Obiicies 2. non opus eſſe ponere habitum aliquem in voluntate, eò quòd facilitas aut difficultas quàm experitur in operationibus ſuis, ſufficienter in iudicium intellectus clarè aut obſcurè obiectum ipſi proponentis, refundi poteſt. Reſpondeo hoc gratis dici, quia cùm iudicium intellectus inducat tantùm facilitatem aut difficultatem ex parte obiecti, requiritur præterea habitus qui ex parte ſubiecti amoueat difficultatem, quam habet voluntas ad eliciendum aliquem actum. Eò vel maximè, quia non rarò videmus meliora probamuſque & deteriora ſequimur, ſcilicet ob difficultatem quam voluntas experitur in exercitio alicuius operationis, etſi ab intellectu ipſi vt bona & honeſta proponatur.

Inſtabis, difficultatem quam voluntas ea in re experitur, oriri ex paſſionibus ad malum eam trahentibus, adeoque ſufficere vt habitus aliqui in appetitu ſenſitiuo, qui paſſionum eſt ſides, conſtituantur. Reſpondeo vndecunque illa difficultas oriatur, id parum intereſſe; quia cùm ipſa voluntas difficultatem ſentiat in operãdo, ipſi neceſſarius eſt habitus ad difficultatẽ illam ſuperandam. Imò ſecluſa illa difficultate poſitiua, probabile eſt voluntatem adhuc eſſe capacem habitus, quia cum maiori & maiori facilitate agere poſſet.

Quæritur 2. an habitus ſint in potentiis ſenſitiuis & vegetatiuis.

Reſpondeo & Dico 1. *Appetitum ſenſitiuum eſſe capacem habitus, ſaltem in homine*, Ita omnes com-

muniter: nam multi existimant virtutes quasdam morales nempe fortitudinem, & temperantiam esse in appetitu sensitiuo; qui verò eas virtutes in voluntate constituunt, existimant quosdam habitus ijs proportionatos in appetitu sensitiuo reponendos esse; qua de re agetur in Idea Ethicæ.

Idque ea ratione ostenditur, quia potentia illa est capax habitus, quæ initio experitur grauem difficultatem in suis operationibus, postea verò per multiplicem actuum repetitionē magnam in agendo facilitatem experitur; ista enim facilitas de nouo inducta, est habitus per actus repetitos acquisitus. At tale quid contingit in appetitu sensitiuo hominum, cùm in materia temperantiæ, aut fortitudinis aliquando rationi obstinatè resistat, & post varios actus iteratos illi planè subijciatur quoad eandem materiam; ita vt facilè, imò interdū cum magna voluptate id amplectatur, quod ante refugiebat.

Neque dicas, causam huius rei posse referri in variam corporis constitutionem, qua fiat vt appetitus modo in vnum obiectum feratur, modo in oppositum: etsi enim temperamentum ad hoc non parum conducat, non tamen est totalis causa illius, vt ex eo perspicuum est, quòd etiam temperamento corporis non mutato, prædicta variatio cernitur in appetitu sensitiuo.

Dico 2. *Habitus communiter poni in sensibus hominis internis, non tamen in externis, neque in facultatibus animæ vegetatiuæ.* Prima pars probatur, quia experientia constat per assuetudinem fieri vt magna facilitas acquiratur in actibus memoriæ & phantasiæ eliciendis; ita vt non pauci sint qui cum nulla fere vi recordandi aut imaginandi pollerent, vsu & exercitio ma-

gnam facilitatem in actibus memoriæ & phantasiæ eliciendis deinceps experiantur.

Secunda pars ostenditur, quia illæ potentiæ non sunt capaces habitus, quæ semper quantum est ex se eodem modo operantur, neque actuum exercitio maiorem agendi facilitatem acquirere possunt: atqui sensus externi eodem modo semper, quãtum est ex se, operantur, neque per actuum repetitionem facilitatẽ agendi comparare possunt; vt patet in visu qui ijsdem conditionibus positis, tam ex parte medij & obiecti, quàm ex parte organi, semper æquè facile obiectum percipit. Vnde si interdum magis aut minus operose illud intuetur, ea varietas in diuersitatem aliquarum ex dictis conditionibus sufficienter reduci potest.

Neque refert quòd sensus externi interdum facilitatem aliquam agendi videantur acquirere, vt cum gustus assuescit quibusdam saporibus quos ante repudiabat: hoc enim potest contingere sine acquisitione noui habitus, nempe vel per mutationem apprehensionis, vel etiam per immutationem quandam factam in temperamento linguæ.

Tertia pars suadetur, quia facultates vegetatiuæ sunt ex natura sua determinatæ vt eodem modo operentur, neque per repetitionem actuum maiorem acquirũt agendi facilitatem; vt virtus nutritiua in stomacho residens, non in dies accrescit quoad facilitatem cibum digerendi, nisi quatenus cibus delicatior sumitur, aut calor internus augetur, vel aliter homo melius disponitur intrinsecè quoad proprium temperamentum. Vnde si quæ maior facilitas successu temporis in cibo digerendo accedit; ea in aliquam ex his causis, non autem in nouum habitum referenda est.

Quæritur 3. an habitus possit produci in membris corporeis, v. c. in manu, aut pede. Respondeo negari non posse quin manus & pedes longo vsu acquirant magnam facilitatem se mouendi localiter, vt patet in cytharedis, & saltatoribus quorum illi magna facilitate digitos, isti pedes mouent Hoc autem non potest intelligi nisi per aliquam mutationem factam in manibus & pedibus; quia si sola apprehensio sufficeret, sequeretur eos omnes qui artem aliquam callent, posse illius operationes perfectè exercere, quod aperte falsum esse experientia ostendit; cum multi v. c. artem canendi probè sciant speculatiuè seu mentaliter, non autem practicè seu vocaliter, vt ita loquar.

Negari etiam vix potest, quin mutatio facta in manibus & pedibus dicat aliquam entitatem positiuam in iis receptam, cum nequeat intelligi quod, per solam alicuius impedimenti ablationem, agilitas illa collata sit. Quare si entitas positiua, quæ facultati naturali confert facilitatem agendi dicitur habitus, non video cur agilitas illa manuum & pedum exercitio comparata, non possit habitus nuncupari; cùm sit qualitas superaddita potentiæ motrici, eamque bene afficiat in ordine ad operationem faciliùs eliciendam.

Vnde refelluntur qui dicunt, facilitatem non esse in membris externis, sed in intellectu in quo est ars: Nam ars sola in intellectu residens, non sufficit ad exercenda opera artis quæ manu aut pede peraguntur, nisi membra illa ad id sint aptè disposita. Item refelluntur qui putant non requiri aliam dispositionem in membris, quàm remotionem impedimentorum; non enim amoueri possunt impedimenta, nisi per aliquam dispositionem contrariam, quam ha-

bitum appellamus. Item qui existimant dispositionem superadditam esse qualitatem quandam passiuam, qua membra fiant apta ad sequendum voluntatis imperium; constat enim habilitatem in membris productam ea inclinare ad agendùm.

Obiicies, ideo requiruntur habitus in appetitu sensitiuo, quia non obedit despoticè volūtati; at membra externa illi obediūt eo modo, ergo non indigent habitu. Resp. membra externa obedire despoticè voluntati quoad motum naturalem, non autem quoad motum artificiosum: quia si callens artem cytharizandi quoad speculationem, antequam illam exercuerit, imperet manui vt exactè cytharam pulset, sanè manus tale imperium non exequetur, defectu illius agilitatis habitualis quæ non nisi exercitio comparatur.

Quæritur 4. an habitus possint produci in brutis Respondeo affirmatiuè, quia cùm bruta phantasia, memoria, & appetitu polleant, corpusque flectant ad multa facienda cum facilitate, quæ antea ægrè aut nullo modo præstare poterant, vt patet in psitacis, canibus, equis aliisque animalibus disciplinæ capacibus, nulla ratio est cur ipsis habitus quidam per assuetudinem comparatus denegetur.

Nec dicas sufficere imaginationem, nam licèt brutum per imaginationem cognoscat, post tale signum v. c. talem motum edendum esse, hoc tamen non sufficit ad motum insolitum facilè edendum, nisi accidat aliquis habitus facilitatem talem motum exercendi tribuens, vt patet à fortiori ex antedictis de homine: nisi quis fortè existimet phantasiam esse longè nobiliorem in bruto quàm in homine, quod dici non potest.

Quæritur 5. an in rebus inanimatis & purè corporeis sint habitus, v. c. in lapide, aut igne. Respondeo negatiuè, nam tota ratio cur ponuntur habitus in nonnullis rebus, est, quia per assuefactionem acquirunt facilitatem eliciendi aliquos actus, quos antea non nisi ægrè efficiebant; at res inanimatæ eiusmodi facilitatem acquirere non possunt, vt patet, nam etsi lapis millies proijciatur sursum, aut proprio nutu deorsum feratur, numquam ex se siue sursum, siue deorsum moueri poterit maiori facilitate quàm ante moueretur. Et idem dicendum de aliis rebus inanimatis, quia omnes ita determinatæ sunt per proprias formas ad certum agendi modum, vt nullam majorem operandi facilitatem acquirere possint.

ARTICVLVS III.

De causis habituum.

EX dictis colligi potest quænam sint *causæ* habituum: nam si agatur de causa eorum finali, dicendum est eos produci in potentijs ad conferendam illis agendi facilitatem: si de formali, cùm ipsi sint qualitates & formæ, non alia quærenda est eorum causa formalis, quàm illorum quidditas & essentia; si de materiali circa quam, ea est obiectum in quod tendunt; si de materiali in qua, statuendum est nullam esse præter potentiam in qua recipiuntur, vt eam ad agendum iuuent. Denique cùm dictum sit habitus per actuum repetitionem causari, hinc intelligitur actus ad eorum productionem efficienter cum poten-

tijs concurrere. Verùm cùm reliqua satis perspicua sint, hoc vltimum paulò latiùs expendendum est. Itaque

Quæritur Primo, an actus concurrat aliquo modo ad productionem habitus, & qua ratione.

RESPONDEO & dico 1. *Actus nostros concurrere aliquo modo ad productionem eorum habituum qui à nobis acquiruntur.* Probatur, quia cùm tales habitus nobis à Deo non infundantur, neque ab vlla causa extrinseca in nobis fiant, necesse est vt à nobis producantur, at non possunt à nobis produci nisi mediante aliquo actu, ergo debet aliquis actus concurrere ad eorum productionem: probatur minor, quia potentia naturalis non producit aliquid nisi mediante productione, at productio est actus.

Confirmatur, tum quia voluntas nunquam acquiret habitum iustitiæ, vel temperantiæ, nisi exerceat actus eiusmodi virtutum; tum quia cùm voluntas possit ex se habere varios habitus, & disparatos, vel oppositos, cur vnum potiùs acquirat quàm alium, id non potest reduci præcisè in ipsam voluntatem secundum se, sed in illam quatenus exercet actus huic habitui consentaneos, non illi. Vnde Aristoteles 2. Ethic. cap. 1. ait sicut ædificando ædificatores, citharizando citharedi efficimur, ita iusta agendo iusti, temperata temperantes, fortia fortes euademus. Atque hæc omnia ex iam dicendis vlteriùs confirmari poterunt.

Dico 2. *Actus concurrere effectiuè, seu in genere causæ efficientis ad productionem habitus.* Probatur 1. nam vel habitus producitur à potentia immediatè & sine actu, vel mediante actu;

at primum à nemine admittitur, cùm omnes fateantur potentiam non efficere immediatè habitum, sed actum, & eo mediante habitum: ergo secundum verum est, adeoque actus concurrit in genere causæ efficientis ad productionem habitus. Confirmatur, quia cùm actus se teneat ex parte causæ vt agentis, dicendum est eum concurrere in genere causæ efficientis, non autem in genere causæ passiuæ, seu materialis & dispositiuæ, vt Durandus arbitratur. Vnde

Probatur 2. Nam vel actus concurrit tantùm passiuè ad productionem habitus, vel effectiuè; at prius dici nequit, quia quod non requiritur per modum passiuæ dispositionis ad conseruationem habitus, non requiritur etiam eo titulo ad productionem illius, cùm videamus saltem vt plurimum, easdem dispositiones quæ requiruntur ad productionem alicuius formæ, requiri ad conseruationem illius: atqui actus non est dispositio requisita ad conseruationem habitus, vt ex eo manifestum est, quod habitus conseruantur etiam in ijs qui non agunt, vt in dormientibus: ergo nec concurrit vt mera dispositio ad productionem habitus. Vnde posterius dicendum est, nempe actus concurrere effectiuè ad productionem habitus.

Obijcies 1. Si habitus produceretur per actum, ad habitum daretur per se motus seu actio; at hoc repugnat Aristot. 7. Physic. tex. 17. Ergo habitus non producitur per actum. Respondeo minorem falsam esse, quia cùm Aristoteles ait, ad habitum non dari per se motum, loquitur de motu alteratiuo propriè dicto, qui terminatur tantum ad qualitates tertiæ speciei, quique est successiuus & sensi-

bilis; ſed non intendit negare ad habitum terminari per ſe aliquam actionem, cùm ipſe clarè doceat per aſſuetudinem & actuum repetitionem acquiri. Aliàs dicendum eſſet ex illius mente, nullas qualitates præter patibiles, imò nullum aliud accidens verè produci; quod planè ridiculum eſt, tantoque Philoſopho non parum iniurioſum.

Obijcies 2. Si habitus producuntur per actus, debent produci per actus immanentes; at hoc dici non poteſt, quia ex Ariſt. 1. Ethic. cap. 1. & aliàs actio immanens nihil poſt ſe relinquit. Reſpondeo actum immanentem nihil poſt ſe relinquere in ſubiecto extraneo, aliquid tamen poſſe poſt ſe relinquere in eadem potentia à qua fluit; vt cùm per actus ſcientiæ generatur ſcientia habitualis in intellectu.

Obijcies. 2. Actus eſt cauſalitas ſeu effectio, at cauſalitas ſeu effectio non concurrit per modum cauſæ efficientis, ergo habitus non pendet ab actu vt à cauſa efficiente. Reſpondeo in actu ſeu actione duo eſſe conſideranda, nempè ipſam actionem vt eſt actio, & terminum intrinſecum talis actionis, qui eſt qualitas aliqua: actio priori modo ſpectata non eſt cauſa efficiens, ſed cauſalitas cauſæ efficientis; at verò ſub poſteriori ratione poteſt eſſe principium agendi per modum cauſæ efficientis, ſicque habitum producere.

Quæritur 2. An ad productionem habitus plures actus concurrere debeant.

RESPONDEO & dico 1. *Per quemlibet actum habitus productiuum, aliquid habitus produci.* Probatur, quia ſi primus actus nihil produceret, nec ſecundus, nec tertius, nec alij conſequenter in infinitum aliquid ex habi-

tu producerent, adeoque habitus nunquam produceretur: quia cùm omnes sint eiusdem speciei vt supponitur, & æqualem vim agendi habeant, si vnus seorsum spectatus nihil efficeret, nulla ratio esset cur alij sigillatim & successiuè producti habitum generarent: at experientia constat habitum tandem post nonnullorum actuum repetitionem generari, ergo fatendum est in singulis actibus esse vim producendi aliquid habitus.

Nec dicas actum secundum, aut tertium posse inchoare habitum, quia inuenit potentiam meliùs dispositam per vnum aut alterum actum. Nam si primus actus nihil effecit in potentia, sequitur potentiam reperiri eodem modo indispositam sub secundo actu, quo erat sub primo, sicque non esse rationem cur habitus vi illius inchoëtur, cùm virtute actus primi inchoatus non fuerit. Et idem à pari dicendum de tertio actu respectu secundi, sicque in infinitum. Neque idem est de guttis lapidem excauantibus, nam etsi tantum centesima gutta verbi causâ excauet lapidem, præcedentes tamen eum paulatim emolliunt, eumque ita disponunt vt possit excauatio à centesima gutta inchoari; at in casu proposito nulla inducitur dispositio ab actu primo, quia si aliqua induceretur, hæc aliud nihil esset quàm inchoatio habitus, quod intendimus.

Obijcies 1. Non potest induci habitus nisi superentur difficultates quæ illius introductioni obstant; at difficultates illæ cum frequenter multæ sint & magnæ, non possunt vnico actu superari, ergo per vnicum actum non potest produci aliquid habitus. Respondeo 1. non semper magnas illas difficultates oc-

rere, vt patet cùm per demonstrationem euidentem, qua conuincitur intellectus, generatur habitus scientiæ: quare saltem tunc non repugnat habitum, etiam in statu satis perfecto, vnico actu generari.

Respondeo 2. Etsi difficultates occurrentes non possint totaliter vnico actu superari, posse tamen vtcumque debilitari, & secundum aliquam sui partem tolli; ad hoc autem requiritur vt aliqua pars habitus oppositi inducatur. Quare etsi in eo casu non producatur statim habitus perfectus, producitur tamen aliqua illius inchoatio.

Obijcies 2. Si per primum actum producitur aliqua pars habitus, cum ea sit eiusdem speciei ac aliæ quæ per similes actus producuntur, dici potest absolutè eum qui elicit vnicum actum temperantiæ, acquirere habitum temperantiæ, etsi ante esset intemperantissimus: at hoc & experientiæ repugnat, & communi sensui Philosophorum qui post Aristotelem docent, habitus acquiri per assuetudinem, seu per repetitionem multorum actuum. Respondeo consequentiam esse veram de habitu temperantiæ quoad essentiam spectato; sicut enim aqua etsi intensè frigida, absolutè calorem acquirit, cùm primum ab igne calefit; ita dici potest intemperantem acquirere habitum temperantiæ, statim atque actum aliquem huius virtutis exercet. Hoc autem non repugnat Philosophis, quia cùm dicunt habitum acquiri per actuum repetitionem, considerant habitum secundum statum habitus, qui in eo consistit, vt sit in gradu intenso, & tribuat potentiæ magnam agendi facilitatem; quomodo non acquiritur vt plurimum nisi per plures actus. Vnde

aliqui, quod producitur per primos actus vocant dispositionem, non quod putent distingui essentialiter à gradibus qui per actus sequentes producuntur, sed quia eisi sit eiusdem rationis, non tamen habet statum habitus, cum sit facilè mobile à subiecto, nec nisi valdè exiguam tribuat facilitatem ad agendum.

Dico 2. *Interdum posse produci habitum perfectum per vnicum actum, vt plurimum tamen multos actus requiri ad productionem perfecti habitus.* Vtrumque potest colligi ex antedictis, nam in primis per vnicam demonstrationem cuius vis clarè perspicitur, generatur habitus scientiæ in intellectu; hoc enim medium est maximè proportionatum ad generandum eiusmodi habitum, & nullum est impedimentum siue ex parte intellectus, siue aliunde quod obstet quo minus necessariò operetur. Quare sicut lux quia non habet contrarium, producitur in instanti, etiam in gradu valdè intenso, iuxta vires agentis; ita per vnicam demonstrationem generatur habitus scientiæ, etiam in gradu intenso & perfecto; cùm causa sit satis efficax ad illum in eo statu producendum, & nihil illius productionem impediat. Idque potest confirmari experientia, nam intellectus noster scientiæ per demonstrationem euidentem acquisitæ, adeo firmiter adhæret, vt ab illius assensu dimoueri nunquam possit.

Deinde, non in omnium habituum productione eadem facilitas reperitur: nam in primis quamuis per medium probabile generetur in intellectu quædam opinio, non tamen quæ habeat statum habitus firmum & permanentem; cùm possit adhuc intellectus,

facilè in aliam partem flecti vi alterius medij, æquè aut magis probabilis, Et licèt per vnum actum virtutis acquiratur aliqua inchoatio virtutis habitualis, non tamen obtinetur illius status perfectus, donec superatæ sint multæ difficultates ex prauis inclinationibus ortæ, quæ completam illius acquisitionem remorantur, vt satis experientia comprobatur. Quare in ijs & similibus casibus multa opus est actuum repetitione, vt habitus in statu perfecto produci possit. Et hoc sensu vna hirundo non facit ver, nec vna dies facit hominem beatum, vt sapienter monet Arist. 1. Ethic. cap. 7.

ARTICVLVS IV.

De incremento, & diminutione habituum.

QVæritur 1. per quos actus intendantur habitus, supponimus enim ex communi sententia, eos per actuum multiplicationem verè intendi, vt vel ipsa experientia ostendit, cùm eo magis agendi ex habitu facilitas crescat, quo plures & efficaciores actus illius productiui eliciantur. Supponimus etiam illud augmentum habituum fieri additione gradus ad gradum, vt constabit ex infrà dicendis vbi de alteratione. Itaque dubitatur per quos actus fiat augmentum habituum, an per intensiores, an per æquales, an etiam per remissiores.

Respondeo & dico 1. *Dubitari non posse quin habitus augeatur per actus intensiores.* Ratio est, quia vel nullus actus habet vim augendi habitum,

tum, vel ea vis tribuenda eſt maximè actui intenſiori, vt per ſe notum eſt; at non poteſt dici vim augendi habitum nulli actui competere, cum experientia conſtet habitus acquiſitos actuum multiplicatione augeri, & in dies roborari: ergo dicendum eſt habitus augeri maximè per actus intenſiores.

Confirmatur, nam ſi calidum vt ſex applicetur ſubiecto cui inſint tantùm duo aut tres gradus caloris, in eo vnum aut alterum gradum caloris producet. Ergo ſimiliter ſi quis habens v. c. habitum temperantiæ vt duo, eliciat actum temperantiæ intenſum vt quatuor aut quinque, eo actu aliquem gradum priori habitui ſuperaddet.

Dico 2. *Probabile eſſe habitum poſſe augeri per actus æquè aut minùs intenſos.* Probatur 1. experientia: nam qui v. c. habitum temperantiæ in gradu intenſo acquiſiuit, eundem habitum eliciendo ſæpè actus æquè intenſos, aut paulo remiſſiores auget & perficit; ita vt faciliùs temperantiæ operibus vacet quàm cum primò habitum acquiſiuit. Dico eliciendo ſæpè actus æquè intenſos, &c. nam qui poſt acquiſitum habitum raro aut valdè remiſſè illius actus eliciunt, fiunt in dies minus prompti ad operandum, ſicque habitus paulatim in ijs debilitatur, tantum abeſt vt per eiuſmodi actus in ijs perficiatur & intendatur, vt ipſa etiam experientia oſtendit.

Probatur 2. Quia ex communi ſententia, actus eſt agens æquiuocum, adeoque nobilius reſpectu habitus producti; at illud eſt diſcrimen inter agens vniuocum & æquiuocum, quòd agens vniuocum non poteſt agere ſupra ſuam intenſionem, vt ex eo patet, quòd duo corpora æquè calida non ſe mu-

tuò calefaciunt; agens verò æquiuocum producit effectum se intensiorem, vt constat ex luce mediocri & remissa, quæ si in speculo concauo recipiatur, producit calorem valde intensum. Quare actus habitum se intensiorem producere potest.

Quæritur 2. Quomodo fiat augmentum extensiuum habituum. Quod vt intelligas

Nota habitum dupliciter augeri posse, intensiuè, & extensiuè; augetur intensiuè, quando in se perficitur additione alicuius noui gradus, vt cùm tribus gradibus temperantiæ acquisitæ additur quartus gradus: augetur vero extensiuè, quando incipit extendi ad nouum aliquod obiectum; vt cùm habitus scientiæ qui fertur in vnam conclusionem, extenditur ad aliam, & cùm habitus temperantiæ qui versatur circa cibum, extenditur etiam ad potum. Inquiritur ergo quomodo fiat augmentum istud extensiuum habitus, an per additionem nouorum habituum partialium à præcedentibus specie distinctorum; an verò sine vlla tali additione, per solam eiusdem gradus primò producti ad alia, & alia obiecta extensionem.

Respondeo & dico 1. *Extensionem habitus scientiæ ad nouas conclusiones, fieri per additionem aliorum & aliorum habituum partialium, qui simul cum præcedenti faciunt vnū habitum scientiæ per aggregationem, & vnitate ordinis.* Probatur 1. quia habitus inclinans intellectum ad assentiendum vni conclusioni, non inclinat illum ad assentiendum alteri omnino disparatæ; ergo sicut ad priorem requiritur vnus scientiæ habitus, ita ad posteriorem requiritur alius habitus proportionatus. Antecedens manifestum est, quia habitus inclinans v. c. intellectum ad

aſſentiendum huic concluſioni, homo eſt riſibilis, non inclinat illum ad aſſentiendum iſti, cœlum conſtat ex materia & forma, cùm vna nullam habeat connexionem cum alia: vnde requiritur nouus habitus à priori ſpecie diſtinctus. Confirmatur, quia cùm habitus acquirantur ad ſuperandas difficultates operandi, vbi ſunt diuerſæ & omnino diſparatæ difficultates, ibi habitus diuerſi conſtituendi ſunt.

Probatur 2. Quia vel generatur nouus habitus, vel præcedens ſine vlla additione ad alias & alias concluſiones extenditur: at hoc poſterius dici non poteſt, cum intelligi nequeat quomodo habitus circa vnam concluſionem acquiſitus, qui nullam dat facilitatem ad alias concluſiones diſparatas intelligendas, vt manifeſta experientia oſtendit, ſe extendat ad illas; Ergo prius affirmari debet. Et ſanè multo rationabilius eſt fateri per actus ſeqnentes, quibus poſitis experimur nos habere facilitatem circa alias concluſiones, generari nouam iſtam facilitatem, ſeu nouum habitum quo fit vt nullo negotio eas deinceps concipiamus. Confirmatur, nam ſi prioribus actibus habitum ſcientiæ comparamus circa aliquod obiectum, quidni poſterioribus ſimilem habitum acquiremus circa aliud obiectum?

Obijcies 1. Non ponitur niſi vna potentia viſiua ad percipienda omnia obiecta viſibilia, quæ ſunt multiplicis ſpeciei: Ergo vnus ſcientiæ habitus ſufficit ad omnia ſcibilia intelligenda. Reſpondeo negando conſequentiam, & ratio diſcriminis eſt, quia cùm potentia viſiua emanet naturaliter ab anima, non poteſt multiplicari iuxta diuerſitatem obiecto-

rum; cùm autem habitus producatur per actus, necesse est vt iuxta distinctionem actuum, & obiectorum distincti producantur habitus. Aliàs non esset ponendus in intellectu nisi vnicus habitus ad omnia intelligibilia percipienda, quod ne ab arguentibus quidem concedendum puto.

Obijcies 2. Vnus fidei habitus sufficit ad credenda omnia reuelata, ergo & vna scientia ad omnia scibilia cognoscenda. Respondeo non sequi, & ratio discriminis est, quia fides vni tantùm motiuo innititur nempè testimonio diuino: quare qui ex fide aliquid credit ob hoc motiuum, paratus est ob illud alijs omnibus à Deo reuelatis firmiter assentiri; cùm Dei testimonium æqualiter verum & certum sit in omnibus: at non omnibus conclusionibus scientiæ assensum damus ex eodem motiuo, sed ex diuersis, vt perspicuum est; quare etsi acquiramus facilitatem ad assentiendum alicui conclusioni, non sequitur quod eandem propensionem experiamur ad assentiendum alijs, maximè si nullam habeant cum illa connexionem.

Dico 2. *Extensionem habituum moralium non fieri per additionem habituum partialium specie à prioribus distinctorum.* Probatur, quia cùm quis acquisiuit habitum temperantiæ in materia cibi, & postea incipit exercere temperantiam in materia potus, ad illam extensionem non requiritur nouus habitus à præcedenti specie distinctus, sed idem intensior factus ad id sufficere potest; eò quòd vtraque abstinentia, tam in cibo quàm in potu à motiuo eiusdem honestatis procedit.

Confirmatur, nam ratio cur ad diuersas conclusiones requiruntur diuersi habitus, ea est

quia pendent à diuersis motiuis; Ergo quando idem est motiuum, vt contingit in temperantia, alijsque virtutibus moralibus, non est constituendus habitus specie à præcedenti distinctus.

Obijcies, multiplicantur habitus ob nouas & distinctas difficultates; at hic est noua difficultas, qui enim facile abstinentiam seruat in cibo, non rarò eam difficilè seruat in potu, & vice versa. Ergo ad vtramque abstinentiam requiruntur distincti habitus. Respondeo non sequi, quia difficultas illa cùm non oriatur ex diuerso motiuo, sed ex alijs causis, v. c. ex corporis temperamento, se habet per accidens & materialiter ad productionem habitus; adeoque diuersum specie habitum inducere non debet, sed ad summum intensionem aliquam habitus præcedentis.

Quæritur 3. Quomodo habitus acquisiti minuantur, & corrumpantur.

Respondeo 1. Non dubium esse quin omnes habitus corrumpantur, quando destruitur subiectum cui proximè inhærent, cùm habitus sit accidens, & non possit accidens, naturaliter existere sine subiecto inhæsionis, vel ad aliud transire. Verùm quia habitus qui sunt in subiecto spirituali & incorruptibili, eo modo destrui non possunt,

Respondeo 2 Habitus destrui per actus, & per habitus contrarios, v. c. habitum temperantiæ per actus & per habitum intemperantiæ. Quia ea est natura contrariorum, vt se mutuò expellant ab eodem subiecto. Est tamen discrimen inter illa, quòd habitus destruitur formaliter per habitum contrarium, sicut frigus per calorem; quia cùm se habeant tanquam formæ incompossibiles in eodem subiecto, ne-

cesse est vt ad præsentiam vnius alia expellatur: destruitur verò effectiuè per actum contrarium, quatenus actus ille est causa effectiua habitus contrarij à quo alter expellitur; non enim causa effectiua tendit per se immediatè ad destructionem alicuius rei, sed tantùm ad productionem alicuius formæ, quæ si cum alia sit incompossibilis, agens dicitur illius destructionem mediatè, & per accidens intendere.

Respondeo 3. Habitum non destrui per solam actuum cessationem. Probatur quia si hoc esset, sequeretur statim atque cessatur ab actu, habitum minui, & ita breui tempore omnino euanescere, nisi actus illius conseruatiui renouentur; ad eum modum quo sonus deficiente causa conseruante, statim languescit, & post breuem moram omnino deficit. At hoc repugnat experientiæ, cùm non rarò post satis longam actuum cessationem, habitus antea comparatos in nobis adhuc vigere sentiamus. Quare dici non potest eiusmodi habitus per solam actuum cessationem destrui.

Vnde quando oppositum contingere videtur, dicendum est habitus præcedentis destructionem in aliam causam referendam esse; nempè vel in diminutionem potentiæ, & consequenter habitus ei inexistentis. Constat enim partes animalis paulatim effluere per actionem caloris naturalis, sicque habitus iis inexistentes paulatim deficere posse; qua ratione habitus & species quæ sunt in cerebro, successu temporis destrui possunt. Vel in acquisitionem habitus contrarij, sæpe enim cessantibus actibus certæ rationis oppositi sensim eliciuntur, quibus producuntur

noui habitus antiquis contrarij; vel in actus & habitus disparatos qui in eadem potentia multiplicantur: potentiæ enim naturales cum sint limitatæ, non sunt capaces plurimorum habituum quibus ad multiplicia obiecta vehementer inclinentur, vt vel ipsa patet experientia. Quare cùm acquirantur habitus quibus ad noua obiecta vrgentur, paulatim minuitur inclinatio quam ad alia obiecta, etiam disparata habebant.

ARTICVLVS V.

De causalitate habituum.

DVbium hic occurrit, quomodo habitus iuuet potentiam ad actum quem cum illo elicit. Qua in re quatuor sunt dicendi modi, primus eorum qui existimant cum communiori sententia, habitum concurrere effectiuè cum potentia ad substantiam & modum actus. Secundus eorum qui putant habitum concurrere effectiuè ad modum seu facilitatem actionis, non autem ad substantiam seu entitatem illius. Tertius eorum qui arbitrantur habitum non concurrere efficienter siue ad entitatem, siue ad modum actus, sed tantùm dispositiuè seu passiuè præparando potentiam ad actum recipiendum. Quartus eorum qui docent habitum nullo ex dictis modis concurrere ad actum, sed se habere tanquam rationem agendi, non quidem simpliciter necessariam ad agendum, sed quæ potentiam inclinet ad facilius operandum, ita vt non tam sit ratio agendi quàm ratio promptius agendi. Quo referri posse videtur

eorum ſententia qui aiunt, habitum facilitare ad actum in genere tantùm cauſæ formalis, nimirum informando tantùm potentiam, & nihil aliud præſtando.

Reſpondeo & dico 1. *Habitum non ſe habere tantùm diſpoſitiuè ſeu paſſiuè per modum ſubiecti, ad actum recipiendum.* Probatur 1. ex vulgari illo proloquio, habitibus vtimur cùm volumus; quod planè indicat habitus dari ad operandum, non autem ad recipiendum; vt iuſtitia acquiritur ad actus iuſtitiæ faciliùs exercendos, temperantia ad actus temperantiæ, & ita de alijs.

Probatur 2. Quia per habitum tribuitur facilitas oppoſita difficultati quam potentia habitu deſtituta experitur: atqui potentia non experitur difficultatem quoad receptionem actuum, ſed quoad eorum productionem, voluntas v. c. cùm ſit potentia ſpiritualis, omnimoda facilitate recipit in ſe actum ſpiritualem iuſtitiæ, vel temperantiæ ab ipſa productum; non tamen ita facilè eiuſmodi actus producit, eò quòd ad actus oppoſitos inclinatur & veluti trahitur. Quare per habitum tribuitur facilitas ad operandum, adeoque proprium illius munus non eſt ſubiectum diſponere ad receptionem actus.

Probatur 3. Quia habitus producitur per actus, & potentiam inclinat ad actus ſimiles ijs à quibus productus eſt, vt tradit Ariſtot. 2. Ethic. cap. 1. & idem vel ipſa experientia manifeſtè oſtendit; cùm omnes qui habitum aliquem compararunt, per illum inclinentur ad actus ſimiles; imò longè maiori facilitate & delectatione eos efficiunt, quàm ante acquiſitionem habitus. Quare fatendum eſt habitus non ſe habere merè paſſiuè reſpectu

actuum ad eos recipiendos, sed aliquo modo potentiam disponere ad eorum productionem.

Probatur 4. Quia non potest saluari diuisio habituum communiter recepta, in habitus practicos & speculatiuos, si dicamus habitum dari tantùm vt disponat subiectum ad actus recipiendos, tum quia actus tam practici, quàm speculatiui in potentia recipiuntur; tum quia illi dicuntur habitus practici, qui tendunt ad praxim; speculatiui verò, qui in sola speculatione conquiescunt; at praxis & speculatio sunt operationes, adeoque habitus ad illa tendens non datur ad solam actus receptionem.

Dico 2. *Negari non posse quin habitus aliquo modo concurrat ad agendum.* Patet ex dictis, nam rationes allatæ non modo ostendunt habitus non concurrere tantùm materialiter & dispositiuè ad receptionem actuum, sed etiam iuuare potentiam ad actum maiori cum facilitate eliciendum, sicque aliquo modo concurrere ad agendum.

Et confirmatur, nam duplicem possumus concipere inclinationem in potentia aliqua, aliam ad agendum, aliam ad recipiendum: atqui habitus non tribuit inclinationem ad recipiendum, vt ostensum est, ergo dat inclinationem ad agendum. Quod maximè verum esse ostenditur in habitibus potentiarum transeunter agentium; cum enim actus non recipiatur in illis, sed in subiecto distincto, hinc manifestum est habitum non disponere potentiam ad receptionem actus.

Est autem difficultas in primis an habitus concurrat effectiue cum potentia ad actum, an tantùm per modum cuiusdam rationis seu

conditionis præuiæ, ad eum modum quo cognitio concurrit ad actus voluntatis. Respondeo ex communi sententia, concurrere effectiuè, vt etiam colligitur ex dictis; tum quia vti habitibus ad arbitrium, nihil est aliud quàm eos ad operandum applicare cùm libet. Tum quia qualitas se tenens ex parte potentiæ, non ad patiendum, sed ad agendum, debet conferre vim aliquam agendi, vt patet in siccitate quæ calori superaddita, eum iuuat ad calefaciendum. Tum quia non potest intelligi quod agens vt agens, melius nunc se habeat quàm priùs se haberet, quin addita illi sit vis aliqua agendi; at per habitum agens vt agens, se habet meliùs quàm prius se haberet, cùm actus qui antea ab illo non fiebat nisi ægrè, fiat iam cum magna facilitate & voluptate: ergo per habitum illi est adiuncta virtus quædam actiua qua iuuatur in operatione.

Vnde non sufficit explicare concursum habitus per rationem agendi sine efficientia, eo modo quo explicatur concursus cognitionis ad volitionem: nam cum per cognitionem obiectum proponatur voluntati, ea cognitio potest mouere voluntatem moraliter ad actus suos; at habitus minimè cognoscitiuus non est agens morale, sed Physicum pondere suo inclinans ad actum sibi similem; quare non potest concurrere nisi Physicè ad actum potentiæ in qua existit, eo modo quo grauitas non potest nisi Physicè concurrere ad motum lapidis, quo illum deorsum premit.

Nec etiam sufficit totum habitus officium ad causalitatem formalem redigere, quia præter quam quod potentiam informat; eam insuper iuuat ad actum eliciendum, effectiuè

ad illum concurrendo. Eam etiam inclinat ad actum eliciendum, vt patet experientia, quod non præstat in genere causæ formalis, cùm neque hanc formam, neque illius effectum formalem in nobis per experientiam deprehendere possimus; sed in genere causæ efficientis, concurrendo nempe cum potentia ad actum quendam imperfectum complacentiæ, quo ad opus perfectum inclinatur; vt cùm temperans sentit se interiùs moueri & allici ad actum temperantiæ.

Dubitatur præterea, quidnam id sit ad quod habitus concurrit effectiuè, an tantùm modus aliquis actus, vel illius intensio, an verò ipsa entitas actus à potentia producti. Nonnulli putant per habitum conferri aliquos gradus intensionis supra substantiam actus à potentia productam.

Sed malè, nam etsi habitus remotione impedimentorum sit interdum causa, vt potentia iam expeditior maiori conatu & intensiùs operetur, non tamen possunt illi tribui nonnulli gradus intensionis qui à potentia non efficiantur; tum quia repugnat v. c. aliquos gradus cognitionis actualis, vel amoris non elici ab intellectu vel à voluntate. Tum quia potentia etiam habitu destituta, potest actus valide intensos elicere, & vice versa potentia habitu etiam intenso instructa, potest remissè operari. Tum quia habitus acquisiti non tribuunt facultatem simpliciter aliquid agendi, sed tantùm cum maiori promptitudine & facilitate illud operandi, quod sine illis fieri posset, vnde

Dico 3. *habitum acquisitum non modo tribuere facilitatem & promptitudinem potentiæ ad agendum, sed etiam effectiuè & realiter concurrere ad ipsam*

ſubſtantiam ſeu entitatem actus. Probatur ex ante dictis, nam omnia fere quæ allata ſunt, ſiue ad probandum habitum non ſe habere per modum diſpoſitionis, præparantis potentiam ad receptionem actus; ſiue ad oſtendendum habitum non ſe habere tantùm per modum rationis, aut conditionis, aut formæ informantis, ſed habere vim aliquam effectiuam in ordine ad actum, ſatis perſpicuè concludunt in habitu admittendam eſſe vim aliquam actiuam, quæ effectiuè influit cum potentia in ipſum actum entitatiuè ſpectatum, vt intuenti perſpicuum fiet.

Confirmatur, quia cùm facilitas quam tribuit habitus, ſe teneat ex parte potentiæ, non debet conſiderari ex parte actus modus aliquis qui ab habitu produci poſſit, ſed tantùm ſubſtantia & entitas illius, quæ à potentia ſimulque ab habitu ei inexiſtente effectiuè & realiter pendeat. Eò vel maximè quia potentia habitu inſtructa id ipſum faciliùs exequitur, quod non niſi ægrè ſe ſola præſtaret: at hoc eſt actus ipſe ſecundum ſubſtantiam & entitatem ſpectatus. Ergo etiam habitus concurrit effectiuè ad productionem actus, quoad entitatem ſpectati.

Quod adhuc ſuadetur, quia cùm actus concurrat effectiuè ad entitatem habitus, non debet denegari habitui ſimilis virtus ad productionem actus, non quidem eiuſdem, ſed alterius ſimilis; ad eum modum quo planta producit ſemen ei ſimile, à quo ipſa producta eſt.

Obijcies 1. actus intellectus & voluntatis ſunt vitales, ergo habitus non poteſt effectiuè ad illos concurrere; ſequela patet, quia habitus eſt cauſa non vitalis; at repugnat cauſam non vitalem ad effectum vitalem concurrere effe-

ctiuè: Respondeo consequentiam negandam esse, & illius probationem, nam ex ea sequeretur species intelligibiles & sensibiles cum non sint causæ vitales, non posse effectiuè concurrere ad operationes vitales, contra communem omnium sententiam: sequeretur etiam habitus fidei, spei, & charitatis non concurrere effectiuè ad actus nostros supernaturales; sicque hos actus totaliter oriri à potentiis naturalibus animæ, quod repugnat fidei.

Sicut ergo species intentionalis, etsi non vitalis, potest concurrere cum oculo ad eliciendam visionem; ita habitus etsi in se non sit vitalis, potest cum potentia vitali quam informat, concurrere effectiuè ad actum vitalem. Et ratio est, quia quando duæ causæ simul iunguntur, vt per modum vnius principij totalis aliquem effectum producant, non est necesse vt quidquid est perfectionis in effectu, cuilibet ex illis causis seorsim spectatis respondeat; ita vt quælibet possit, etiam separata ab alia, eiusmodi effectum ex parte producere, etsi interdum oppositum contingat. Id patet in exemplis allatis, non enim potest oculus elicere visionem sine specie obiecti, nec species sine visu: Non etiam potest intellectus elicere actum supernaturalem sine habitu, vel auxilio eiusdem ordinis, nec habitus sine intellectu. Et idem dicendum de aliis causis quæ sunt inter se essentialiter subordinatæ in operationibus suis. Quamuis secus dicendum de ijs quæ talem subordinationem non habent, vt patet in duobus hominibus, trahentibus simul aliquod pondus, cuius partem possent singuli seorsim trahere.

Obijcies 2. si habitus acquisitus concurreret non modo ad facilitatem, sed etiam ad enti-

tatem actus, sequeretur per illum dari facultatem simpliciter operandi, non autem tantùm facilius operandi; sicque eum non distingui ab habitibus infusis, qui ex communi Theologorum sententia, tribuunt simpliciter facultatem operandi. Respondeo non sequi, nam etsi habitus acquisitus sit causa vt entitas actus faciliùs fiat, adeoque ad entitatem illam concurrat effectiuè, non tamen tribuit potentiæ vim simpliciter operandi; quia potentia posset etiam sine habitu acquisito, quamuis non sine difficultate, eundem actum substantialiter spectatum producere. At habitus infusus tribuit simpliciter facultatem eliciendi actum supernaturalem, quia potentia naturalis eo habitu destituta nullo modo potest eiusmodi actum producere, nisi defectus habitus per auxilia actualia eiusdem ordinis suppleatur, vt non semel dictum est.

ARTICVLVS VI.

De diuisione habituum.

HAbitus variis modis diuidi solent, primò in infusos & acquisitos, secundò in speculatiuos & practicos: tertiò in virtutes, & non virtutes; quartò in intellectuales, & morales. Verùm de hac postrema tantum diuisione cùm sit præcipua, solaque expensione indigeat, aliquid hic nobis inquirendum est.

Quæritur 1. quot sint habitus intellectuales. Respondeo quinque vulgò assignari ex Arist. 6. Ethic. cap.3. nempe intellectum, scientiam, sapientiam, prudentiam, & artem. Quæ diuisio non est adæquata, si intelligatur de omnibus

habitibus intellectualibus; cùm in ea non includantur fides, & opinio quæ sunt habitus ad intellectum spectãtes; sicut nec habitus illi qui facultates dicuntur, quales sunt Rhetorica, & Grammatica. Quare accipienda est diuisio de habitibus intellectualibus, quibus homo vtens semper attingit verum; tales enim habitus sunt propriè virtutes intellectuales, cum ex 7. Physic. tex. 17. virtus sit *dispositio perfecti ad optimum*, & nihil sit melius in intellectu quàm versari infallibiliter circa verum. Vnde eo sensu fides (scilicet humana) & opinio non ponuntur inter habitus intellectuales, cum à vero deficere possint; nec prædictæ facultates, quia cùm agant de rebus omnibus in vtramque partem, à vero deficere possunt.

Cæterum quòd prædicta diuisio sit adæquata, si agatur de habitibus quibus per se intellectus perficitur, hoc discursu ostendi potest. Cùm bonum intellectus sit verum infallibiliter cognoscere, tunc intellectus est optimè dispositus, quando verum infallibiliter cognoscit, vt sumitur ex sancto Thoma 1. 2. q. 57. art. 1. & 2. at intellectus vel cognoscit vniuersale, vel singulare, si vniuersale, vel illud est per se & immediate cognoscibile, seu ex sola notitia terminorum, & sic habitus intellectus in illud fertur: vel est tantùm cognoscibile per medium seu per discursum, quod dupliciter contingere potest, vel ita vt cognoscatur per causas inferiores, quomodo attingitur ab habitu scientiæ, vel per causas superiores, qua ratione habitus sapientiæ ad illud terminatur. Si verò intellectus cognoscit singulare, ad illius cognitionem iuuatur per habitum prudentiæ, si sit aliquid agibile iuxta rectæ rationis præscriptum; aut per habi-

tione acquirat maiorem facilitatem ijs assentiendi. Quare cùm per assuetudinē non augeatur potentia ipsa intellectiua, fatendum est in illa produci quemdam habitum, quo magis inclinatur ad assentiendum primis principiis: ad eum modum quo pleræque virtutes habituales ponuntur in voluntate, etsi illa naturaliter in bonum honestum propendeat,

Nota hunc habitum ab aliis intellectualibus supponi, ipsum verò sine vllo alio posse subsistere. Nam cùm per illū cognoscamus veritatē primorum principiorum, à quibus omnium scientiarum veritas dependet, cùm ipsa ab ijs non pendeat; hinc fit posse reperiri perfectum habitum intellectus sine scientia, sapientia, aliisue habitibus intellectualibus; non tamen aliquem ex illis habitibus sine intellectu, ad cuius saltem veritatem reduci possint.

Dico 2. *Nomine scientiæ propriè intelligi habitum per veram demonstrationem generatum.* De quo in Logica actum est, vbi ostendimus duplicem esse demonstrationem, & per vtramque veram scientiam generari, licèt non æquè perfectam.

Hic solum aduerte, scientiam distingui ab habitu intellectus, quòd cùm prima principia sint per se euidentia, intellectum conuincunt, adeoque non indigent probari per aliquod medium notius: at scientia versatur circa conclusiones, quæ non sunt per se notæ, nec intellectum conuincunt: quare assumit principia tanquam medium notius, quo ducatur in earum cognitionem.

Dico 3. *Nomine sapientiæ varia posse significari.* Primò congeriem plurimarum vel omnium scientiarum in eodem homine existentem. Secundò excellentiam cuiuslibet scientiæ vel ar-

tis, quomodo Apelles sapientissimus pictor vocari solet, & Polycletus sapientissimus statuarius. Tertiò magis propriè scientiam omnium excellentissimam; quo sensu Aristoteles Metaphysicam vocat sapientiam, quia superiorem Theologiam non agnouit, cui potiori iure titulus sapientiæ debetur.

Vbi aduerte 1. varias tradi conditiones sapientiæ, quæ omnes ad istas quatuor reduci possunt; prima est vt sapientia versetur circa res vniuersalissimas & altissimas; secunda, vt vniuersalissima rerum principia tradat; quia particularia cuiuslibet obiecti principia in scientiis particularibus tradi debent. Tertia, vt iudicium ferat de principijs & conclusionibus aliarum scientiarum, ijsque lucem aliquam & robur conferat. Quarta, vt sit sui gratia, seu vt sit speculatiua: quæ omnes conditiones Metaphysicæ apprimè conueniunt, vt ex supradictis satis intelligitur.

Aduerte 2. Illud esse discrimen inter sapientiam & scientiam, quòd scientia strictè sumpta versatur tantum circa conclusiones, sapientia verò ex communi sententia, dicitur versari circa principia & conclusiones, adeoque habet simul rationem intellectus & scientiæ: vnde colligi potest sapientiam non esse quintum habitum ab aliis omnino distinctum, eo modo quo intellectus, scientia, prudentia, & ars inter se distinguuntur, sed duos ex illis quatuor habitibus inter se coniunctos.

Dico 4. *Nomine prudentiæ intelligi habitum cum vera ratione actiuum, circa ea quæ homini bona vel mala sunt.* Id est quo dirigitur homo vt rectè iudicet in iis quæ sibi agenda, vel non agenda sunt, per ordinem ad rectam rationem. Ex quo patet habitum prudentiæ esse in intellectu

practico, cùm deliberare & iudicare de rebus agendi ad eiusmodi intellectum spectet.

Quo loco aduerte prudentiam non videri vnum simplicem habitum, iuxta mentem sancti Thomæ 1. 2. q. 57. art. 6. vbi docet post Aristotelem, quatuor virtutes ad prudentiam pertinere, nempe Cabaliam, quæ diligenter inquirit quid & quomodo in quolibet negotio rectè gerendo obseruandum sit; Synesim, quæ iudicat quid agendum sit iuxta legem communem; Gnomen quæ rectum fert iudicium de agendis, quando lex communis deficit, & virtutem quam vocant Præceptiuam, quæ propriè Prudentia vocatur, cuius officium est imperare quod agendum est.

Hoc tamen non caret difficultate, tum quia consultare de mediis, & iudicare de illis siue per legem communem naturalem, aut positiuam, siue ex æquo & bono, quando leges illæ deficiunt, videntur tantum diuersæ functiones eiusdem habitus. Tum quia non apparet cur necessaria sit in prudentia virtus aliqua præceptiua distincta à iudicio.

Dico 5. *Artem esse habitum cum recta ratione effectiuum, seu factiuum.* Ex quo patet artem versari circa effectionem seu factionem, quo nomine à nonnullis intelligitur operatio transiens in exteriorem materiam, qualis est ars ædificandi: Vnde iuxta illorum sententiam, ars distinguitur à prudentia, quòd ars versatur circa materiam transeuntem, prudentia verò circa actiones tantum immanentes.

Verùm quia virtutes aliæ morales, & consequenter ipsa prudentia earum directrix, versantur etiam circa res externas, vt patet in temperantia, liberalitate, &c. dicendum potiùs videtur ex mente Philosophi, per effe-

ctionem intelligi opus quodcunque externum, vt fit præcisè iuxta regulas artis; sicque effectionem ab actione distingui, quod hæc coniuncta est cum electione & rectitudine morali. Quare etsi ars & prudentia in eo conueniant, quòd vtraque versatur circa aliquid particulare & contingens, seu quod potest esse vel non esse; in eo tamen discrepant, quòd ars inspicit tantùm rectitudinem operis, non autem rectitudinem operantis, quæ in morali honestate consistit: contrà verò prudentia attendit in suis actionibus rectitudinem moralem, seu bonum ipsius operantis; ita vt nihil præscribat nisi quod rectæ rationi & honestati est conforme. Atque hoc discrimen non leuiter insinuatur in allatis definitionibus artis & prudentiæ: ars enim dicitur simpliciter habitus cum recta ratione effectiuus, prudentia verò dicitur habitus cum vera ratione actiuus, circa ea quæ homini bona vel mala sunt; siquidem nihil homini bonum aut malum est, nisi quod morali honestati consentaneum vel incongruum est.

Vnde S. Thomas 1.2. q. 57. art. 4. docet ad prudentiam requiri quòd homo sit bene dispositus circa finem, quod fit per appetitum rectum; & ideo ad prudentiam requiri virtutem moralem per quam fit appetitus rectus; bonum autem artificialium non esse bonum appetitus humani, sed bonum ipsorum operum artificialium, & ideo artem non supponere appetitum rectum. Hincque colligit magis laudari artificem qui volens peccat, quàm qui peccat nolens; magis autem contra prudentiam esse quòd aliquis peccet volens, quàm nolens; quia rectitudo voluntatis est de ratione prudentiæ, non de ratione artis.

Quæritur 3. Quid dicendum sit de habitibus moralibus. Respondeo duobus modis habitum aliquem dici posse moralem, primò quia est elicitiuus actus moralis & liberi, quomodo iustitia, temperantia, fortitudo, & vno verbo omnes habitus siue boni siue mali qui resident in voluntate, eamque iuuant ad liberè operandum, dicuntur habitus morales. Secundò quia actus moralis fit ex illius præscripto seu directione, quo sensu prudentia inter habitus & virtutes morales numeratur, etsi subiectiuè sit in intellectu, eoque titulo sit habitus intellectualis, vt dictum est. Verùm de virtutibus moralibus ex professo in Idea Ethicæ, Deo fauente, agendum erit.

CAPVT VI.

De Relatione.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quomodo relatio distinguatur à fundamento.

TRia hic, ex communi sententia, supponenda sunt, 1. accidentia esse duplicis generis: quædam enim ita inhærent subiecto, vt non dicant ordinem ad aliud subiectum, simili vel diuerso accidente informatum; alia verò ita subiectum afficiunt, vt simul dicant ordinem ad aliud subiectum simili vel diuerso accidente instructum: & quidem accidentia prioris generis dicuntur absoluta, quo in genere sunt candor niuis, nigre-

do corui, & similia: non enim nix est candida, aut coruus niger per respectum ad aliud, sed per se & in se absolutè, accidentia verò posterioris generis dicuntur relatiua, in quibus numerari solent paternitas, filiatio, similitudo, & similia.

Supponendum 2. Commune esse omnibus accidentibus dicere *in*, id est inhærere subiecto, relationem verò non modo dicere, *in*, sed etiam dicere *ad*; quatenus ita inhæret subiecto vt illud referat ad aliud, quod non ita intelligi debet, vt relatio quatenus accidens dicat *in*, & quatenus tale accidens, seu vt relatio, non dicat *in*, sed *ad*; siquidem relatio vt relatio, est accidens, adeoque etiam vt relatio debet inhærere subiecto, eo vel maximè quia aliàs non posset per illam subiectum denominari relatum. Quare dicendum relationem & vt accidens, & vt tale accidens inhærere subiecto, sicque vtroque modo dicere *in*; id tamen non impedire quin relatio vt relatio, essentialiter dicat *ad*, quia ita afficit subiectum vt illud denominet non in ordine ad se, sed per ordinem ad aliud; vt patet in similitudine quæ secundum totam suam entitatem siue communem accidentis, siue propriam talis accidentis, inest parieti albo; illum tamen sic afficit, vt eum denominet similem, per ordinem ad alium parietem album.

Supponendum 3. multa in relatis solere distingui, in iis enim reperitur relatio, relatiuum, correlatiuum, subiectum, extremum, fundamentum, ratio fundandi, & terminus. Relatio est forma illa qua vnum refertur ad aliud, v. c. paternitas, æqualitas, similitudo, &c. relatiuum seu relatum est illud quod ex relatione, & illius subiecto coalescit, vt pater

qui dicit hominem & paternitatem: correlatiuum est ipsum relatiuum non præcisè, sed vt comparatur cum altero relatiuo, eique respondet, vt pater quatenus respicitur à filio: subiectum est id cui aduenit relatio, eique substernitur, vt homo cui aduenit paternitas: extremum interdum sumitur pro subiecto, non rarò tamen per extrema relationis intelliguntur ipsa correlatiua, quatenus habent relationem veluti mediam: fundamentum est id quod est causa seu ratio quare forma illa, quæ dicitur relatio, conuenit subiecto; vt fundamentum paternitatis est potentia generatiua, quantitas æqualitatis, qualitas similitudinis: ratio fundandi, quæ à nonnullis vocatur fundamentum proximum, est conditio sine qua relatio non resultat, vt generatio est ratio fundandi relationem paternitatis, & vnitas specifica inter duo alba est ratio fundandi similitudinem inter illa. Tandem vocamus terminum relationis id ad quod relatiuum directè & primò refertur, vt filius est terminus relationis patris. Est autem grauis difficultas, an verum sit quod supponitur in sententia communi iam relata, nimirum relationem esse accidens aliquod realiter distinctum à suo fundamento, v. c. similitudinem ab albedine, æqualitatem à quantitate, & sic de alijs.

Respondeo probabilius mihi semper visum esse, non debere admitti distinctionem realem inter relationem & fundamentum. Probatur 1. argumento illo vulgari, sed non parum efficaci: Nam si relatio diceret entitatem realiter distinctam ab entitate fundamenti, sequeretur ex eo quòd vnus paries Lutetiæ dealbatur, omnia corpora alba & nigra quotquot in toto orbe reperiuntur, nouam realitatem

accipere, & aliam deperdere. Imò quoties musca vel tantillum mouetur, res omnes creatas siue in terra, siue in cœlo existentes, in se recipere realitatem aliquam per quam dicant ordinem propinquitatis, vel distantiæ ad illam, & amittere aliam realitatem per quam antea eam aliter respiciebant. Quis autem sibi persuadeat, vel ad motum vnius muscæ totum orbem realiter immutari, idque dupliciter, acquirendo nempe vnam entitatem realem, & aliam deperdendo? Hoc sanè fidem nostram superat, cum talis mutationis nulla causa assignari possit, neque vllum indicium.

Probatur 2. Nam si relatio est entitas realis à fundamento distincta, & ab illo producta, vt volunt aduersarij; ergo datur inter fundamentum & relationem relatio causæ & effectus. Hæc autem relatio media inter fundamentum & relationem, vel dicit entitatem realiter distinctam ab entitate fundamenti, vel non; si dicit entitatem distinctam, hæc etiam cùm sit effectus, dicet relationem realem ad fundamentum, sicque dabitur progressus in infinitum à nemine admissus: si verò non dicit entitatem distinctam, idem affirmari debet de prima relatione quæ est inter fundamentum & terminum, vt contendimus.

Probatur 3. Nam præcisa quacunque entitate intermedia, duo alba eo ipso quod sunt alba, sunt inter se similia; ergo similitudo non dicit entitatem aliquam ab vtraque albedine distinctam. Antecedens probatur, nam quid est vnum parietem album esse alteri similem? certè aliud nihil quàm hunc esse album, sicut ille est albus; quod verè dici potest modo vterque in eodem gradu albus sit, esto ab ijs tollatur quæcunque alia realitas ab albedine distincta.

distincta. Consequentia iam facilè ostenditur, quia frustrà ad similitudinem ponitur entitas ab vtroque pariete albo distincta, cùm sine illa sint inter se similes.

Nec dicas, duo alba in ea hypothesi fore tantùm fundamentaliter similia, non autem formaliter: quæ enim formaliter in aliquo conueniunt, non tantum fundamentaliter, sed etiam formaliter sunt similia, cùm nulla perfectior similitudo quàm inter illa reperiri possit: at duo alba formaliter conueniunt in albedine, ergo sunt formaliter similia. Confirmatur, nam vt duæ quantitates sint formaliter æquales, nihil aliud requiritur quàm vt quælibet tantum habeat quantitatis, nec plus, nec minus quàm alia; ac proinde relatio æqualitatis nihil est realiter distinctum ab ipsis quantitatibus.

Probatur 4. Nam sicut est relatio similitudinis inter duas albedines, ita & inter duas albedinum similitudines, inter duas paternitates, inter duas æqualitates, &c. Sed similitudo quæ reperitur inter duas similitudines aliasue relationes, non dicit entitatem aliquam ab ipsis relationibus distinctam; quia alioqui res abiret in infinitum; ergo neque relatio similitudinis inter duas albedines, dicit entitatem aliquam realem ab ipsis albedinibus distinctam.

Obiicies 1. ea distinguuntur realiter, quorum vnum potest esse sine alio; sed fundamentum potest existere sine relatione, vt album sine similitudine; ergo relatio distinguitur realiter à fundamento. Respondeo hoc argumento non concludi, relationem esse formam quandam accidentalem aduenientem fundamento, & ab eo realiter distinctam, vt contendunt aduersarij; sed tantùm relationem

non ita adæquatè identificari cum solo fundamento, quin ad illius existentiam requiratur etiam terminus; quod nos vltro concedimus. Album enim per suammet albedinem, sine alia realitate ipsi inhærente, est simile alteri albo; vt tamen dicatur alteri simile, necesse est vt illud existat. Quemadmodum Deus sine vlla entitate sibi adueniente dicitur realiter creator, & conseruator Petri; non tamen sine Petro creato, & conseruato eiusmodi denominationes habere potest. Itaque ad minorem dicimus, fundamentum quidem solum posse existere sine relatione, non tamen fundamentum simul cum termino: vnde ad summum colligitur, relationem adæquatè spectatam dicere quid distinctum realiter à fundamento præcisè spectato, non tamen à fundamento simul & termino, de quo est difficultas.

Obiicies 2. Non potest eadem res simul intendi & remitti, sed fieri potest vt intendatur fundamentum & remittatur relatio, vt si sint duo alba vt quatuor, & vnum fiat magis album, tunc enim minor erit inter illa similitudo; Contrà verò fieri potest vt remittatur fundamentum, & relatio intendatur; vt si sint duo alba, vnum vt sex, aliud vt quatuor, & duo gradus albedinis ex illo tollantur, tunc enim maior erit inter illa similitudo. Respondeo maiorem falsam esse, de eadem entitate diuersimode spectata, vt hic concipitur: Nam eò ipso quòd ex duobus æqualiter albis vnum recipit plures gradus albedinis, iam illud est magis album quàm aliud, adeoque est minùs illi simile quàm antea, etsi inter vtrumque nulla alia mutatio realis aduenerit. Contrà verò si ex magis albo tollantur quidam gradus albedinis, eo ipsò sine alia mutatione reali,

maior erit inter vtrumque similitudo. Confirmatur hæc responsio retorquendo argumentum contra similitudinem, quæ in ratione paternitatis inter duos homines reperitur; fieri enim potest vt paternitas augeatur, & minuatur similitudo, & è contra illa minuatur, & hæc augeatur, vt intuenti perspicuum fiet: & tamen non audent Aduersarii distinctionem realem constituere inter paternitatem, & similitudinem quam fundat cum alia paternitate.

Obiicies 3. Si relatio non distinguitur realiter à fundamento, sequitur relationes omnes quotquot in re aliqua reperiuntur, non modo cum illa identificari, sed etiam inter se; quod tamen videtur absurdum: quia aliàs sequeretur similitudinem & dissimilitudinem entitatiuè non distingui. Respondeo hoc totum à nobis concedi, neque esse absurdum si bene intelligatur: siquidem paries albus per eandem albedinem qua est similis parieti albo, est dissimilis nigro, adeoque similitudo & dissimilitudo non distinguuntur realiter ab albedine, quantum est ex parte ipsius, esto dicant aliquam distinctionem ratione termini. Eò vel maximè quia dummodo maneant duo parietes albi, & vnus niger, quacunque alia entitate seposita, semper verum erit parietem album esse similem albo, & dissimilem nigro.

Obiicies 4. Quando producitur secundus paries albus, vel prior recipit de nouo aliquam realitatem vel non; hoc secundum dici non potest, quia sequeretur relationem nihil esse; quòd si primum dicatur, ergo relatio distinguitur realiter à pariete cui de nouo aduenit. Respondeo priorem parietem in eo casu nullam nouam realitatem in se reci-

pere, non tamen inde sequi relationem absolutè nihil esse, sed tantum nihil esse distinctum realiter à fundamento & termino. Nec dicas parietem album accipere de nouo esse respectiuum, cùm antea haberet tantùm esse absolutum: Nam illud idem esse absolutum manens in se realiter immutatum, incipit esse etiam respectiuum, eò ipsò quòd alius paries dealbatur. Hoc enim præcise sufficit vt primus paries dicatur secundo similis, quia iam est albus sicut ille, cùm antea tantum esset albus.

Obijcies tandem hac ratione prædicamentum relationis omnino euerti; quia si relatio est idem cum fundamento, hinc sequitur relationem identitatis non distingui à substantia, nec relationem æqualitatis à quantitate, nec relationem similitudinis à qualitate, & ita frustra dari prædicamentum relationis ab alijs distinctum. Respondeo non magnum esse incommodum si id totum concedamus, cùm numerus prædicamentorum sit valde arbitrarius, vt alibi dictum est. Potest tamen negari consequentia, quia etsi relatio identificetur cum entitatibus aliorum prædicamentorum, id non impedit quin entitates illæ, vt per se dicunt ordinem aliquem & respectum ad alias, prædicamentum ab ijs distinctum constituant; sicut actio & passio, etsi Physicè sint vna & eadem entitas, constituunt duo prædicamenta distincta, iuxta diuersum modum quo considerantur.

ARTICVLVS II.

De subiecto relationis.

QVæritur 1. An relatio identitatis fundetur immediatè in substantia. Respondeo affirmatiuè, quod probatur 1. quia sicut vna quantitas per se ipsam fundat æqualitatem cum alia quantitate, & vna qualitas similitudinem cum alia qualitate; ità à pari vna substantia potest per se ipsam fundare relationem identitatis cum alia substantia.

Probatur 2. Duplici exemplo, alterum est rerum omnium creatarum, quæ immediatè per suam substantiam dicunt relationem dependentiæ ad Deum; alterum est filiationis creatæ; quæ immediatè fundatur in ipsa substantia personæ genitæ; quamuis enim in patre creato sit potenria generatiua, in qua relatio paternitatis aliquo modo dici potest fundari; dici tamen nequit in filio esse quandam potentiam passiuam per quam aptus sit generari; cùm substantia illius secundum se sit producta, dicatque ordinem intrinsecum dependentiæ ad principium generans.

Quæritur 2. An relatio possit esse subiectum relationis. Respondeo affirmatiue quod probatur 1. Nam sicut vnum album habet relationem similitudinis ad aliud album, ita vna paternitas habet relationem similitudinis ad aliam paternitatem: ambæ enim sunt similes, sicut duo alba sunt similia. Quare sicut prior relatio similitudinis funda-

tur in albedine, quæ est accidens absolutum; ita posterior fundatur in paternitate, quæ est accidens respectiuum; sicque vna relatio est subiectum alterius

Probatur 2. Nam cùm ex Arist. 3. Metaph. cap. 15. primum genus relationis fundetur in vnitate, vt relatio identitatis inter duos homines, & relatio similitudinis inter duas qualitates; sanè sicut Petrus refertur ad Paulum, quia conuenit cum illo essentialiter in ratione hominis; ita vna paternitas refertur ad aliam paternitatem, & vna similitudo ad aliam similitudinem, propter conuenientiam specificam quam habet cum illa.

Obiicies, si vna relatio fundat aliam, hæc tertiam fundare poterit, sicque res in infinitum abibit. Respondeo hoc argumento valde premi eos qui putant relationem esse entitatem realiter distinctam à fundamento, coguntur enim multiplicare entitates reales in infinitum: in nostra verò sententia progressus ille non habet locum; sicut enim dicimus duo alba esse similia per seipsa, ita & duas paternitates seipsis similes esse profitemur.

Quæritur 3. An sint in Deo relationes reales respectu creaturarum, v. c. relationes creatoris, conseruatoris, & domini. Respondeo 1. in communi sententia quæ relationem distinguit realiter à fundamento, negandum esse nomina creatoris, conseruatoris, & similia dicere relationem realem in Deo respectu creaturarum existentium. Ratio est manifesta, quia, iuxta illam sententiam, sequeretur Deum recipere in tempore entitatem aliquam realem, adeoque realiter componi & mutari; quod planè repugnat diuinæ simplicitati, & immutabilitati.

Neque dicas cum Gilberto Porretano, relationem prædictam etsi realem, & realiter distinctam à Deo, non ponere compositionem aut mutationem in illo, quia non inhæret illi, sed ei assistit: hoc enim gratis confictum est, quia si relatio illa est accidens, ea debet connaturaliter inhærere alicui subiecto; & cum Deum realiter denominet, non alteri quam Deo inhærere potest, sicut paternitas non potest alteri inhærere quàm ei quem denominat patrem. Quare eò ipsò quod Deus est realiter creator, sequitur eum esse realiter compositum, & mutatum.

Respondeo 2. Iuxta sententiam quam vt probabiliorem sequuti sumus, de indistinctione relationis à fundamento & termino, posse poni in Deo relationem realem in tempore respectu creaturarum. Et sanè ex vna parte non minùs verè & realiter Deus est creator omnium rerum quas produxit, quàm homo est pater filij quem genuit: quare cum pater in creatis dicat veram relationem ad filium, negari non potest quin Deus dicat veram relationem ad creaturas, si id aliunde non repugnat. Ex alia verò parte nullum sequitur incommodum in nostra sententia, si ponantur relationes reales in Deo respectu creaturarum; quia cùm relatio creatoris nihil aliud dicat realiter quàm Deum per potentiam suam creantem, connotando res ad extra productas: hinc manifestum est relationem illam posse in tempore aduenire Deo, sine vlla intrinseca illius compositione, aut mutatione. Quia tamen Theologi communiter docent, relationem prædicamentalem non poni in Deo respectu creaturarum, cùm sit ordinis infinitè superioris, & ab ijs omnino independentis, fa-

tendum est ad maiorem Dei perfectionem spectare, vt talis relatio ab eo excludatur, si verum est, vt vulgò supponitur, ea non referri inter se prædicamentaliter, quæ non sunt eiusdem ordinis. An autem hæc suppositio admittenda sit, adeo vt vel sola ordinis diuersitas sufficiat ad excludendam relationem prædicamentalem, aliorum sit iudicium.

ARTICVLVS III.

De termino relationis.

QVæritur 1. An ad relationem necessariò requiratur terminus realiter existens.

Respondeo & Dico 1. *Certum esse relationem transcendentalem non exigere necessariò terminum realiter existentem.* Probatur, quia constat haberi veram scientiam de rosa in hieme, imò & veram scientiam non haberi ex communi sententia, nisi de vniuersalibus, quæ vt sic realiter non existunt. Constat etiam phantasiam, memoriam, imaginem & similia dicere ordinem ad res non existentes quas repræsentant.

Negari tamen non potest quin aliqua relata transcendentalia necessariò exigant terminum actu existentem, qualia sunt vnio extremorum, actio productiua, aliaque eiusmodi; non enim dari potest vnio quin extrema vnita existant, nec actio productiua quin effectus productus existat.

Dico 2. *Relationem prædicamentalem ex natura sua requirere terminum actu existentem.* Probatur primo: Nam ex Aristotele relata prædicamentalia sunt simul natura, ita vt se mutuò ponant & tollant; seu posito vno ponatur alterum, ablato vno tollatur alterum, vt patet

exemplo patris & filij. Nam si est pater, est filius; si non est pater, non est filius, & vice versa. Cum ergo vnum relatum inferat existentiam alterius, hinc perspicuum est relationem non posse subsistere quin illius terminus existat.

Probatur 2. Nam illud poni solet discrimen inter relationem transcendentalem, & prædicamentalem, quod transcendentalis per se intendi & produci potest, vt patet in scientia, alijsque rebus absolutis quæ transcendentaliter ad aliud referuntur; prædicamentalis vero non est per se intenta à natura, non enim per se producitur, sed per accidens ad productionem alterius, iuxta illud vulgatum ex 5. Physic. *ad relationem non datur per se motus*: Vnde alteriùs, nempè termini coëxistentiam necessariò expectat, vt patet in albo quod denominatur quidem album, quamdiu habet albedinem; at propriè non dicitur alteri albo simile, nisi album illud existat.

Obijcies, terminus relationis prædicamentalis est merus terminus, vt dictum est in Logica; at potest aliquid esse merus terminus, etsi actu non existat: quia terminare dicit tantùm respici ab alio, quod merè extrinsecum est respectu termini, & nihil pônit in illo. Respondeo etsi terminus relationis prædicamentalis præcisè vt terminus, non debeat necessariò existere; aliunde tamen requiritur existentia illius, cùm relatio ex eius positione veluti resultet, vt dictum est.

Quæritur 2. An necessaria sit distinctio realis inter fundamentum, & terminum relationis. Respondeo affirmatiuè, nam non est

relatio realis nisi inter duo correlatiua quæ se mutuo respiciunt, & sibi inuicem realiter opponuntur; quare quàm certum est idem non opponi realiter sibi ipsi, tam certum est inter fundamentum & terminum, quorum illud se tenet ex parte vnius correlatiui, & hic ex parte alterius, esse distinctionem realem.

Confirmatur, quia relatio est habitudo vnius ad aliud, ergo ad illam requiritur vnum & aliud, nec sufficit vnum & idem, adeoque versatur inter duo extrema realiter distincta.

Obijcies 1. Illa est relatio realis quæ competit alicui, nemine cogitante; sed nemine cogitante quælibet res habet relationem identitatis ad seipsam, sicut similitudinis, aut diuersitatis ad aliam: ergo talis relatio est realis, esto fundamentum & terminus idem sint. Respondeó minorem falsam esse, nam etsi quælibet res sit idem cum seipsa non tamen habet verum & realem respectum ad seipsam: quia respectus realis est ordo vnius ad aliud, & inter vtrumque debet esse realis oppositio; quòd de eodem dici nequit, vt perspicuum est.

Obijcies 2. Si Deus poneret eandem albedinem in duobus parietibus, illi essent inter se realiter similes, & tamen tunc fundamentum non distingueretur realiter à termino; ergo falsum est quòd relatio realis exigat distinctionem realem inter fundamentum & terminum. Respondeo in eo casu duos parietes non fore realiter similes, vt falso supponitur. Nam sicut ex communi sententia Theologorum, personæ diuinæ non dicuntur realiter similes ob identitatem naturæ; ita si duo parietes diuinitus essent infor-

mati eadem albedine, talis identitas non sufficeret vt dicerentur realiter similes quia potius vt sic, essent quid vnum & idem. Accedit quòd hic negamus esse relationem realem, eiusdem ad seipsum: at quamuis inter illos parietes esset relatio realis, non inde sequeretur esse relationem realem eiusdem ad seipsum; siquidem illi parietes essent inter se realiter distincti, non obstante identitate albedinis.

Quæritur 3. Num subiectum per vnam & eandem relationem referatur ad plures terminos:

RESPONDEO & dico 1. *Diuersas esse relationes quando termini diuersimodè respiciuntur:* Probatur, nam in sententia communi, homo habet aliam relationem ad parentem suum à quo genitus est, aliam specie distinctam ad filium quem genuit; cùm per illam constituatur filius, & per hanc pater. Verùm maior est difficultas, an in eodem subiecto sint plures relationes numero distinctæ, respectu diuersorum terminorum qui eodem modo respiciuntur, v.c. tot paternitates distinctæ in patre, quot sunt filij ab eo geniti. Itaque

Dico 2. *Multiplicandas esse relationes iuxta varietatem terminorum, si illi non sint inter se connexi aut subordinati.* Cùm enim relatio nihil aliud sit à parte rei quàm denominatio quædam respectiua, orta in subiecto ex coexistentia extremi, hinc fit vt in subiecto tot ponendæ sint relationes, quot extrema distincta & minimè connexa illi coëxistere incipiunt: quia totidem denominationes relatiuæ inter illa exoriuntur. Vnde pater habet aliam relationem ad filium quem primò genuit, aliam ad secundò genitum, &c.

Obijcies ex S.Thoma 3. parte, quæst.35.art.5. filium respicere eadem relatione patrem & matrem. Respondeo id non pugnare contra assertionem nostram, quia excepimus terminos inter se connexos, quales sunt pater & mater in ordine ad filium. Cùm enim eos respiciat tanquam vnicum principium adæquatum suæ generationis, sitque idem filius respectu vtriusque, consequenter videtur eos respicere vnica totali relatione filiationis; ita vt non sit nisi partialis & inadæquata relatio respectu vnius parentis, quando alter interijt.

Neque hoc mirum videri debet, quia cùm non distinguamus relationem ab extremis; sicut concipimus oriri denominationem relatiuam inter vnum extremum & aliud; ita intelligi potest eam oriri inter vnum extremum & duo alia inter se connexa: adeo vt relatio sit adæquata respectu vtriusque simul sumpti, inadæquata verò respectu alterutrius.

ARTICVLVS IV.

An relatio tendat ad terminum vt absolutum, vel vt respectiuum.

PRæmoneo 1. Cùm in pariete albo v.c. duo considerari possint, primò quod sit albus, seu quod habeat albedinem, quæ est accidens absolutum, & fundamentum similitudinis. Secundò quòd sit similis alteri parieti albo, quomodo est quid respectiuum; quæstionem esse quanam ex his rationibus terminet re-

lationem alterius parietis albi, qui ad ipsum tanquam consimilis refertur; an ratione fundamenti, seu quatenus est albus, an verò ratione relationis, seu quatenus est similis.

Præmoneo 2. Perspicuum esse in relatis non mutuis relationem terminari ad absolutum, non ad respectiuum. Quia cùm terminus ad quem tendit relatio, non habeat propriam relationem, adeoque sit merè absolutus, relatio non videtur posse terminari ad illum ratione alicuius relatiui, sed tantùm ratione absoluti, quidquid nonnulli comminiscantur. Dubium est ergo quid sentiendum sit quoad hanc difficultatem, in relatis mutuis.

Respondeo in relatis mutuis relationem terminari ad absolutum, non ad respectiuum. Probatur 1. ex iam dictis, nam cùm in relatis non mutuis relatio terminetur ad terminum absolutum, hinc euidenter colligitur etiam in mutuis terminari ad absolutum: Siquidem omnino per accidens est ad rationem terminandi, quòd terminus sit correlatiuus, seu quòd fundet relationem ad relatiuum à quo respicitur; sicut per accidens est quòd ego videam eum qui videt me.

Probatur 2. Quia illud terminat relationem ad quod relatiuum per se & directè refertur; atqui relatiuum per se & directè refertur ad absolutum, non ad respectiuum, ergo &c. Maior & consequentia perspicuæ sunt: probatur minor, nam paries albus A refertur directè & per se ad parietem B, vt albus est, quia sic est illi similis; ergo relatio primi parietis terminatur ad alium, secundum entitatem illius absolutam.

Probatur 3. Nam si relatio formaliter terminaretur ad relatiuum, essentia illius in-

telligi non posset, sine correlatiuo, vt correlatiuum est; at hoc dici nequit, ergo non terminatur ad relatiuum, sed ad absolutum. Maior perspicua est, cum essentia relationis sumatur per ordinem ad terminum formalem. Minor vero ostenditur, quia vt essentiam paternitatis intelligas, sufficit quòd eam concipias in ordine ad hominem qui genitus est; nec vllo modo requiritur vt intelligas in homine genito esse relationem filiationis, quia vicissim respicit eum à quo genitus est.; cum præcisè de ratione patris, vt pater est, sit tantum vt aliquis ab eo sit genitus, quocumque modo ille se habeat ad suum progenitorem.

Obijcies 1. ex Aristotele cap. de relatis, relata referri ad ea quæ reciprocantur, vnde sequitur relationem terminari formaliter ad respectiuum, non ad absolutum. Verùm neganda est hæc consequentia, Aristoteles enim intendit tantùm docere, vt relata dicantur ad conuertentiam, illud obseruandum esse vt explicentur per terminos correlatiuos, quia si loco domini ponatur homo, non fiet reciprocatio, non enim dicimus hominem esse serui hominem, vel seruum esse hominis seruum. Hinc autem malè colligitur relationem domini terminari formaliter ad seruum, vt seruus est, seu vt refertur ad dominum: quia etsi repugnet terminum dici ad conuertentiam, nisi vt correlatiuum; nihil tamen impedit quin possit præcisè terminare relationem oppositam, secundum rationem absolutam, vt probatum est.

Obijcies 2. Relata vt relata sunt simul natura: at non essent simul natura, si relatio

terminaretur ad absolutum, non ad relatiuum; ergo terminatur ad relatiuum. Maior est Aristotelis loco citato: minor verò probatur: nam si pater refertur ad filium, non vt filium, sed vt est homo genitus ab illo, hinc sequitur patrem vt patrem, esse simul natura cum homine vt genito, & consequenter esse priorem natura filio vt filio; siquidem prius est natura hominem esse genitum ab alio, quàm in eo resultare relationem filiationis ad illum. Respondeo negando minorem, & ad probationem illius dicendum est patrem, non vt patrem, sed vt hominem generantem referri ad filium, vt est homo genitus, tum verò ex horum positione veluti resultare relationem paternitatis in homine generante, simulque relationem filiationis in homine genito; sicque patrem vt patrem, & filium vt filium, esse simul natura.

Obijcies 3. Relationes diuinæ terminantur ad relatiuum, non ad absolutum; ergo idem dicendum est de relationibus creatis. Antecedens certum est, quia cùm inter personas diuinas nulla sit distinctio nisi penes relationes, hinc manifestè sequitur eas se mutuò respicere sub ratione relatiua, & per ipsas relationes mutuos respectus terminare. Consequentia verò probatur, quia eadem est ratio de relationibus diuinis & creatis, quoad rationem referendi, & terminandi. Respondeo concesso antecedente negandam esse consequentiam, & ratio discriminis est, quia relationes diuinæ sunt substantiales, & per se subsistentes, ac proinde nullum habent fundamentum præter seipsas, quo possint terminare relationem op-

positam: at verò relationes creatæ cùm sint accidentia quædam, ex fundamento & termino quodammodo resultantia, possunt per illud fundamentum relationes oppositas terminare.

CAPVT VII.

De actione & passione.

ARTICVLVS PRIMVS.

De Natura actionis, & passionis.

PRÆMONEO agendum esse hoc loco de actione & passione, licèt de ijs in Physica tractari soleat. Cùm enim ad Categorias spectent, quæ sunt considerationis Metaphysicæ, earum tractatio hic prætermitti non debuit: præsertim cùm suprà de causis actum sit. Itaque

Quæritur 1. Quid sit actio. Respondeo actionem iuxta ea quæ tradit Aristot. 3. Physic. cap. 3. vulgò definiri, *actum agentis, vt agens est*; vbi particula *actus*, habet locum generis, & distinguit actionem à re qualibet quæ non est actus. Dicitur verò *actus agentis*, vt distinguatur à passione quæ est actus patientis. Additur *vt agens est*, quia actio non est primum principium seu virtus agendi, sed exercitium talis virtutis, seu id quo formaliter in actu secundo constituitur; quòd agendo de causis, causalitatem agentis esse diximus.

Quæritur 2. quid sit passio. Respondeo passionem definiri *actum patientis, vt patiens est*, quibus verbis passio distinguitur formaliter ab actione, quia vt ait Arist. cap. citato tex. 22. *huius in hoc, & huius ab hoc actum esse ratione diuersa sunt:* vocat enim actionem *actum huius in hoc*, id est agentis in patiens, & passionem *actum huius ab hoc*, id est patientis ab agente; & eos actus dicit inter se ratione, seu formaliter distingui.

Vbi nota 1. actionem & passionem non esse duas entitates realiter inter se distinctas, sed vnicam sub diuersis formalitatibus iam dictis conceptam. Calefactio enim vt est aquæ passio, non minùs potest per se immediatè pendere ab igne, adeoque sine vlla actione realiter distincta, quàm calefactio vt actio, ab eo immediatè pendere dicatur. Confirmatur, nam si actio esset entitas realiter distincta à passione, esset propriè principium & causa illius, & consequenter per aliquam causalitatem distinctam, adeoque & per nouam actionem eam deberet producere, quod nimis absurdum est.

Nota 2. actionem & passionem non distingui realiter à motu, sed tantùm ratione. Ita Aristoteles loco citato, & probatur, siquidem eadem entitas dicitur actio, vt fluit ab agente, passio, vt recipitur in patiente, & motus, vt est tendentia ad terminum: v. c. calefactio vt oritur ab igne calefaciente, dicitur actio, vt recipitur in ligno calefacto, dicitur passio, vt autem est via ad calorem sensim productum, est motus.

Nota 3. actionem esse quid distinctum ab agente secundum se spectato, & ab effectu qui per illam producitur; ab illo quidem, quia

Obijcies 4. perfectiones sunt subiectiuè in rebus quas perficiunt; at actio est perfectio agentis, ergo est in illo. Respondeo maiorem esse veram de perfectionibus intrinsecis, non autem de extrinsecis, cuiusmodi est actio transiens; ignis enim dum aquam calefacit, non seipsum perficit, sed aquam quæ, vt est subiectum caloris ex ea educti, ita & ipsius eductionis.

Obijcies 5. si actio transiens non est in agente, nonne congruentiùs diceretur eam esse in termino seu effectu producto, quàm in subiecto? Respondeo negatiuè, quia vt hoc fieret, effectus deberet esse prior actione, aliter enim non posset eam recipere; at tantùm abest vt sit prior, quin potiùs est posterior, cum ea mediante producatur.

ARTICVLVS II.

De coniunctione agentis ad patiens.

QVæritur 1. an agens debeat esse proximè coniunctum subiecto in quod agit, idque vel immediatione tam suppositi quàm virtutis; quomodo ignis coniunctus est ligno in quod agit, tam per suam substantiam, quàm per calorem ipsi naturaliter insitum; vel saltem immediatione virtutis, quomodo sol coniunctus est rebus hisce inferioribus, in quas per lucem aliasque qualitates operatur; etsi cælo tantum realiter sit præsens.

Respondeo alteram ex his præsentiis in causis ordinis naturalis, spectata vi naturæ, imò & absolutè necessariam esse. Prior pars patet experientia, cùm videamus agentia creata

coniuncta esse vel quoad suppositum & virtutem, vel saltem quoad virtutem à se diffusam, subiectis in quæ agunt. Vnde cùm habeant virtutem agendi limitatam, efficacius agunt per se loquendo, in corpora proxima, quàm in remota; eorumque virtus quo latius diffunditur, eo magis languescit, & tandem omnino extinguitur, nullumque effectum extra certam & determinatam sphæram producunt.

Obijcies magnetem agere in ferrum distans, Remoram sistere magnum nauigium, fascinantes visu lædere puerulos, & agnos quos attentius inspiciunt; aliaque similia quæ ostendunt non requiri coniunctionem agentis cum patiente ad operandum. Respondeo has & similes experientias nullius esse momenti, cùm certum sit dum res agunt in distans, ab iis fluere qualitates aliquas occultas per quas effectus suos producunt; vt ex eo manifestum est, quòd eiusmodi effectus per interpositionem alicuius corporis facilè impediri possunt, cuius tamen oppositum contingeret, si actio fieret immediatè in distans.

Posterior pars ostenditur, quia si causa naturalis nec per se, nec per suam virtutem attingat patiens, nec etiam effectum in eo productum attingere poterit, adeoque illius causa Physica non erit, sed ad summum moralis, quatenus Deus solus ad præsentiam illius effectum producet. Confirmatur, nam intelligi non potest quod causa aliqua operetur in distans, nisi aliquid in illud immittat, sicque sit illi saltem virtualiter præsens: si enim nihil immittit, eodem modo se habet respectu illius ac antea, adeoque non magis potest aliquid in eo causare quam priùs.

Quæritur 2. an agens naturale possit agere

relatio realis nisi inter duo correlatiua quæ se mutuo respiciunt, & sibi inuicem realiter opponuntur; quare quàm certum est idem non opponi realiter sibi ipsi, tam certum est inter fundamentum & terminum, quorum illud se tenet ex parte vnius correlatiui, & hic ex parte alterius, esse distinctionem realem.

Confirmatur, quia relatio est habitudo vnius ad aliud, ergo ad illam requiritur vnum & aliud, nec sufficit vnum & idem, adeoque versatur inter duo extrema realiter distincta.

Obijcies 1. Illa est relatio realis quæ competit alicui, nemine cogitante; sed nemine cogitante quælibet res habet relationem identitatis ad seipsam, sicut similitudinis, aut diuersitatis ad aliam: ergo talis relatio est realis, esto fundamentum & terminus idem sint. Respondeo minorem falsam esse, nam etsi quælibet res sit idem cum seipsa non tamen habet verum & realem respectum ad seipsam: quia respectus realis est ordo vnius ad aliud, & inter vtrumque debet esse realis oppositio; quòd de eodem dici nequit, vt perspicuum est.

Obijcies 2. Si Deus poneret eandem albedinem in duobus parietibus, illi essent inter se realiter similes, & tamen tunc fundamentum non distingueretur realiter à termino; ergo falsum est quòd relatio realis exigat distinctionem realem inter fundamentum & terminum. Respondeo in eo casu duos parietes non fore realiter similes, vt falso supponitur. Nam sicut ex communi sententia Theologorum, personæ diuinæ non dicuntur realiter similes ob identitatem naturæ; ita si duo parietes diuinitus essent infor-

mati eadem albedine, talis identitas non sufficeret vt dicerentur realiter similes quia potius vt sic, essent quid vnum & idem. Accedit quòd hic negamus esse relationem realem, eiusdem ad seipsum: at quamuis inter illos parietes esset relatio realis, non inde sequeretur esse relationem realem eiusdem ad seipsum; siquidem illi parietes essent inter se realiter distincti, non obstante identitate albedinis.

Quæritur 3. Num subiectum per vnam & eandem relationem referatur ad plures terminos:

RESPONDEO & dico 1. *Diuersas esse relationes quando termini diuersimodè respiciuntur:* Probatur, nam in sententia communi, homo habet aliam relationem ad parentem suum à quo genitus est, aliam specie distinctam ad filium quem genuit; cùm per illam constituatur filius, & per hanc pater. Verùm maior est difficultas, an in eodem subiecto sint plures relationes numero distinctæ, respectu diuersorum terminorum qui eodem modo respiciuntur, v. c. tot paternitates distinctæ in patre, quot sunt filij ab eo geniti. Itaque

Dico 2. *Multiplicandas esse relationes iuxta varietatem terminorum, si illi non sint inter se connexi aut subordinati.* Cùm enim relatio nihil aliud sit à parte rei quàm denominatio quædam respectiua, orta in subiecto ex coexistentia extremi, hinc fit vt in subiecto tot ponendæ sint relationes, quot extrema distincta & minimè connexa illi coëxistere incipiunt: quia totidem denominationes relatiuæ inter illa exoriuntur. Vnde pater habet aliam relationem ad filium quem primò genuit, aliam ad secundò genitum, &c.

Obijcies ex S.Thoma 3. parte, quæst.35.art.5. filium respicere eadem relatione patrem & matrem. Respondeo id non pugnare contra assertionem nostram, quia excepimus terminos inter se connexos, quales sunt pater & mater in ordine ad filium. Cùm enim eos respiciat tanquam vnicum principium adæquatum suæ generationis, sitque idem filius respectu vtriusque, consequenter videtur eos respicere vnica totali relatione filiationis; ita vt non sit nisi partialis & inadæquata relatio respectu vnius parentis, quando alter interijt.

Neque hoc mirum videri debet, quia cùm non distinguamus relationem ab extremis; sicut concipimus oriri denominationem relatiuam inter vnum extremum & aliud; ita intelligi potest eam oriri inter vnum extremum & duo alia inter se connexa: adeo vt relatio sit adæquata respectu vtriusque simul sumpti, inadæquata verò respectu alterutrius.

ARTICVLVS IV.

An relatio tendat ad terminum vt absolutum, vel vt respectiuum.

PRæmoneo 1. Cùm in pariete albo v.c. duo considerari possint, primò quod sit albus, seu quod habeat albedinem, quæ est accidens absolutum, & fundamentum similitudinis. Secundò quòd sit similis alteri parieti albo, quomodo est quid respectiuum; quæstionem esse quanam ex his rationibus terminet re-

lationem alterius parietis albi, qui ad ipsum tanquam consimilis refertur; an ratione fundamenti, seu quatenus est albus, an verò ratione relationis, seu quatenus est similis.

Præmoneo 2. Perspicuum esse in relatis non mutuis relationem terminari ad absolutum, non ad respectiuum. Quia cùm terminus ad quem tendit relatio, non habeat propriam relationem, adeoque sit merè absolutus, relatio non videtur posse terminari ad illum ratione alicuius relatiui, sed tantùm ratione absoluti, quidquid nonnulli comminiscantur. Dubium est ergo quid sentiendum sit quoad hanc difficultatem, in relatis mutuis.

Respondeo in relatis mutuis relationem terminari ad absolutum, non ad respectiuum. Probatur 1. ex iam dictis, nam cùm in relatis non mutuis relatio terminetur ad terminum absolutum, hinc euidenter colligitur etiam in mutuis terminari ad absolutum: Siquidem omnino per accidens est ad rationem terminandi, quòd terminus sit correlatiuus, seu quòd fundet relationem ad relatiuum à quo respicitur; sicut per accidens est quòd ego videam eum qui videt me.

Probatur 2. Quia illud terminat relationem ad quod relatiuum per se & directè refertur; atqui relatiuum per se & directè refertur ad absolutum, non ad respectiuum, ergo &c. Maior & consequentia perspicuæ sunt: probatur minor, nam paries albus A refertur directè & per se ad parietem B, vt albus est, quia sic est illi similis; ergo relatio primi parietis terminatur ad alium, secundum entitatem illius absolutam.

Probatur 3. Nam si relatio formaliter terminaretur ad relatiuum, essentia illius in-

telligi non posset sine correlatiuo, vt correlatiuum est; at hoc dici nequit, ergo non terminatur ad relatiuum, sed ad absolutum. Maior perspicua est, cum essentia relationis sumatur per ordinem ad terminum formalem. Minor vero ostenditur, quia vt essentiam paternitatis intelligas, sufficit quod eam concipias in ordine ad hominem qui genitus est; nec vllo modo requiritur vt intelligas in homine genito esse relationem filiationis, quia vicissim respicit eum à quo genitus est; cum præcisè de ratione patris, vt pater est, sit tantùm vt aliquis ab eo sit genitus, quocumque modo ille se habeat ad suum progenitorem.

Obijcies 1. ex Aristotele cap. de relatis, relata referri ad ea quæ reciprocantur, vnde sequitur relationem terminari formaliter ad respectiuum, non ad absolutum. Verùm neganda est hæc consequentia, Aristoteles enim intendit tantùm docere, vt relata dicantur ad conuertentiam, illud obseruandum esse vt explicentur per terminos correlatiuos, quia si loco domini ponatur homo, non fiet reciprocatio, non enim dicimus hominem esse serui hominem, vel seruum esse hominis seruum. Hinc autem malè colligitur relationem domini terminari formaliter ad seruum, vt seruus est, seu vt refertur ad dominum: quia etsi repugnet terminum dici ad conuertentiam, nisi vt correlatiuum; nihil tamen impedit quin possit præcisè terminare relationem oppositam, secundum rationem absolutam, vt probatum est.

Obijcies 2. Relata vt relata sunt simul natura: at non essent simul natura, si relatio

terminaretur ad absolutum, non ad relatiuum; ergo terminatur ad relatiuum. Maior est Aristotelis loco citato: minor verò probatur: nam si pater refertur ad filium, non vt filium, sed vt est homo genitus ab illo, hinc sequitur patrem vt patrem, esse simul natura cum homine vt genito, & consequenter esse priorem natura filio vt filio; siquidem prius est natura hominem esse genitum ab alio, quàm in eo resultare relationem filiationis ad illum. Respondeo negando minorem, & ad probationem illius dicendum est patrem, non vt patrem, sed vt hominem generantem referri ad filium, vt est homo genitus, tum verò ex horum positione veluti resultare relationem paternitatis in homine generante, simulque relationem filiationis in homine genito; sicque patrem vt patrem, & filium vt filium, esse simul natura.

Obijcies 3. Relationes diuinæ terminantur ad relatiuum, non ad absolutum; ergo idem dicendum est de relationibus creatis. Antecedens certum est, quia cùm inter personas diuinas nulla sit distinctio nisi penes relationes, hinc manifestè sequitur eas se mutuò respicere sub ratione relatiua, & per ipsas relationes mutuos respectus terminare. Consequentia verò probatur, quia eadem est ratio de relationibus diuinis & creatis, quoad rationem referendi, & terminandi. Respondeo concesso antecedente negandam esse consequentiam, & ratio discriminis est, quia relationes diuinæ sunt substantiales, & per se subsistentes, ac proinde nullum habent fundamentum præter seipsas, quo possint terminare relationem op-

positam: at verò relationes creatæ cùm sint accidentia quædam, ex fundamento & termino quodammodo resultantia, possunt per illud fundamentum relationes oppositas terminare.

CAPVT VII.

De actione & passione.

ARTICVLVS PRIMVS.

De Natura actionis, & passionis.

PRÆMONEO agendum esse hoc loco de actione & passione, licèt de ijs in Physica tractari soleat. Cùm enim ad Categorias spectent, quæ sunt considerationis Metaphysicæ, earum tractatio hic prætermitti non debuit: præsertim cùm suprà de causis actum sit. Itaque

Quæritur 1. Quid sit actio. Respondeo actionem iuxta ea quæ tradit Aristot. 3. Physic. cap. 3. vulgò definiri, *actum agentis, vt agens est*; vbi particula *actus*, habet locum generis, & distinguit actionem à re qualibet quæ non est actus. Dicitur verò *actus agentis*, vt distinguatur à passione quæ est actus patientis. Additur *vt agens est*, quia actio non est primum principium seu virtus agendi, sed exercitium talis virtutis, seu id quo formaliter in actu secundo constituitur; quòd agendo de causis, causalitatem agentis esse diximus.

Quæritur 2. quid sit passio. Respondeo passionem definiri *actum patientis, vt patiens est*, quibus verbis passio distinguitur formaliter ab actione, quia vt ait Arist. cap. citato tex. 22. *huius in hoc, & huius ab hoc actum esse ratione diuersa sunt:* vocat enim actionem *actum huius in hoc*, id est agentis in patiens, & passionem *actum huius ab hoc*, id est patientis ab agente; & eos actus dicit inter se ratione, seu formaliter distingui.

Vbi nota 1. actionem & passionem non esse duas entitates realiter inter se distinctas, sed vnicam sub diuersis formalitatibus iam dictis conceptam. Calefactio enim vt est aquæ passio, non minùs potest per se immediatè pendere ab igne, adeoque sine vlla actione realiter distincta, quàm calefactio vt actio, ab eo immediatè pendere dicatur. Confirmatur, nam si actio esset entitas realiter distincta à passione, esset propriè principium & causa illius, & consequenter per aliquam causalitatem distinctam, adeoque & per nouam actionem eam deberet producere, quod nimis absurdum est.

Nota 2. actionem & passionem non distingui realiter à motu, sed tantùm ratione. Ita Aristoteles loco citato, & probatur, siquidem eadem entitas dicitur actio, vt fluit ab agente, passio, vt recipitur in patiente, & motus, vt est tendentia ad terminum: v. c. calefactio vt oritur ab igne calefaciente, dicitur actio, vt recipitur in ligno calefacto, dicitur passio, vt autem est via ad calorem sensim productum, est motus.

Nota 3. actionem esse quid distinctum ab agente secundum se spectato, & ab effectu qui per illam producitur; ab illo quidem, quia

aliud est posse agere, aliud actu operari; ab isto etiam, quia effectus existit plerumque independenter ab actione qua productus est. Quia tamen actio esse nequit sine agente, & sine termino producto, hinc actio se habet tantùm ad illa vt quidam modus ab iis distinctus, non autem vt entitas ab iis omnino distincta & separabilis.

Quæritur 3. quodnam sit subiectum actionis transeuntis. Respondeo actionem transeuntem non esse subiectiuè in agente, sed in Patiente. Probatur 1. ex Arist. ante citato, cùm enim ait, actionem esse *actum huius in hoc*, non obscurè innuit actionem fluere ab agente, & recipi in subiecto. Idemque confirmatur ex eo quòd actionem & passionem identificat cum motu, huncque esse in mobili existimat.

Probatur 2. nam quando Deus operatur ad extra, actio illius non recipitur in ipso, sed in subiecto externo, v.g. in anima quando gratiam illi confert: ergo similiter calefactio non recipitur in igne calefaciente, sed in aqua calefacta. Sequela patet, quia cùm Deus per actionem extrinsecam verè & realiter denominetur agens, æquè poterit ignis denominari verè & realiter calefaciens, per calefactionem in aqua receptam.

Probatur 3. nam cùm actio non distinguatur realiter à passione, vt ostensum est, & passio sit subiectiuè in patiente, sanè in eodem & ipsa actio esse debet. Quod ex eo vlterius suadetur, quia actio est effectio termini è subiecto, effectio autem rei non potest separari realiter à re quæ fit, neque esse in subiecto distincto: quare cum terminus actionis sit in patiente, non in agente, idem de ipsa actione dici debet.

Obiicies 1. relatio agentis ad patiens est in-

agente, ergo & in illo est actio, cùm hæc sit fundamentum relationis ab ea minimè distinctum. Respondeo negando consequentiam, & ad probationem illius dicendum est actionem non esse fundamentum relationis causæ ad effectum, sed tantum rationem fundandi, seu conditionem sine qua non, à vero fundamento realiter distinctam.

Obiicies 2. absurdum est ponere formam aliquam alibi quàm in subiecto quod per illam denominatur: at agens denominatur ab actione, non autem patiens, vt perspicuum est; ergo actio est in agente, nō in patiente. Respondeo maiorem veram esse de subiecto quod denominatur per formam, vt illam recipiens; non autem si tantum denominetur per illam, quatenus eam ex se effundit; quomodo agens denominatur ab actione. Aliàs productio gratiæ in ipso Deo ponenda esset, cum illum producentem denominet.

Instabis, si actio est in patiente, quare illud non denominat agens? Respondeo causam esse, quia agere non est recipere actionem, sed eam elicere; at patiens non elicit actionem, sed tantùm recipit.

Obiicies 3. actiones intellectus & voluntatis, sensuum internorum & externorum, & similes sunt in agente; ergo & omnes aliæ actiones sunt in agentibus à quibus procedunt. Respondeo non sequi, imò potiùs oppositum inde colligi debet; siquidem ideo actiones potentiarum animæ recipiuntur in ipsis potentiis, quia quod per eiusmodi actiones producitur manet in eodem principio à quo oritur: at effectus actionum transeuntium non recipiuntur in agentibus, sed in patientibus; ergo in istis, non in illis, actiones eiusmodi recipi debent.

Obijcies 4. perfectiones sunt subiectiuè in rebus quas perficiunt; at actio est perfectio agentis, ergo est in illo. Respondeo maiorem esse veram de perfectionibus intrinsecis, non autem de extrinsecis, cuiusmodi est actio transiens; ignis enim dum aquam calefacit, non seipsum perficit, sed aquam quæ, vt est subiectum caloris ex ea educti, ita & ipsius eductionis.

Obijcies 5. si actio transiens non est in agente, nonne congruentiùs diceretur eam esse in termino seu effectu producto, quàm in subiecto? Respondeo negatiuè, quia vt hoc fieret, effectus deberet esse prior actione, aliter enim non posset eam recipere; at tantùm abest vt sit prior, quin potiùs est posterior, cum ea mediante producatur.

ARTICVLVS II.

De coniunctione agentis ad patiens.

QVæritur 1. an agens debeat esse proximè coniunctum subiecto in quod agit, idque vel immediatione tam suppositi quàm virtutis; quomodo ignis coniunctus est ligno in quod agit, tam per suam substantiam, quàm per calorem ipsi naturaliter insitum; vel saltem immediatione virtutis, quomodo sol coniunctus est rebus hisce inferioribus, in quas per lucem aliasque qualitates operatur; etsi cælo tantum realiter sit præsens.

Respondeo alteram ex his præsentiis in causis ordinis naturalis, spectata vi naturæ, imò & absolutè necessariam esse. Prior pars patet experientia, cùm videamus agentia creata

coniuncta esse vel quoad suppositum & virtutem, vel saltem quoad virtutem à se diffusam, subiectis in quæ agunt. Vnde cùm habeant virtutem agendi limitatam, efficacius agunt per se loquendo, in corpora proxima, quàm in remota; eorumque virtus quo latius diffunditur, eo magis languescit, & tandem omnino extinguitur, nullumque effectum extra certam & determinatam sphæram producunt.

Obijcies magnetem agere in ferrum distans, Remoram sistere magnum nauigium, fascinantes visu lædere puerulos, & agnos quos attentius inspiciunt; aliaque similia quæ ostendunt non requiri coniunctionem agentis cum patiente ad operandum. Respondeo has & similes experientias nullius esse momenti, cùm certum sit dum res agunt in distans, ab iis fluere qualitates aliquas occultas per quas effectus suos producunt; vt ex eo manifestum est, quod eiusmodi effectus per interpositionem alicuius corporis facilè impediri possunt, cuius tamen oppositum contingeret, si actio fieret immediatè in distans.

Posterior pars ostenditur, quia si causa naturalis nec per se, nec per suam virtutem attingat patiens, nec etiam effectum in eo productum attingere poterit, adeoque illius causa Physica non erit, sed ad summum moralis, quatenus Deus solus ad præsentiam illius effectum producet. Confirmatur, nam intelligi non potest quod causa aliqua operetur in distans, nisi aliquid in illud immittat, sicque sit illi saltem virtualiter præsens: si enim nihil immittit, eodem modo se habet respectu illius ac antea, adeoque non magis potest aliquid in eo causare quam priùs.

Quæritur 2. an agens naturale possit agere

in distans., non agendo per medium. Respondeo non posse naturaliter, posse tamen ex probabiliori sententia, supernaturaliter. Prior pars probatur experientia, nam agentia naturalia non agunt in distans, etiam intra ambitum Spheræ suæ actiuitatis, si aliquid in medio obstet ne virtus eorum vsque ad terminum illum diffundatur: vt cum ingressus lucis impeditur obiectu fenestræ, & diffusio caloris ab igne prodeuntis interpositione parietis, vel alterius corporis opaci. Hoc autem aliunde oriri non potest, nisi ex eo quòd agentia priùs agere debent in partes spatij proximiores, quàm in remotiores, seu in distans per medium. Aliàs sanè eorum actio nullius corporis interpositione impediri posset, imò quamuis medium esset vacuum, posset nihilominus actio fieri in distans, quod tamen à nemine cum aliquo fundamento admitti potest; cùm omnes fateantur ideo naturam tantopere abhorrere à vacuo, quia si vacuum daretur, influxus cælestium corporum ad inferiora per illud traijci non posset.

Nec dicas magnetem agere in ferrum distans sine medio, cùm illud attrahat, non alias res proximiores; & torpedinem stupore afficere manum piscatoris, nihil agendo in media arũdine: Hæc enim aliaque id genus non ostendunt agentia naturalia agere in distans, non agendo in medium, seu non traijciendo vim aliquam per medium; Sed non producere semper eandem mutationem in corpore medio, quàm in distanti, eò quòd medium non est capax illius. Ad eum modum quo sol traijcit lucem per cælos inferiores, & per aërem, nec tamen in cælis calorem producit, sed in aëre; quia etsi cæli sint lucis capaces, non tamen ca-

loris ex ea orti, aër verò ex natura sua non modo illustrari, sed & calefieri potest.

Posterior pars ostenditur, quia etsi agentia naturalia exigant medium aptum ad traijciendam vim aliquam in distans, id tamen non videtur absolutè adeo necessarium, quin possint diuinitus eam diffundere in distans, etsi per spatium intermedium non traijciatur: quid enim impedit quominus Deus efficere possit vt hoc cubiculum à sole illustretur, etsi clau. dantur fenestræ, eæque in partibus interioribus non illustrentur. In hoc sanè non apparet repugnantia, cùm effectus ille sit quoad substantiam naturalis, supernaturalis verò dumtaxat quoad modum quo fit, quia deficit aliqua conditio, quæ etsi naturalem habeat connexionem cum eiusmodi effectu, non tamen essentialem, ita vt diuinitus suppleri non possit.

ARTICVLVS III.

De distinctione inter agens, & patiens.

PRæmoneo aliquid posse duobus modis intelligi agere in seipsum, nempe vel actione vniuoca, vel æquiuoca. Dicitur actio vniuoca, quando quod producitur est simile quoad speciem principio producenti, vt cùm ignis per calorem aquam calefaciendo, in ea similem calorem producit. Dicitur verò actio æquiuoca, quando effectus est dissimilis quoad speciem principio producenti, vt cùm sol qui formaliter calidus non est, in aqua calorem producit. Quæritur ergo an idem possit agere in seipsum altera ex his actionibus vel vtraque.

RESPONDEO & dico 1. *Idem non posse agere in seipsum actione vniuoca*. Ratio est, quia si v. c. calidum vt quatuor, posset agere in seipsum actione vniuoca, posset in se augere calorem quem habet, hoc autem repugnat, cùm nihil suprà suas vires agere possit. Confirmatur, nam si calor vt quatuor, posset se intendere ad duos gradus, sequeretur hos sex gradus caloris posse producere alios, sicque eadem qualitas seipsam intenderet in infinitum; quod dici non potest.

Obijcies 1. Experientia constat qualitates augeri per antiperistasim seu per circumobsistentiam contrarij fortioris, vt patet tum ex calce viua quæ aqua iniecta incenditur, ex aquis putealibus quæ æstate sunt frigidæ, & hieme calidæ; ex stomacho animalium qui citiùs coquit cibos hieme quàm æstate, &c. At eiusmodi intensio non potest per se fieri à qualitate contraria, vt perspicuum est; siquidem calor intensus v. c. non auget frigus remissius, sed potiùs illud destruit; ergo procedere debet ab ipsa qualitate quæ intenditur, ita vt ob viciniam contrarij seipsam veluti colligat, viresque intendat. Respondeo negando consequentiam, possunt enim & debent assignari aliæ causæ à quibus talis intensio per se oriatur. Ac primò innumeræ ignis particulæ in calce delitescentes infusione aquæ excitantur, seseque colligunt vt aduentanti hosti resistant; quò fit vt calx de nouo incalescat, donec, paulatim superato igne omnino frigefiat.

Deinde aquæ puteales sunt calidiores hieme, quia tunc beneficio exhalationum siccarum & calidarum, quæ à sole æstiuo in intimis terræ partibus excitatæ fuerunt, quæque ob frigus

gus hiemis circumstans ibi detinentur, incalescunt; è contra verò æstate sunt frigidiores, quia cùm magna copia exhalationum calidarum per poros terræ, ardore solis laxatos, sursum euolet, aqua sibi ipsi relicta, & ab hoste obsidente libera, sese in pristinam frigiditatem reducit.

Tandem ideo calor stomachi hieme est intensior quàm æstate; quia cùm pori ob frigus circumstans constricti sint, spiritus vitales foras erumpere nequeunt, adeoque intus collecti intensiorem calorem producunt, cuius vi digestio citius peragitur.

Instabis, exemplum aquæ sese reducentis ad pristinam frigiditatem nobis obesse. Sed hoc frustrà obijcitur, nam cùm aqua calidissima, amoto impedimento, primum gradum frigoris per propriam formam substantialem recuperet, idem dicendum de secundo, alijsque sequentibus, ita vt intensio frigoris non dicatur fieri à frigore remisso, sed ab ipsa forma aquæ.

Obijcies 2. Lux, calor, & aliæ eiusmodi qualitates per reflexionem intenduntur, vt certissima experientia ostendit; at illa intensio non potest oriri à corpore impediente ne qualitas vlteriùs diffundatur, paries enim v. c. qui obstat ne lux solis & calor ab ea productus longiùs propagetur, nullam ex se vim habet producendi aliquem gradum lucis, aut caloris vt perspicuum est; nec alia causa potest assignari jà qua oriatur, quàm ipsamet qualitas quæ intenditur. Respondeo hoc posterius gratis affirmari, ille enim effectus potest & debet referri in causam ipsam agentem, qua qualitas directa producitur: Sicut enim non modo motus pilæ directus, sed etiam reflexus

est efficienter à proiiciente; ita & reflexio qualitatis est ab eodem agente à quo qualitas directa procedit. Quia cùm posset qualitatem productam vlterius extendere, occurrente impedimento, circa eandem medij partem fortius operatur, defectumque vlterioris extensionis maiori intensione supplet.

Sed contra hoc arguet aliquis ex supradictis, non potest agens creatum naturaliter agere in distans, nisi agat per medium; at hic oppositum contingit, nam reflexio fit in loco distanti ab agente, non in medio: ergo talis effectus in agens reduci non debet. Respondeo hoc non esse agere in distans, non agendo simpliciter in medio, sed tantùm agere fortiùs in distans, quàm in medio; Hoc autem non magis repugnat, quàm producere effectum aliquem in distanti, qui non producitur in medio, quod ex allatis suprà exemplis fieri posse perspicuum est. Sicut enim hoc posterius euenit ob variam dispositionem medij, ita & illud ob impedimentum ante dictum contingit.

Dico 2. *Idem posse agere in seipsum actione æquiuoca.* Probatur 1. ex Arist. cùm ait, vt in Physica referemus, naturam esse *principium motus eius in quo est*, hoc enim planè conuincit iuxta illius mentem, res naturales mouere seipsas, adeoque posse idem agere in seipsum.

Probatur 2. Nam cùm v. c. ignis sursum mouetur, vel cùm terra deorsum tendit, dici non potest motus illos aliunde oriri quàm ab ipso igne, ob innatam leuitatem in locum superum, & à terra ob naturalem grauitatem ad locum deorsum tendente. Siquidem leuitas & grauitas sunt sufficientia principia proxima eiusmodi motuum, formæ verò sub-

ſtantiales ignis & terræ remota. Et idem de alijs omnibus corporibus ſe ad proprium centrum mouentibus, proportione ſeruata dici debet.

Probatur 3. Ex eo quod aqua calefacta ſtatim ſe amoto igne, ad priſtinum ſtatum reducit: illa enim reductio non poteſt referri ad generans, cum fortè nullibi ſit, aut valde diſtet, nec maioris ſit virtutis quàm aqua ipſa quæ antiquam frigiditatem recuperat. Nec dici poteſt aquam frigefieri ab aëre circumſtante, cum conſtet frigus aquæ reſtitutum frigore aëris intenſius eſſe.

Probatur 4. Ex motu locali animalium, quem planè ſpontaneum eſſe, adeoque ab intrinſeco principio oriri perſpicuum eſt; ex operationibus ſenſuum externorum & internorum, intellectus & voluntatis, quas conſtat eſſe immanentes, & conſequenter oriri ab eo principio in quo recipiuntur. Aliàs ſi à principio externo fluerent, eſſent tranſeuntes, ſicque explodenda eſſet vulgaris illa, & à Philoſophis omnibus recepta actionum diuiſio in immanentes & tranſeuntes; quæ præſertim ob actiones vitales, quas omnino neceſſe eſt eſſe internas, & immanentes, admitti debet.

Obijcies 1. Quidquid mouetur, ab alio mouetur, ex conſtanti Ariſtotelis ſententia, qui inde probat grauia & leuia non moueri à ſeipſis, ſed à ſuis progenitoribus. Reſpondeo axioma illud à mente Ariſt. eſſe alienum, & in rigore falſum, ſi de quouis motu intelligatur, vt oſtenſum eſt; quare debet intelligi vel de motu qui fit per actionem vniuocam, vel de motu corruptiuo, vel de concurſu primæ cauſæ ad omnes rerum operationes re-

quisito, vel alio quouis modo qui secundæ nostræ assertioni non repugnet. Quo autem sensu grauia & leuia dicãtur moueri à suis progenitoribus, dicetur in Physica vbi de elementis.

Obijcies 2. Quod mouet est in actu, & quod mouetur est in potentia, at repugnat idem simul esse in actu, & in potentia: ergo idem non potest seipsum mouere. Respondeo distinguendo maiorem, quod mouet vniuocè est in actu formali, & quod mouetur est in potentia formali, concedo maiorem; Quod mouet æquiuocè est in actu virtuali, & quod mouetur est in potentia formali, concedo etiam. Ad minorem, at repugnat idem simul esse in actu, & in potentia; distinguo; in actu formali, & in potentia formali concedo; in actu virtuali, & in potentia formali nego: sic enim aqua cùm sit tantùm virtualiter frigida, seipsam formaliter frigidam constituit.

Obijcies 3. Non potest aliquid agere in sibi formaliter simile, ergo nec in seipsum; antecedens postea probabitur, sequela verò suadetur, quia maior est distinctio inter duo similia, quàm inter agens & seipsum: quare si simile nequit agere in simile, multò minùs idem in seipsum agere poterit. Respondeo concesso antecedente, negandam esse consequentiam, & ad eius probationem dicendum, licet maior sit distinctio entitatiua & realis inter duo similia; v. c. inter duos ignes, quàm inter agens & seipsum, non tamen in ratione agendi, & patiendi. Siquidem aqua calida, vt se reducens ad pristinum statum, non est formaliter frigida, sed tantùm virtualiter: vt autem frigiditatem in se recipit, fit formaliter frigida, sicque est sufficiens distinctio inter ipsam agentem, & patientem.

ARTICVLVS IV.

An simile agat in sibi perfectè simile.

PRæmoneo ea dici similia, quæ conueniunt in vna qualitate eiusdem speciei, vt in calore aut frigore; ea verò dici perfectè similia, quæ æquè intensè qualitatem illam participant, vt si ambo habeant quatuor gradus caloris aut frigoris. Quæritur ergo an simile agere possit in subiectum sibi omnino simile; nam si agens habeat qualitatem magis intensam, dubium non est quin possit agere iuxta excessum illius intensionis, si verò minus intensam, sic pati potest ab alio, non autem in illud agere.

Respondeo & dico 1. *Simile non posse per se loquendo, & cæteris paribus, agere in sibi perfectè simile.* Ita Arist. 1. de generat. cap. 7. tex. 50. vbi aperte docet, etsi agens & patiens genere eadem sint & similia, specie tamen esse dissimilia, & contrarietatem habere. Ratio est, quia agens non agit in aliud, nisi vt illud sibi omnino simile efficiat; ergo si supponatur illi omnino simile, non aget in illud. Confirmatur, quia vt ait Arist. loco citato tex. 48. quãdo duo sunt prorsus similia, nulla maior est ratio cur vnum potiùs quàm alterum patiatur.

Obijcies 1. Duo specula omnino similia in se mutuò species obiectorum transmittunt; ergo vnum simile agit in aliud. Respondeo specula non agere inter se vt sunt similia, sed potius vt dissimilia; quatenus scilicet vnum habens speciem qua alterum caret, eam illi immittit.

Obijcies 2. Duæ phialæ vitreæ inter se collisæ se mutuò effringunt; ergo simile agit in simile. Respondeo non sequi de simili formaliter vt simili, de quo agimus: nam quælibet phiala agit quatenus vi impellitur, patitur verò & frangitur, quatenus non potest impulsui resistere; vnde neutra agit in sibi simile, vt sic.

Nota prædictam assertionem procedere, cæteris paribus, superesse autem difficultatem an si cætera non sint paria, possit simile agere in simile; vt si v. c. illud sit in materia densiori, vel magis extensa, pro quo

Dico 2. *Neque cum ea inæqualitate simile agere posse in simile.* Probatur 1. ex dictis, nam agens in aliud agit vt illud sibi simile efficiat; at si calidum vt quatuor, ob maiorem densitatem ageret in aliud similiter calidum, sed non æquè densum, contrarium contingeret: quò enim magis ageret in illud, eò magis calorem illius intenderet, & consequenter rarius efficeret, sicque tam quoad calorem, quàm quoad densitatem sibi magis ac magis dissimile redderet.

Probatur 2. Nam quamuis calidum vt quatuor, sit densius, vel extensius, id non sufficit vt in se formaliter, aut virtualiter contineat quinque gradus caloris; quare neque illos producere poterit. Sequela manifesta est, quia causa nequit effectum producere, quem in se neutro ex ijs modis continet. Antecedens verò ostenditur, quia densitas vel extensio subiecti non auget intrinsecè calorem; aliàs pro maiori densitate, vel extensione calor vsque ad octauum gradum augeri posset, quod ridiculum est. Supersunt ergo tantùm formaliter quatuor gradus caloris in agente, qui proinde quintum gradum non continent for-

maliter; at nec etiam eminenter, cùm ſint eiuſdem rationis ac ſpeciei.

Probatur 3. Nam ſi corpus denſius poſſet operari ſupra intenſionem ſuæ qualitatis, v. c. cum quatuor gradibus caloris producere quinque in ſubiecto minùs denſo; iam ſubiectum illud vtpotè calidius poſſet reagere, & vnum gradum caloris agenti communicare: tum verò agens maiori calore præditum poſſet patientis calorem augere, hocque viciſſim illi nouum gradum rependere, ſicque vſque ad octauum caloris gradum ſe mutuò perficere; quod ſanè ridiculum eſt, ſatiſque vel ipſa experientia refelli poteſt.

Obijcies 1. Corpus quod denſius eſt, eò majorem habet vim agendi, vt perſpicuum eſt; ergo eò intenſiorem effectum poteſt producere, adeoque agere in paſſum ſibi omnino ſimile. Reſpondeo antecedens ita debere intelligi vt v. c. calidum ad ſex gradus quod denſius eſt, poſſit producere eundem effectum breuiori tempore, vel ad maiorem diſtantiam, quàm calidum vt ſex non adeo denſum; non autem quod ob maiorem denſitatem quæcunque ſit, poſſit agere ſupra ſuam intenſionem, ſeu producere plus quàm ſex gradus caloris. Licèt enim virtus agendi in actu primo per denſitatem non augeatur, denſitas tamen eſt conditio qua agens diſponitur ad meliùs & fortiùs agendum, intra gradus ſuæ intenſionis; quo ſenſu dici ſolet virtutem vnitam eſſe fortiorem ſe diſperſa.

Obijcies 2. Ferrum candens, etſi non ſit ignis, adeoque non ſit calidum vt octo, producit ignem in ſtuppa, & conſequenter calorem vt octo, ſicque agit ſupra ſuam intenſionem. Reſpondeo ferrum quidem candens

non esse ignem, intra poros tamen illius contineri innumeras ignis particulas, quarum vi fit stuppæ combustio. Vnde non sequitur ferrum illud agere supra intensionem caloris quem in se continet.

Addunt aliqui, quamuis daretur in ferro non esse particulas ignis, neque illud esse calidum vt octo, inde non sequi stuppam, cùm valdè sit sicca, rara, & leuis, adeoque optimè disposita ad formam ignis, non posse à ferro candenti inflammari; esto ferrum ipsum ob contrarias dispositiones in ignem substantialiter non mutetur.

Obijcies 3. Duo luminosa æquè intensa magis illuminant eandem partem aëris, quàm alterum illorum, & tria magis quàm duo, vt experientia constat: hoc autem non fit nisi quia lux primi à secundo intenditur, & lux vtriusque à tertio; adeoque agens magis extensum, aut multiplicatum agit supra suam intensionem. Respondeo id non sequi, quia etsi effectus tunc augeatur etiam quoad intensionem; non tamen supra intensionem maximam agentis, sed tantùm intra illam; adeo vt intensio lucis in aëre productæ, non excedat intensionem lucis quæ est in singulis luminaribus sigillatim. Vnde si concedatur tot faces multiplicari posse, vt tandem lux producta sit earum luci æqualis; negandum erit consequenter eiusmodi lucem intensiorem reddi, ex hypothesi quòd nouæ faces accendantur, cùm impossibile sit effectum esse sua causa nobiliorem.

Dico, si concedatur lucem æqualem in medio producendam, non enim talem suppositionem omnes admittunt: quia cùm agentia creata agant vniformiter difformiter, intra

ſphæram ſuæ actiuitatis, ſeu ita vt fortiùs in partibus proximioribus, & debilius in remotioribus, cum vniformi quadam inæqualitate operentur; hinc colligunt ſi luminoſum vt quatuor, illuſtret certam aëris partem ad duos gradus, & hæc lux à ſecundo luminoſo æquali intendatur vno gradu, ſatis eſſe quòd à tertio intendatur medietate quarti gradus, & à quarto medietate talis medietatis; adeò vt totum augmentum fiat per partes proportionales, ſicque nunquam perueniatur ad quartum gradum.

ARTICVLVS V.

De reſiſtentia, & reactione patientis.

QVæritur 1. an actiuitas agentis neceſſariò excedere debeat reſiſtentiam paſſi, vel vt communioribus verbis vtamur, an actio fieri debeat à proportione maioris inæqualitatis; an verò ad actionem ſufficiat quòd reſiſtentia patientis excedat actiuitatem agentis, ſeu quod actio fiat à proportione minoris inæqualitatis.

Reſpondeo actionem ſemper fieri à proportione maioris inæqualitatis, adeo vt virtus agentis excedat reſiſtentiam paſſi. Ratio eſt, quia agens in aliud, illud aliquo modo ſuperat & vincit, quatenus illud per actionem realiter immutat, & à ſtatu ſuo connaturali aliquatenus dimouet, non obſtante reſiſtentia illius: hoc autem fieri non poſſet niſi virtus agentis eſſet maior quàm reſiſtentia paſſi; ſi enim hæc eſſet æqualis, aut maior, actionem omnino impediret.

Confirmatur, nam non alia causa assignari potest, cur homo solus nequeat quantumuis conetur, ingens saxum loco mouere; nisi quia illius actiuitas non excedit resistentiam saxi: aliàs nihil impediret quin ipsum facili negotio voluere posset, & in quamcumque partem in modum pilæ impellere.

Obijcies 1. Maior est resistentia sex graduum caloris, quàm actiuitas duorum graduum frigoris; & tamen in aqua calida ad sex gradus, & frigida ad duos, isti duo gradus frigoris superant sex illos gradus caloris. Quare verum non est actionem semper fieri à proportione maioris inæqualitatis ex parte agentis. Respondeo minorem falsam esse, quòd enim sex gradus caloris expellantur, id tribuendum non est duobus gradibus frigoris, sed formæ substantiali aquæ, quæ vim habet se reducendi ad pristinum statum, ablato impedimento.

Obijcies 2. Dubium non est quin resistentia lapidis sit maior actiuitate guttularum aquæ, à quibus tamen successu temporis excauatur. Respondeo repugnare in terminis quòd quædam particulæ lapidis vi guttularum aquæ extrahantur, & quòd earum resistentia superet aquæ actiuitatem. Neque id mirum videri debet, nam pars exigua in quam continuo guttulæ aquæ decidunt, tota humectatur, adeo vt tandem mollescat, & à reliquis, quia duritiem conseruat, diuellatur.

Obijcies 3. Quod patitur, superatur ab agente, estque illo inferius; & tamen in illud interdum reagit, vt postea dicemus: ergo actio non semper est à proportione maioris inæqualitatis. Respondeo quod patitur, simpliciter superari ab agente, quatenus agens.

agit, & patiens resistit: ac patiens vt reagit in ipsum agens, secundum quid vincere agens, vt reagenti resistit; sicque reactionem istam esse à proportione maioris inæqualitatis. Exempli gratia, ferrum candens absolutè vincitur ab aqua frigida, cùm ab ea extinguatur; eam tamen vincit secundum quid, & quodammodo superat resistentiam illius; quatenus calore suo ab ea aliquem frigoris gradum expellit.

Quæritur 2. An agens agendo repatiatur, & patiens patiendo reagat.

2 Respondeo & dico 1. *Hoc non in omni agente, & patiente locum habere.* Probatur, nam si spiritus agat in corpus, non potest ab illo repati; item cœlum non potest aliquid repati ab his inferioribus, tum ob nimiam distantiam, tum quia non communicat cum illis in materia, vt suppono ex Physica. Non etiam possunt agentia repati, si agant in patiens quod qualitate contraria præditum non sit; vt lux non repatitur ab aëre quem illustrat, quia luci nihil est contrarium.

Dico 2. *Extra iam dictos, aliosque similes casus, dari mutuam reactionem, & repassionem inter agens & patiens.* Ita Aristoteles plerisque locis ac speciatim lib. 4. de generat. animalium c. 3. vbi ait omne agens pati etiam à patiente, vt quod secat hebetari ab eo quod secatur, quod calefacit refrigerari à calescente.

Ratio autem huius assertionis est, quia cùm ea quæ habent vim agendi naturalem, necessariò agant, nisi impediantur; nulla est ratio cur calidum & frigidum in debitis circumstantijs non possint inter se mutuò agere & pati. Sicut enim calidum non impeditur à frigiditate, quin agat in frigidum; ita frigidum non debet impediri à calore, quin agat in calidum,

vt vel ipſa experientia oſtendit, cùm ferrum candens in aquam,frigidam immiſſum, ab ea refrigeretur, & viciſſim illam calefaciat.

Obijcies 1. Hinc ſequi agens eſſe magis & minus validum patiente, quod repugnat. Reſpondeo id verum eſſe reſpectu diuerſorum, in quo nulla eſt repugnantia. Eſt magis validum, quatenus illius actiuitas ſuperat reſiſtentiam patientis; minùs verò, quatenus illius reſiſtentia ab actiuitate patientis ſuperatur.

Obijcies 2. Si agens & patiens mutuò agunt & patiuntur, ergo medium per quod agunt mouetur ſimul motibus contrarijs, v. c. calefit & refrigeratur quod naturaliter repugnat. Reſpondeo in hoc nullam eſſe repugnantiam, ſi agatur de qualitatibus remiſſis: cùm enim conſtet aquam poſſe eſſe tepidam, ſeu partim frigidam, & partim calidam; quidni idem poterit ſimul frigeſieri, & caleſieri, cùm hæ mutationes non inter ſe opponantur, niſi ratione frigoris & caloris?

Nec dicas tepiditatem eſſe quandam qualitatem mediam diſtinctam à frigore & calore; hoc enim gratis fingitur, tum quia manus frigida caleſit in aqua tepida, & calida in ea frigeſit, vt experientia conſtat. Tum quia dicendum eſſet, cùm aqua incipit caleſieri, totum illius frigus ſimul deperdi; & contrà calorem in ea non produci, niſi in fine calefactionis; quæ nimis abſurda ſunt.

CAPVT VIII.

De Alteratione.

ARTICVLVS PRIMVS.

De natura alterationis.

NOmen alterationis tribus modis sumi potest, primò generatim pro quacunque mutatione accidentali: sicut enim mutatio quæ tendit ad formam substantialem, facit aliud; ita quæ tendit ad formam accidentalem, facit alterum, indeque alteratio appellatur. Secundò minus latè pro mutatione ad qualitatem; hæc enim magis propriè censetur facere alterum, quàm quantitas, aliaue accidentia. Vnde quia aliæ qualitates sunt spirituales, aliæ corporeæ, & inter corporeas aliæ intentionales, vt species rerum quæ videntur; aliæ Physicæ, eæque aut primæ, vt calor & frigus; aut secundæ, eæque vel extremæ, vt albedo & nigredo; vel mediæ, vt color viridis & cœruleus, alteratio complectitur mutationem ad illas omnes qualitates. Quò fit vt sicut de actione in genere, ita & de tali specie actionis, nempe de alteratione, non incongruè in his quæstionibus Metaphysicis disputari possit. Tertiò tamen alteratio strictiùs & magis Philosophicè sumitur pro motu à qualitate Physica ad qualitatem ei oppositam, siue extremam siue mediam; quo sensu ait Arist. 1. de Generat. cap. 4. tex. 23. alterationem esse quando sensibile subiectum perma-

nens in suis mutatur affectibus, qui aut contrarij, aut inter contrarios medij sunt. Qua ratione alteratio definiri potest, *motus physicus qui inter qualitates contrarias versatur.*

Hic autem duo breuiter quæri possunt: 1. quomodo alteratio à generatione distinguatur. Respondeo ab illa distingui, tum ratione termini à quo, quia alteratio est motus à qualitate, & generatio à priuatione, vt patebit ex dicendis in Physica vbi de principiis rerum naturalium. Tum ratione termini ad quem, namque alteratio tendit ad qualitatem, generatio vero ad compositum substantiale. Tum ratione subiecti: nam subiectum alterationis est compositum, hoc enim ex calido fit frigidum, & ex candido nigrum; subiectum autem generationis est materia, quia hæc transit ad formam substantialem à priuatione illius. Tum ratione modi quo fit; nam alteratio fit successiuè seu per partes, generatio verò in instanti, seu tota simul.

Quæritur 2. an sublata generatione deficeret alteratio. Respondeo affirmatiuè, si quæstio sit de alteratione corruptiua, seu tendente ad corruptionem, quales sunt calefactio, frigefactio, & similes. Nihil enim corrumpitur nisi eo fine vt ex eo aliquid generetur: quare ablata omni generatione, deficeret omnis corruptio, & consequenter omnis alteratio corruptiua; siquidem ablato fine, tolluntur media ad eum destinata.

Aliud verò dicendum est; si agatur de alteratione perfectiua, cuiusmodi sunt illuminatio, sensatio, &c. Cum enim eiusmodi motus non tendant ad corruptionem, adeoque nec ad generationem, nulla ratio est cur ablata generatione, defuturi essent: vnde in cœlis

fiunt quædam alterationes perfectiuæ, vbi tamen non habet propriè locum corruptio, aut generatio substantialis vt in Physica dicemus. Et post diem iudicij variæ erunt alterationes perfectiuæ, etsi nulla amplius futura sit generatio, vel corruptio.

ARTICVLVS II.

An alteratio successiua fiat continuè & sine interruptione.

PRæmoneo duobus modis intelligi posse alterationem fieri continuè, vel quoad intensionem gradualem, adeo vt post vnum gradum qualitatis alius sine mora in eadem parte subiecti producatur; vel quoad extensionem, ita vt alia & alia pars subiecti continuè, seu sine interruptione alteretur. Hoc posito.

Quæritur 1. An alteratio sit continua quoad intensionem qualitatis per eam productæ. Nonnulli negant existimantes in instanti produci certam partem minimam qualitatis, ita vt minor produci non possit; deinde post aliquam interruptionem produci aliam partem minimam eiusdem qualitatis, & sic deinceps vsque ad finem alterationis.

Nos autem cum communi sententia affirmamus, alterationem fieri continuè quoad productionem qualitatis, quod probatur 1. ex Arist. 5. Physic. cap. 4. tex. 39. cùm ait, *quoniam autem continuus est motus, omnis siquidem potest diuidi, eum etiam qui simpliciter vnus est, necesse est continuum esse, & si continuus, vnum.* Hoc enim cùm generatim de omni motu procedat,

de alteratione quoque, quæ propriè motus quidam est; intelligi debet. Vnde postea ad vnitatem numericam motus requirit tres conditiones, nempe vnitatem mobilis, formæ, & temporis: adeo vt si per moram aliquam interrumpatur, sit alius numero, etsi reliqua maneant.

Probatur 2. Nam experientia constat quò magis sol ad nos accedit, eò maiorem & intensiorem lucem in nostro Hemisphério produci: at valde ridiculum est existimare illuminationem illam non augeri continuè, sed per certa interualla temporis; cùm sol continuè accedat, & dici non possit quòd potiùs nunc debeat interrumpi augmentum lucis, quàm ante vel post.

Nec refert quòd illuminatio non sit vera alteratio, cùm non fiat inter qualitates contrarias; nam hinc potiùs intentum concluditur: si enim augmentum lucis fit continuò, etsi nullum superandum sit contrarium, à fortiori calefactio, frigefactio, aliæque propriæ alterationes continuò fieri debent; cum resistentia contrariæ qualitatis in ijs paulatim debellanda sit.

Probatur 3. Nam si per alterationem producitur aliquid qualitatis in instanti, vel immediatè post aliquid producitur, vel nihil; hoc posterius dici nequit, nam cùm non minùs tunc agens sit applicatum passo, quàm in instanti præcedente, & ex se sit determinatum ad agendum, quamdiu est illi debitè applicatum, nulla est ratio cur post instans illud nihil operetur; ergo operatur in tempore, adeoque cùm operatio illius sit alteratio, sequitur alterationem fieri in tempore, & esse continuam.

Nec placet quod dicunt nonnulli, in tempore ſequenti non produci aliquem gradum eiuſdem qualitatis iam inchoatæ, ſed diſpoſitionem ad alium illius gradum: talis enim diſpoſitio gratis conficta eſt, cùm nequeat dici quid ſit, aut cur neceſſaria, illiuſque productio non poſſit non eſſe vera alteratio. Vnde cùm dicatur produci in tempore, ſemper verum manebit alterationem fieri in tempore, & eſſe motum continuum; quod intendimus.

Obiicies 1. Qualitas quæ per alterationem producitur, eſt ens permanens; ergo debet produci in inſtanti, ſeu per primum ſui eſſe, ita vt ſi nequeat ſecundum totam ſuam intenſionem produci in vnico inſtanti, producatur ſaltem vna illius pars in vno inſtanti, & alia in alio poſt moram aliquam. Reſpondeo ex communi ſententia, negando ſequelam, nam vt res permanens tota ſimul producatur, neceſſe eſt vt non ſit diuiſibilis in partes, & careat contrario, quomodo ſubſtantia producitur ſimul tota, quia non ſuſcipit magis & minùs, neque habet contrarium quod paulatim debellandum ſit: at qualitas alteratione producta conſtat ex partibus in infinitum diuiſibilibus, & non poteſt introduci niſi qualitas oppoſita deſtruatur, quod per ſucceſſionem continuam fieri debet.

Aliter reſpondeo, etſi detur certam aliquam partem qualitatis in vnico inſtanti produci, inde non ſequi inter productionem illius partis & ſequentis debere moram aliquam intercedere, cùm nobis valde probabile ſit poſt vnum inſtans temporis immediatè aliud ſequi, in quo proinde pars qualitatis altera produci poteſt.

Obiicies 2. Si qualitas per alterationem

continuò & in tempore producitur, cùm in quolibet tempore sint partes infinitæ, sequeretur per quamlibet alterationem produci qualitatem infinitè intensam, quod repugnat. Verùm hæc obiectio in primis in suos autores retorqueri potest, nam si non verentur ponere in tempore partes infinitas, cur timent qualitati in tempore productæ totidem partes tribuere? Quòd si dicant non esse in tempore nisi partes minores, & minores infinitas, patiantur nos idem affirmare de partibus qualitatis per alterationem productæ.

Deinde idem incommodum vrgeri potest, etsi dicatur alterationem non fieri nisi per instantia, ita vt quolibet instanti pars aliqua qualitatis producatur, cùm nulla pars adeo exigua in ea possit assignari, quæ non sit diuisibilis in alias minores, & minores in infinitum.

Quæritur 2. An alteratio fiat continuè quoad extensionem subiecti. Prædicti auctores negant, existimantes in instanti produci minimum qualitatis in minima parte subiecti, ita vt nulla pars minor alterari possit, sicque deinceps per varia instantia qualitatem ad varias partes minimas subiecti extendi, adeoque cum interruptione.

Verùm hoc refellitur primò ex communi sententia, tum quia nulla adeo exigua pars subiecti potest assignari, quin detur alia minor, vt patet ex compositione continui, de qua alibi agetur: quò fit vt per alterationem qualitas sit citius producenda in medietate vnius partis subiecti, quàm in tota parte, cùm priùs ab illa debeat expellere qualitatem contrariam quàm ab ista. Aliàs quid impediret quò minus alteratio tota in vnico instanti perfici posset?

Tum quia agentia naturalia, cùm sint virtutis limitatæ, validiùs agunt in propinquum quàm in remotum, vt patet experientia; quare cum ignis v. c. producit vnum gradum caloris in aliqua parte ligni, non nisi calorem remissiorem in parte remotiori producere potest. Confirmatur, nam modus agendi vniformiter difformiter, qui ex communi Philosophorum consensu, competit rebus naturalibus, in eo consistit, vt quò partes subiecti ab agente sunt remotiores, eò minùs ab illo immutentur, donec perueniatur tandem ad partem aliquam in qua vis agentis omnino deficiat.

Refellitur secundò, quia etsi detur alterationem fieri, vt supponitur, per varia instantia, inde non sequitur qualitatem, non nisi variis morulis interiacentibus, ad alias & alias partes minimas subiecti diffundi, cùm probabilius videatur, tempus non nisi ex meris instantibus componi, ac proinde vnum fluere immediatè post aliud, vt infrà ostendemus; nec vlla ratio afferatur, cur possit agens in vnico instanti producere minimum qualitatis in minima parte subiecti, nec possit similiter immediatè post operari in alia minima parte, adeoque sine vlla interruptione.

Adde quod, quouis modo fiat illa diffusio qualitatis, siue per instantia, siue per partes diuisibiles temporis, incredibile videtur eam non fieri nisi per moras: cùm videamus stuppam, paleas, ac maximè puluerem tormentarium velocissimè corripi ab igne admoto; aliasque & alias eorum partes continuò, & sine vlla interruptione inardescere.

ARTICVLVS III.

Quid tenendum sit de intensione qualitatis.

PRæmoneo 1. Aliud esse qualitatem in subiecto extendi, aliud in eo intendi; dicitur enim extendi quando ab vna parte subiecti ad aliam transit, vt cùm calor primò manum, deinde brachium afficit; dicitur verò intendi, quando in eadem parte subiecti magis perficitur; vt cùm manus affecta gradu aliquo caloris, magis adhinc calefit.

Præmoneo 2. Qualitatis intensionem duobus modis considerari posse, primò ex parte alterationis qua qualitas perficitur, vt cùm dicimus manum magis & magis calefieri; secundò ex parte ipsius qualitatis per alterationem productæ, qua ratione dicimus calorem in manu productum esse in se perfectiorem & intensiorem. Itaque

Quæritur 1. An qualitatem intendi idem sit ac nouam qualitatem aduenire perfectiorem præcedenti, hancque per illius aduentum destrui. Respondeo cum omnibus Peripateticis, contra Durandum, intensionem qualitatis sic explicandam non esse. Probatur, tum quia frustrà & sine fundamento in alteratione ponitur continua destructio, & productio innumerarum qualitatum; cùm sine incommodo intelligi possit eandem qualitatem in se magis ac magis perfici, vsque ad finem alterationis. Imò periculosum sit affirmare, quoties charitas in iusto augetur, præcedentem charitatem aboleri, & nouam ex integro produci; quod tamen, posita illa Durandi sententia, affirmandum esset.

Tum quia cùm totus calor ignis ſit vnius rationis & ſpeciei, imò ſit vnica numero qualitas, abſurdum eſt exiſtimare per illum produci in aqua calefacta innumeros gradus caloris; non modo numero, ſed etiam ſpecie inter ſe diſtinctos; at tales producerentur, ſi quilibet eſſet indiuiſibilis in ſua entitate, haberetque ex natura ſua incompoſſibilitatem cum quolibet alio.

Tum quia ſi in alteratione intenſio qualitatis fieret per deſtructionem præcedentium graduum, & nouorum productionem; dicendum quoque eſſet remiſſionem qualitatis eodem modo fieri; ſicque cùm aqua ablato igne, ad priſtinum frigus ſe reducit, totus calor in ea productus deberet deſtrui, & alius remiſſior produci, & hoc deſtructo alius imperfectior generari, donec totum aquæ frigus reſtitutum eſſet; at à qua cauſa producerentur noui iſti calores alij aliis remiſſiores? Non ab igne, tum quia non ampliùs agit in aquam, vt ſupponimus; tum quia ſi ageret, potiùs in ea calorem augeret, quàm minueret. Non etiam ab aqua, vt per ſe manifeſtum eſt, à quo igitur?

Obiicies 1. Alteratio eſt motus à qualitate remiſſa ad qualitatem intenſam, vt à termino à quo ad terminum ad quem; ſed in motu terminus à quo abiicitur, & terminus ad quem acquiritur: ergo qualitas remiſſa in alteratione deperditur, & intenſa acquiritur. Reſpondeo, in motu alterationis qualitatem remiſſam, quæ eſt terminus à quo, deperdi non ſecundum ſuam entitatem, ſed ſub ratione qualitatis remiſſæ; addito enim nouo gradu, non ampliùs eſt remiſſa; vt antè, ſed intenſa; ſicut in motu accretionis minor quantitas non

deperditur secundum se, sed tantùm quatenus habet rationem minoris quantitatis; quia addita noua quantitate, iam denominatur maior.

Obiicies 2. Cùm primus & secundus gradus sint eiusdem speciei, si secundus primum non expelleret, & tertius secundum, sicque consequenter, plura accidentia absoluta solo numero distincta essent in eodem subiecto, quod repugnat. Respondeo negando consequentiam, nam ex omnibus gradibus intensionis conflatur vnum numero accidens adæquatum & totale, cuius proinde omnes partes in eodem subiecto esse possunt. Imò plura accidentia adæquata solo numero distincta posse reperiri in eodem subiecto, ex eo patet, quòd vel possum simul elicere duas cognitiones solo numero distinctas, alteram huius, alteram illius hominis; vel saltem si de hoc dubitetur, non potest negari quin species illorum intelligibiles, quæ tantùm numero distinguuntur, simul esse queant in meo intellectu: Sicut & in eadem aëris parte plures species intentionales obiectorum similium, numero tantùm distinctæ reperiuntur.

Quæritur 2. vtrum intensio qualitatis consistat in mera ablatione contrariæ qualitatis, vel in maiori illius quæ dicitur intendi, radicatione in subiecto.

Respondeo & Dico 1. *Intensionem qualitatis non consistere in mera remotione contrarij.* Probatur 1. quia qualitates contrarium non habentes vt lux, sonus, & similes intendi possunt: aër enim magis illustratur ex maiori solis vel lucernæ accessu, vt experientia constat; nec tamen lux reperit in aëre aliquam qualitatē contrariam, cuius expulsioni illius intensio tribui possit.

Probatur 2. quia tantum abest vt qualitates contrarium habentes intendantur ob expulsionem contrarij, quin potiùs quia illæ intenduntur in subiecto, hinc fit vt qualitates oppositæ ab eodem expellantur, v.c. ideo frigus paulatim ab aqua expellitur, quia calor ab igne in ea producitur, & per continuam calefactionem intenditur; non autem quia frigus ab aqua expellitur, ideo calor in ea intenditur.

Probatur 3. quia si expulsio frigoris præcisè esset causa intensionis caloris in aqua, sequeretur ex hypothesi quòd aqua haberet vnum tantum caloris gradum eam quocunque calefaciente amoto, totam possibilem caloris intensionem consecuturam, modo Deus eam frigore natiuo spoliaret. Hoc autem planè absurdum est, & fundamento caret.

Dico 2. *Intensionem qualitatis non consistere in maiori radicatione illius in subiecto, vt Thomistæ existimant.* Probatur 1. quia illa maior radicatio ita explicari solet, vt eadem entitas qualitatis in se inuariata manens, dicatur nunc esse remissa, quia leuiter inhæret subiecto, nunc intensa, quia intimiùs illud peruadit, magisque veluti in eo infigitur & radicatur, ita vt non facilè ab eo auelli possit. At certè eiusmodi radicatio non sufficit ad explicandam qualitatis intensionem; cùm vel ad sensum satis pateat aërem v.c. longè esse intrinsecè lucidiorem in meridie, quàm mane; & aliunde non magis lux sit tunc radicata in aëre, quàm cum exilior est, vt ex eo patet, quòd in quolibet statu æqualiter à solis præsentia dependet; ita vt eo recedente, siue magna, siue parua sit, pari facilitate euanescat.

Probatur 2. Nam si intensio qualitatis consi-

ſteret præcisè in maiori radicatione ſubiecti, ſequeretur qualitates eò eſſe intenſiores, quò magis ſunt radicatæ in ſubiecto, & vice verſa eò remiſſiores, quò minorem in eo radicationem habent; at hoc abſurdum eſſe inde oſtenditur, quia luna eſt longè lucidior aliis omnibus planetis, ſole excepto; & tamen perſpicuum eſt lucem non adeo firmas in ea radices agere, ac in reliquis aſtris. Conſtat etiam calorem ferri candentis eſſe longè intenſiorem calore natiuo animalis; & tamen illum ſtatim euaneſcere, hunc verò per totam animalis vitam conſtanter perſeuerare, ſicque longè firmiùs illi adhærere, notiſſimum eſt.

Probatur 3. Nam ſi qualitatis intenſio nihil aliud eſſet quàm maior illius radicatio in ſubiecto, ſequeretur primam gratiam & charitatem in iuſto per bona opera non augeri realiter & intrinſecè, ſed tantùm eandem magis in illo radicari; & conſequenter non maiorem ſeu intenſiorem fore intrinſecè gloriam beati, qui toto vitæ tempore innumeros actus meritorios, alios aliis præſtantiores edidit, quàm ſi vnicum tantùm horum actuum, eumque imperfectiſſimum elicuiſſet; quod ſine errore affirmari nequit. Sequela patet, nam cùm gratia & charitas ſint qualitates, dici non poteſt quod aliter intendantur, quàm qualitates ſenſibiles & naturales.

Probatur tandem, nam vel illa maior radicatio aliquid reale addit, ſupra entitatem qualitatis remiſſæ, vel nihil; hoc poſterius dici non poteſt, quia ſic qualitas non deberet dici intenſior quàm ante, ergo prius verum eſt. Rurſus, vel quod addit eſt vera entitas realis, vel nouus quidam modus vnionis; non modus vnionis, tum quia cùm qualitas remiſſa

missa iam ante inhæreret subiecto, secundum totam suam realitatem, dici nequit quod nouo modo illi vniatur, nisi illi addatur quædam entitas eidem subiecto vnienda. Tum quia superueniente nouo modo vnionis, præcedens esset inutilis, adeoque posterioris aduentu destruendus esset; at non potest intelligi quænam sit causa talis destructionis, & quomodo destructo vnionis modo, non simul destruatur res quæ per illum subiecto erat vnita. Tum denique quia actio ignis calefacientis aquam, non tendit ad producendum modum vnionis, sed ad producendum calorem realem; vt vel ex eo manifestum est, quod aqua ebulliens longe magis calefacit quàm tepida, ex quo sequitur aliquid aquæ additum esse præter modum vnionis; quia præcisè ob solum eiusmodi modum, aqua non haberet vim producendi calorem adeo intensum.

Quæritur 3. an intensio qualitatis fiat per additionem gradus ad gradum. Respondeo affirmatiuè, vt ex dictis à sufficienti enumeratione colligi potest, cum nihil aliud supersit in quo intensio illa constitui queat; & præterea tolerandum non sit in Ecclesia affirmare, gratiam sanctificantem, ex quo primùm peccatori infusa est, eáque factus est iustus, nullum vnquam augmentum intrinsecum recipere; nec possit augmentum intrinsecum in gratia intelligi, sine additione aliorum & aliorum graduum, ad eum qui totus simul initio iustificationis infusus est.

Confirmatur, nam certum est ex fide, gloriam beatorum fore inæqualem, & ex vi talis inæqualitatis alios aliis fore beatiores, clariusque Deum visuros: illa autem inæqualitas supponit inæqualitatem in ipsa gratia & cha-

ritate huius vitæ, cùm gloria detur iuxta proportionem gratiæ; & hæc inæqualitas gratiæ & charitatis non potest concipi, nisi plus sit entitatis gratiæ & charitatis in vno, quàm in alio; adeoque augmentum illius fiat per additionem entitatis ad entitatem, seu gradus ad gradum, vt vulgò loquuntur.

Declaratur vlteriùs, nam Petrus v. c. est magis intrinsecè iustus quàm Paulus, magisque Deo gratus; at non potest verè appellari magis iustus, nisi maiorem habeat gratiam, siquidem *sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis*; dicitur autem simpliciter iustus, quia habet gratiam: ergo & magis iustus, quia habet maiorem gratiam. Et sanè absurdissimum est & falsissimum existimare, duorum hominum habentium gratiam omnino æqualem quoad entitatem, cuique à primo momento iustificationis nulla intrinseca entitatis additio facta sit, alterum verè esse altero centies & millies iustiorem, Deoque gratiorem; etsi fingatur illius gratiam longè firmiùs & tenaciùs ei hærere, quàm alteri suam.

Dico etsi fingatur; nam quòd id mera sit fictio, inde patet, quia eadem facilitate amittitur gratia per peccatum mortale, siue magna sit, siue parua; sæpeque contingit, eum qui minùs habet gratiæ sanctificantis, diutiùs eam conseruare, quàm illum qui maiori gratia præditus est.

Obiicies 1. illud Aristotelis 4. Physic tex. 84. *Ex calido fit magis calidum, nullo facto in materia calido, quod non esset calidum, quando erat minùs calidum*; quibus verbis docere videtur, ex minùs calido non fieri aliquid magis calidum, per additionem noui caloris. Sed hoc gratis dicitur, cùm Aristoteles tantùm velit magis cali-

dum non fieri, ex eo quòd noua materia incipiat calescere, in hoc enim consistit extensio caloris, non autem intensio illius; sed quia præcedens quæ antea erat minùs calida, fit magis calida: vnde sententia nostra apertè stabilitur, & opposita destruitur.

Obiicies 2. qualitas quoad se totam est forma accidentalis subiecti, adeoque purus actus; at non esset purus actus, si ex variis gradibus constaret, quia iam ex actu & potentia coalesceret. Respondeo qualitatem esse purum actum respectu subiecti, quia secundum se totam illud actuat & accidentariò perficit; in se tamen admittere compositionem aliquam non propriè ex actu & potentia, sed ex partibus integrantibus; nimirum ex variis gradibus qui eandem qualitatem integrant. Ad eum modū quo quantitas, etsi vt forma accidentalis sit merus actus respectu materiæ; in se tamen ex variis quantitatibus partialibus, vt ex partibus integrantibus coalescit.

Obiicies 3. Essentiæ rerum sunt indiuisibiles, ergo qualitas non potest augeri additione gradus ad gradum. Respondeo non sequi, nam qualitas non augetur secundum essentiam graduum additione; manet enim essentialiter idem calor specie post quamcunque additionem: sed tantùm quoad entitatem, quomodo non repugnat qualitatem augeri; sicut non repugnat hominem augeri additione nouarum partium substantiæ & quantitatis, etsi ratio hominis Metaphysicè spectata consistat in indiuisibili.

ARTICVLVS IV.

Quomodo gradus intensionis se habeant inter se.

QVæritur 1. An gradus omnes intensionis sint inter se similes, & homogenei quoad speciem. Respondeo affirmatiuè, quod probatur, quia non minor est similitudo inter hunc & illum gradum caloris, quàm inter hanc & illam partem quantitatis, inter hanc & illam partem substantiæ; atqui partes quantitatis, & partes substantiæ conueniunt inter se quoad speciem: ergo & gradus qui componunt intensionem qualitatis, similitudinem specificam inter se habere debent.

Confirmatur, nam sicut quantitas est vnum specie accidens, & substantia vna specie substantia, ita & calor v. c. est vna specie qualitas; ergo debet constitui ex gradibus eiusdem speciei: aliàs esset ens multiplicis speciei, & aggregatum per accidens, quod nimis absurdum est. Præsertim cùm ab eodem agente producatur, in eodem sit subiecto, & eundem effectum formalem communicet.

Quæritur 2. an gradus intensionis sint inter se similes, & æqualis perfectionis quoad indiuiduum; adeo vt nullus sit ordo essentialis inter illos, sed qui posteriori loco producitur, æquè possit quantum est ex se priori produci. Respondeo affirmatiuè, probaturque 1. quia nulla est necessitas ponendi distinctionem & subordinationem illam inter gradus qualitatis, vt patebit ex solutione obiectionum; quare illa distinctio & subordinatio, vt pote superflua admittenda non est. Confirmatur, nam sicut nul-

iam admittimus inæqualitatem inter partes quantitatis, vel inter partes substantiæ, ita neque necesse est inter partes eiusdem qualitatis eam admittere.

Probatur 2. quia etsi octo tantùm gradus communiter assignentur in qualitatis intensione, æquè tamen in ea numerari poterant quinquaginta, aut centum: Quare tot differentiæ & inæqualitates constituendæ essent in qualitate summè intensa, imò & plures in infinitum, cùm quælibet pars qualitatis in infinitum diuidi possit secundum intensionem, sicut & quantitas secundum extensionem. Hoc autem adeo per se absurdum est, vt refutatione non indigeat.

Vnde refelluntur qui dicunt, inæqualitatem illam restringendam esse ad numerum octo graduum qui vulgò assignantur: hoc enim sine fundamento dicitur, vt iam ostendimus, & præterea suadetur; quia cum negari nequeat quin quilibet gradus ex multis partibus intensionis constet, si illæ sunt inter se æquales vt supponitur, nulla ratio afferri potest cur per alias similes non possint intendi, ita vt duo aut plures gradus in vnam qualitatem omnino homogeneam coalescant.

Probatur 3. gradus intensionis non esse inter se subordinatos, sed eum qui primus est, posse ex se esse secundum vel tertium: nam candela primò accensa producit primũ gradum lucis, quæ verò secundo accenditur, producit intẽsionem prioris illius lucis; oppositum autem euenisset, si hæc prius accensa fuisset quàm illa.

Probatur 4. gradus illos non esse perfectiores quo sunt remotiores à primo: nam inprimis si post productionem primi gradus caloris, subiectum quod calescit paululum moueatur, ita vt

ignis partem sequentem calefaciat, calor iste omnino erit similis iam producto in alia parte; ergo etsi subiectum non moueatur, adeoque ignis in eadem parte in qua primum gradum caloris produxerat, secundum producat, dici nequit gradum hunc superuenientem priori esse dissimilem, eoque perfectiorem: Quid enim causæ esse potest, cur igne ex se eodem modo agente, vnus gradus caloris modò sit nobilior, quia producitur in parte iam paululum calefacta, modo ignobilior, quia in subiecto non calido recipitur?

Deinde maior illa perfectio in eo consistere dicitur, quòd secundus gradus possit per se primum in alio subiecto producere, tertius duos priores, & sic deinceps vsque ad octauum, cui vis producendi omnes septem gradus, & alium sibi similem tribuitur: at hoc planè absurdum & incredibile est, quia sic sequeretur, secundo gradu adueniente primum esse superfluum, tertio producto, primum & secundum, omnesque septem, posito octauo. Eò vel maximè quia non potest octauus æquiualere aliis septem, quia solus eodem modo subiectum reddat calidum; adeoque nulla est ratio cur eo præsente, alii conseruari debeant.

Tandem vnde sumitur maior illa perfectio graduum sequentium supra præcedentes? Non à maiori intensione, cùm æque intensi dicãtur; non etiam ex eorum subordinatione & dependentia, hinc enim oppositum potius colligendum est, quia secundus dicitur depẽdere à primo, tertius à primo & secundo, & octauus à septem aliis: at hæc dependentia arguit imperfectionem vt perspicuum est, cùm gradus octauus nihil habeat in se quo aliis excellat, sed vt summum, quatenus est ordine octauus, quod

habet præcisè ex eo quod septem alij præcedunt, à quibus necessariò dependet.

Obiicies 1. Si omnes gradus intensionis essent similes, sequeretur calidum vt vnum posse octo gradus caloris in eodem subiecto producere, quod tamen repugnat experientiæ; sequela patet, nam calidum vt vnum potest vnum gradum caloris in octo subiectis distinctis producere, ergo & eos omnes in vno subiecto producere posset. Respondeo negando sequelam maioris, & ad illius probationem dicimus, calidum vt vnum non posse intendere in eodem subiecto calorem vnius gradus, non quod secundus gradus sit entitatiuè nobilior primo; sed quia simile non agit in simile, vt suprà ostendimus; potest autem in pluribus subiectis non calidis producere vnum gradum caloris, ob rationem oppositam; ea enim sunt quoad hoc ei dissimilia, & in potentia ad vnum gradum caloris recipiendum.

Obiicies 2. Quando aqua recipit primum gradum caloris, ille expellit octauum gradum frigoris, & manet simul cum aliis septem, quod indicio est octauum gradum esse aliis dissimilem, aliàs cur potiùs illum quàm alium expelleret? Respondeo id non sequi, nam cum subiectum sit tantùm capax octo graduum frigoris aut caloris, necesse est vt quantùm calor in eo intenditur, tantùm frigus in illo remittatur: quare cùm aqua recipit vnum gradum caloris, statim amittit vnum gradum frigoris, non quod ille gradus sit aliis dissimilis, sed quia etsi omnes sint similes, non possunt nisi septem ex illis consistere simul cum vno gradu caloris.

Quare autem cùm omnes gradus frigoris

sint similes, vnus potiùs aduentu caloris destruatur quàm alius, id certò affirmari non potest. Nonnulli dicunt non esse potiorem rationem spectata rei natura, cur vnus destruatur quàm alius, sed id referendum esse in determinationem causæ primæ, quæ vt in aliis plerisque casibus, ita & in isto, causam ex se indifferentem ad plures effectus, ad hunc potius quàm illum determinare debet.

Alii dicent, etsi gradus omnes frigoris sint similes, ex variis circunstantiis & conditionibus oriri quod vnus prius expellatur quàm alius, sicut alibi diximus probabilius videri, ex circunstantiis oriri quod causæ ordinis naturalis, ex se indifferentes ad producendos plures effectus numero distinctos, hunc potius pro ducant quàm alium.

Quod si neutra ex his responsionibus placet aduersariis, dicant ipsi quî fieri possit, vt cum ex eorum sententia, primus gradus sit imperfectissimus, & octauus perfectissimus, ad productionem primi gradus frigoris non primus, vel secundus, sed vltimus caloris gradus corrumpatur.

Obiicies 3. Si omnes gradus intensionis essent similes, sequeretur plures gradus in diuersis partibus subiecti extensos, intensionem constituere si in eadem parte reciperentur: hoc autem absurdum esse ex eo patet, quia sequeretur intensionem qualitatis non esse perfectiorem illius extensione. Respondeo admissa sequela maioris, negandam esse minorem, ad cuius probationem aliqui concedunt, intensionem qualitatis non esse perfectiorem illius extensione; quia calor intensus vt quatuor, nullam habet

perfectiorem entitatiuam, quam non habeant quatuor gradus caloris extensi in diuersis partibus subiecti. Alii verò id negant, quia etsi eadem sit entitas graduum, dum tamen omnes simul in eadem parte ponuntur, spectant ad integritatem eiusdem qualitatis, ita vt intensio sit compositio illi integralis; extensio verò est quidam modus accidentalis illi ex subiecto adueniens.

CAPVT IX.

DE RERVM VBICATIONE, & duratione.

ARTICVLVS PRIMVS.

Per quid res sint formaliter in loco.

PRæmoneo res omnes creatas esse alicubi seu in aliquo loco, & quoties localiter mouentur, locum mutare; ita vt mox sint præsentes vni loco seu spatio, mox alteri. Dubitatur ergo quidnam id sit à quo res denominatur esse alicubi, cùm enim hæc sit noua denominatio rei adueniens, à quadam forma siue externa, siue interna quæcunque sit, oriri debet. Quænam autem illa sit in dubium vertitur.

Non pauci existimant vbi esse modum quemdam realem & intrinsecum rei vbicatæ, à quo habet formaliter vt sit præsens tali aut tali loco. Alij verò putant

modum illum, & quamcunque aliam realitatem rei superadditam esse ad hoc superfluam, adeoque quamlibet rem esse formaliter loco præsentem per seipsam immediatè.

Et hic posterior modus nobis semper visus est probabilior, primò quia sicut ex communi sententia, res intelligitur esse in tempore, ex eo præcisè quod coexistit tempori: ita est in loco, ex eo quòd per suam entitatem immediatè coniungitur loco. Confirmatur, nam ex hypothesi quòd res aliqua per se aliquod spatium occupat, præcisa per mentem quacunque entitate modali, aliaue realitate, sufficienter intelligitur eam in tali loco existere; quemadmodum abstracta quacunque alia reali entitate, satis concipimus rem esse hoc die vel anno, ex hypothesi quòd simul existit cum die vel anno currente.

Secundò, modus ille superueniens necessariò supponit rem ex qua resultat existentem, quemadmodum modus subsistentiæ supponit existentem naturam ex qua fluit. At res existens est alicubi, cùm fieri nequeat etiam ex mente aduersariorum, vt res aliqua sit, & nullibi sit; sicut repugnat quòd res existat, & in nullo tempore siue vero, siue imaginario existat. Ergo res priùs est in loco quàm producat modum illum positiuum per quem dicitur esse formaliter in loco, ac proinde non est in loco per talem modum. Non etiam dici potest quòd per illum sit in tali loco v. c. in hoc cubiculo; cùm enim non producat modum illum alibi quam in hoc cubiculo, necesse est vt priùs in illo sit, quàm talem modum producat.

Tertiò cùm modus ille distinguatur realiter à re locata, vt supponitur, poterit Deus impedire illius resultantiam, sicut potest impedire ne subsistentia à natura resultet, vt patet ex mysterio Incarnationis. Imò etsi modus ille productus sit, poterit Deus illum destruere tota rei substantia conseruata; in hoc enim nulla apparet repugnantia, supposita distinctione allata quam Aduersarij amplectuntur. Eo autem modo sic impedito, vel destructo res nihilominus erit in eodem loco in quo erat antea, cùm propterea alio translata non sit. Ex quo euidenter sequitur rem non esse in loco per modum illum, sed per seipsam immediatè. Confirmatur, nam non aliter res vt affecta modo illo est in loco, nisi quia per illum immediatè coniungitur loco: at potest æquè sine illo per seipsam coniungi loco; ergo & esse in loco sine ope illius.

Obiicies 1. Quod Petrus sit in hoc cubiculo, est quædam noua denominatio realis, quæ non nisi à forma aliqua reali profluere potest: at non profluit ab entitate Petri, & cubiculi, quia vtraque entitas esse potest etsi Petrus non sit in cubiculo, ergo ab aliqua oriri debet, quæ alia esse nequit quàm modus prædictus. Respondeo primo hoc argumentum contra plerosque ex Aduersariis retorqueri posse, quatenus nobiscum dicent rem esse in tempore per seipsam, & parietem album esse alteri similem per seipsum: dici enim potest esse in tempore, & esse alteri simile, inferre denominationes reales, quæ proinde à forma aliqua reali oriri debent.

Respondeo 2. quòd Petrus sit in hoc cubi-

culo esse denominationem realem ex eo ortam, quod Petrus per seipsum immediatè est intra cubiculum, sicut idem Petrus existit hoc tempore per seipsum, & paries albus per seipsum est similis alteri parieti albo; indeque oritur realis denominatio quæ præter rem existentem, & similem, connotat tantùm coexistentiam temporis, & parietis albi.

Obiicies 2. Actio realis terminum realem habere debet: atqui motus localis est actio realis; ergo terminum realem habere debet. Rursus actionis realis terminus est intrinsecus, qualis non est locus respectu motus localis; Ergo ponendum est in ipso mobili aliquid reale & intrinsecum per motum localem productum, quod aliud esse nequit quàm modus ille de quo litigamus. Respondeo 1. hoc argumentum contra arguentes posse retorqueri, nam siue Petrus per motum localem acquirat aliquem locum, siue per creationem in eo loco diuinitus constituatur, semper verum erit Petrum quantum est ex se, esse in eodem loco: nec tamen idem esse potest formalis terminus positionis in loco per creationem, & motus localis: quare falsum est quòd per motum localem producatur modus aliquis positiuus, per quem res sit formaliter in loco.

Respondeo 2. actiones esse duplicis generis, aliæ enim sunt productiuæ, qualis est calefactio, aliæ tantum adductiuæ, cuiusmodi est motus localis, qui non eo tendit vt producat aliquid in mobili, sed vt mobile transferat ab vno loco ad alium, illudque immediatè & per seipsum cum tali loco con-

iungat. Et hoc vel ex ipso nomine huic motui imposito intelligi potest: non enim dicitur alteratio, quia per illum mobile nihil reale acquirit aut deperdit, sed simpliciter motus localis vt intelligatur eiusmodi motum ex natura sua tendere ad locum, & esse viam ad illum tanquam ad suum terminum. Vnde ad rationem illius sufficit quòd nouus locus per illum acquiratur.

ARTICVLVS II.

De rerum duratione.

QVæritur 1. Quid propriè sit duratio; & an addat aliquam entitatem realem suprà rem quæ durare dicitur.

RESPONDEO & dico 1. *Durationem non esse propriè & formaliter existentiam rei, sed potiùs illius permanentiam in esse.* Primum patet, quia per existentiam præcisè res dicitur tantum esse seu existere; at per durationem aliquid amplius innuitur, nempe rem aliquanto tempore existere, seu in suo esse permanere. Vnde in sententia ponente in motu, & in tempore indiuisibilia, dici nequit propriè ea durare, quia in suo esse non permanent.

Secundum ostenditur, quia positâ rei permanentiâ in esse, statim intelligitur eam durare, ablatâ vero oppositum intelligitur; ergo duratio rectè constituitur in tali permanentia. Confirmatur, nam eò magis aut minùs res dicitur durare, quò magis aut minùs in suo esse perseuerat: Ex quo sequitur durationem posse definiri, *permanentiam rei in suo esse.*

Dico 2. *Durationem non esse entitatem realiter*

distinctam à re durante. Hoc in primis certum est in Deo omnium consensu, quia Deus verè durat per totam æternitatem, nec tamen hæc duratio dicit aliquid ab illius substantia realiter distinctum. Vnde colligitur idem secundò posse dici in rebus creatis, proportione seruata. Cuius ratio est, quia sicut concipimus Deum durare ab æterno, eò quòd illius esse semper permanet; ita intelligimus res creatas durare, ex eo præcisè quòd earum esse aliquandiu permanet.

Confirmatur, nam ex vna parte ablata permanentia in esse, res desinit durare, adeoque duratio nihil est aliud realiter quàm esse permanens: ex alia verò esse permanens non dicit aliquid realiter ab esse distinctum, vt patet in Deo, eaque ratione suadetur; quia si adderet aliquid realiter distinctum, non esset præcisè ipsum esse permanens, sed potiùs aliquod illius auctarium, quod nullo modo necessarium est, vt res durare intelligatur.

Obijcies 1. Duratio non est præcisè rei existentia, vt prima assert. dictum est, ergo addit aliquid supra existentiam. Respondeo addere tantùm connotationem temporis cui res durans coexistere dicitur, non autem aliquam realem entitatem ipsi rei duranti de nouo aduenientem, & ab illius existentia realiter distinctam. Exempli causa, cùm dicimus aliquem durasse per 50. annos, nihil aliud concipimus quàm eum in suo esse perstitisse, quandiu tempus illud effluebat. Vnde etsi ille plus durauerit quàm si non nisi 30. annis vixisset, ea maior duratio non dicit aliquam entitatem ab illius existentia realiter distinctam, sed tantùm connotationem longioris temporis; sicut vice versa minor duratio non dicit

detractionem alicuius entitatis, sed tantum eiusdem existentiæ correspondentiam cum breuiori tempore.

Obijcies 2. Prius est rem existere quàm durare, ergo duratio se habet vt accidens respectu rei etiam vt existentis, adeoque realiter distinguitur ab illa. Antecedens probatur, quia existentia est magis intrinseca rei quàm duratio; prima verò consequentia patet, quia quidquid aduenit enti in actu perfecto, est accidens illius, secunda ostenditur, quia nihil potest accidere sibi. Respondeo ad priorem consequentiam, durationem esse accidens aliquod respectu existentiæ, non realiter illam afficiens, sed consistens in connotatione extrinseca temporis ei correspondentis, vt explicatum est. Ad eum modum quo columnæ existenti in aula, aduenit accidentariò esse modò dextram, modò sinistram ambulanti per aulam; non quidem per realitatem aliquam ei superadditam, sed per denominationem extrinsecam à motu ipsius ambulantis, qui modo fit illi dexter, modo sinister.

Obijcies 3. Duratio distinguitur in Deo ratione & virtualiter ab existentia, ergo in creatis realiter ab illa distingui debet; sequela patet, quia virtualis distinctio attributorum Dei à reali distinctione creaturarum sumi solet. Respondeo negando consequentiam, & ad illius probationem dicendum, non opus esse vt quæcumque sunt in Deo indistincta realiter, in creaturis realiter distinguantur, vt ex eo patet, quòd ex communi Philosophorum & Theologorum sententia, de qua supra actum est, existentia creaturarum non distinguitur realiter ab eorum essentia. Non pauci

quoque existimant intellectum, & voluntatem non distingui in homine à substantia animæ.

Quæritur 2. Quotuplex possit assignari rerum duratio.

Respondeo & dico 1. *Durationem posse generatim diuidi in permanentem, & successiuam.* Ratio est quia cum duratio non distinguatur ab existentia rei durantis, sicut aliquæ res sunt in sua existentia permanentes vt Deus, Angeli, cœli; aliæ successiuæ, vt motus; hinc sequitur aliam durationem esse permanentem, aliam successiuam.

Quo loco aduerte 1. hanc diuisionem non pugnare cum definitione durationis superius allata: quia cum diximus durationem esse permanentiam rei in suo esse, permanentia illa sumpta est pro quacunque perseuerantia in esse, siue ea sit permanens, siue successiua: hic verò quando diuidimus durationem in permanentem & successiuam, agimus de permanentia vt dicit partes omnes rei simul existentes, & distinguitur essentialiter à duratione successiua, quæ dicit partes post partes.

Aduerte 2. Non modo res incorruptibiles, sed etiam corruptibiles posse habere durationem permanentem pro aliquo tempore, vt patet; nam homo, equus, lapis, & similia permanenter durant, quatenus toto aliquo tempore existunt secundum omnes suas partes. Vnde distinguuntur à rebus successiuis, quòd hæ cùm sint in continuo fluxu, nunquam alicui tempori coexistunt secundum omnes suas partes, sed huic parti temporis secundum vnam partem, illi secundum aliam.

Dico 2. *Durationem posse iterum diuidi in æternitatem, æuum, & tempus.* Cuius diuisionis ratio

à nonnullis sic redditur: quot sunt modi quibus res in suo esse permanent, tot sunt durationes; at modi illi sunt tres, nam aliquid caret principio & fine, nempe Deus; alia habuere principium, sed finem non sunt habitura, vt Angeli,& cœli; alia denique & initium habuerunt, & finem habitura sunt, nempè omnia corruptibilia. Et quidem Deo competit prima duratio, quæ est æternitas: Angelis, & cœlis secunda, quæ dicitur æuum, corruptibilibus omnibus tertia, quæ tempus appellatur. Verùm hæc ratio diuisionis non satis concinna videtur, quia etsi supponeretur Angelos creatos esse ab æterno, aut aliquando finem habituros, eorum duratio non esset æternitas, aut tempus sed æuum.

Melius ergo cum alijs dici potest, aliquid esse quod habet absolutam necessitatem essendi, ita vt nulla potentia siue naturali siue supernaturali possit deficere; & hic est solus Deus, cuius duratio propria est æternitas. Alia esse quæ supernaturaliter quidem possunt deficere, non tamen naturaliter, vt Angeli, & cœli quorum duratio est æuum. Alia tandem quæ naturaliter deficere possunt, vt omnia corruptibilia quæ tempore mensurantur. Ex quo patet diuisionem prædictam esse adæquatam, & ad illam omnes rerum durationes reducendas esse.

Vbi nota 1. Inter res corruptibiles alias esse quæ continuò deficiunt, vt motus; alias quæ aliquandiu in suo esse perseuerant, vt homo, equus, lapis, aliaque composita substantialia: & priorum quidem durationem à Philosophis, & Theologis communiter vocari tempus, posteriorum verò æuum. Illi tamen congruentiùs loqui videntur, qui æuum solis re-

bus incorruptibilibus relinquendum existimant. Omnibus vero corruptibilibus siue aliquandiu permanentibus, siue successiuis tempus assignandum; cùm vulgo res corruptibiles & temporales pro eodem sumantur & frequentissimè dici soleat talem hominem tanto tempore vixisse: sanctus quoque Thomas, 1. p. qu. 10. art. 4. ad 3. doceat tempus non solum mensurare ea quæ transmutantur actu, sed etiam quæ sunt transmutabilia. Fatendum tamen tempus esse magis propriè mensuram rerum quæ actu transmutantur, seu quæ in fluxu consistunt, qualis est motus, vt patebit ex temporis definitione infrà explicanda.

Nota 2. Durationem visionis beatificæ à plerisque vocari æternitatem participatam, durationem verò gratiæ, aliorumque donorum supernaturalium in hac vita, modum æternitatis participatæ, & durationem operationum Angelicarum, quæ aliquandiu durant, modum æui. Verum quia tot durationum multiplicatio confusionem parit, placet modus loquendi eorum qui visionem beatificam, & dona infusa ex natura sua incorruptibilia ad æuum, operationes verò Angelicas ad tempus reducunt. Cæterùm quia de æternitate, & æuo aliquid diximus lib. 1. Theol. specul. cap. 6. reliquum est vt hic de tempore pauca dicamus.

ARTICVLVS III.

De Tempore.

QVæritur 2. Quid sit tempus. Respondeo tempus ab Aristot. sic definiri 4. Physic. cap. 11. tex. 101. *Tempus est numerus motus se-*

cundum prius, & posterius. Dicitur 1. *numerus, seu mensura motus*, quod videtur intelligendum de numero numerante, & de mensura mensurante, quomodo soli tempori externo sumpto à conuersione cœlorum competit; quia tempus illud assumere solemus ad mensurandas res corruptibiles & successiuas, propter omnimodam illius certitudinem & inuariabilitatem. Poterit tamen ea definitio applicari durationi internæ motus, si numerus seu mensura passiuè accipiatur; quia tempus internum motus est id quo motus numeratur, seu mensuratur secundum partes priores, & posteriores.

Dicitur 2. *Secundum priùs & posteriùs*, vt intelligatur motum non mensurari à tempore, vt habet extensionem ad spatium, vel vt habet extensionem gradualem; sed quatenus habet successionem, seu alias partes priores, alias posteriores. Cæterùm definitio prædicta non competit propriè tempori, quatenus dici potest ex suprà dictis, mensura rerum corruptibilium secundum suam substantiam spectatarum, cùm in ea non sit propriè successio, seu prius & posterius sub ea ratione.

Obijcies 1. Tempus malè dicitur numerus, cùm tempus sit quantitas continua, & numerus discreta. Respondeo numerum hic non sumi pro quantitate discreta, sed pro multitudine partium vnitarum; qua ratione tempus est propriè numerus, eò quòd partes temporis motui applicatæ, illius successionem mensurant, & patefaciunt.

Obijcies 2. Numerus numerans est quid effictum ab intellectu: at tempus est ens reale; ergo non bene definitur numerus, si id intelligatur de numerante. Respondeo tempus

quidem externum, vt identificatur cum motu cœlorum, esse quid reale, & ab intellectu independens; vt autem sumitur præcisè in ratione numeri numerantis, vel mensuræ actiuæ, dicere ens rationis. Siquidem quòd duratio motus cœli in annos, menses, dies, & horas diuidatur ad mensurandos motus rerum sublunarium, id sanè opus est intellectus humani, adeoque merum ens rationis respectu durationis motus cœlestis.

Obijcies 3. Mensura debet esse notior mensurato: at tempus est ignotius motu; ergo non bene dicitur mensura illius. Respondeo tempus in se quidem esse nobis ignotius motu; in ratione tamen mensuræ esse quid notius, quatenus intelligimus quantitatem motus, per tempus quo peractus est.

Obijcies 4. Etiam quietem, vt est motus priuatio, tempore mensurari, adeoque tempus non rectè dici mensuram solius motus. Respondeo quietem mensurari tempore per accidens, motum verò per se, adeoque in definitione temporis solius motus mentionem faciendam esse: tempus enim numerat seu mensurat ratione partium priorum & posteriorum; quæ per se quidem motui, priuationi verò motus, non nisi per ordinem ad motum competunt.

Quæritur 2. Quomodo se habeat tempus ad motum. Quod vt clarius resoluatur,

Aduerte 1. Duplex esse tempus, vt patet ex dictis, aliud externum quod communiter sumitur pro duratione motuum cœlestium, vt per illam res sublunares earumque motus mensurantur; aliud internum quod cuilibet rei per se, vt permanet in suo esse, competit. Illud vnicum est & commune pro rebus omni-

bus mensurandis, hoc verò est multiplex, iuxta rerum quæ durare dicuntur varietatem. Vnde etsi sol sisteretur, sicque ex illius motu non possent mensurari res istæ inferiores, eæ tamen non desinerent durare intrinsecè quamdiu existerent, adeoque tempus proprium & internum habere.

Aduerte 2. Tempus externum adhuc distingui in reale & imaginarium: reale est duratio motus cœli, imaginarium verò est duratio illa quam concipimus ab æterno præcessisse motum cœli, quæque suo modo flueret etsi cœlum non moueretur. Vnde ratione talis temporis dicimus Deum potuisse creare mundum mille annis antequam illum creauerit; & si Deus, immoto cœlo, res sublunares conseruaret, diceremus aliquas existere eodem tempore, alias diuersis temporibus.

Aduerte 3. Hic quæstionem moueri de tempore interno cuiusque rei, nam quod tempus cœleste realiter distinguatur à rebus inferioribus, earumque motu, id nimis manifestum est. Dubitatur ergo an duratio interna motus ab illo realiter distinguatur.

RESPONDEO & dico 1. *Non esse ponendam distinctionem realem inter tempus internum & motum.* Probatur tum ex supradictis de indistinctione durationis à re durante, tum quia tempus internum nihil aliud facit quàm vt sit successio inter partes motus, seu vt vna fluat immediatè post aliam; in hoc autem fluxu non est necesse admittere vllam realitatem distinctam ab ipsis partibus fluentibus, cùm sine illa satis intelligi possit vnam partem fluere post aliam.

Confirmatur, nam ea est natura motus, vt habeat partes fluentes; ergo ex se & sine vlla

entitate superaddita dicit successionem, & moram; adeoque non distinguitur realiter à tempore interno. Eò vel maximè quia cùm motus sit ens imperfectissimum, & veluti quidam modus, absurdum videtur ei tribuere quendam modum realem à quo successionem partium recipiat.

Obijcies, motus potest esse diuinitus sine successione, ergo successio realiter à motu distinguitur; ergo & tempus internum, cùm à successione non distinguatur. Respondeo admisso antecedente de quo in Physica, negando consequentiam; quia etsi motus fieret simul, non propterea deesset illius partibus quædam realitas, sed tantùm aliqua denominatio prioris & posterioris, quam habent dùm vna alteri succedit.

Dico 2. *Quamuis præcedens assertio in aliquo motu falsa supponeretur, in motu tamen locali vt certam defendendam esse.* Ratio est, quia etsi successio ab aliquo motu tolli possit, non tamen à motu locali, vt loco citato ostendemus. Quare cùm eiusmodi motus non possit non fieri successiuè, hinc fit vt successio non modo realiter cum illo identificetur, sed etiam sit de essentia illius; adeoque vt tempus internum, quod à successione non distinguitur, à motu realiter distingui non possit.

Ex his autem collige, non immeritò tempus à Categoria quantitatis à nobis in Logica exclusum esse; cum non dicat extensionem aliquam propriam à motus partibus realiter distinctam, adeoque ad motum reduci debeat.

Quæritur 3. Qua ratione tempus existat: quod duobus modis tractari potest, primò absolutè & abstrahendo à communi sententia, quæ instantia indiuisibilia, & partes diuisibi-

les in tempore admittit. Secundò ex hypothesi quòd vera sit sententia illa communis de compositione temporis ex instantibus, & ex partibus diuisibilibus.

Respondeo & dico 1. *Probabilius esse absolutè loquendo, tempus constare ex solis instantibus, adeoque per ea sola existere.* Probari potest 1. quia ex communi Aristotelis, omniumque hominum sensu, ex tempore nihil habemus præter instans, etsi illud totum successiuè habeamus. Quare tempus non nisi ex instantibus constat. Nec dicas, commune illud proloquium non debere intelligi de instanti Physicè indiuisibili, sed de indiuisibili moraliter spectato, seu de morula adeo breui vt respectu nostri se habere videatur per modum instantis indiuisibilis: hoc enim sine fundamento dictum videtur, & mox addenda probatione refelli potest.

Probatur 2. Nam quidquid est temporis, nunc est: at quidquid nunc est, est instans indiuisibile; ergo quidquid est temporis est instans indiuisibile: ac proinde in tempore nihil est præter instantia indiuisibilia. Maior certa est, nam in tempore præter id quod nunc est, accipi non potest nisi quod fuit, aut quod futurum est: at quod fuit, non ampliùs est, & quod futurum est, nondum est: adeoque nihil est temporis, nisi quod nunc est. Minor suadetur, nam quidquid ex tempore nunc est, simul totum est: at quod simul totum est ex tempore, est instans indiuisibile; cùm repugnet partem aliquam illius diuisibilem & successiuam esse totam simul. Vnde necessariò sequitur in tempore nihil esse præter instantia indiuisibilia. Confirmatur, nam præteritum aliquando fuit præsens, futurum erit aliquan-

do præsens, & nihil est præsens præter instans indiuisibile; cùm in parte diuisibili & fluxa aliquid iam non sit, & aliud nondum sit. Quare id omne ex quo tempus constat reducitur ad instans indiuisibile.

Respondebit fortè aliquis, non tantùm instans temporis, sed etiam aliquam illius partem incertam, & indeterminatam posse totam simul esse præsentem. Verùm id gratis dicitur, quia cum pars illa sit diuisibilis & successiua, repugnat quod tota simul existat. Aliàs pars quælibet temporis determinata vt hora, dies, annus posset tota simul existere; cum simultanea existentia illi non repugnet, quia est pars determinata, sed quia est ens successiuum, & in fluxu positum.

Probatur 3. Quia posita compositione temporis ex meris instantibus, multa facilè intelliguntur quæ aliàs ægrè explicari possunt. Imprimis intelligitur, quomodo Deus possit in instanti creare Angelum, eumque immediatè post illud instans annihilare. Intelligitur etiam, quomodo in rerum corruptione vna forma alteri immediatè succedat, vt formæ ligni in vno instanti destructæ, forma ignis in sequenti instante geniti; adeo vt materia nunquam sit destituta omni forma. Hocque valdè consentaneum est communi sententiæ quæ docet, res permanentes incipere & desinere in instanti, vt infrà dicemus. Intelligitur præterea, quomodo homo possit immediatè ante instans mortis elicere actum contritionis, qui tunc obligat; quique cùm sit supernaturalis & spiritualis, postulat ex se produci in instanti. Rursus quæ suprà diximus de continuitate alterationis carent difficultate posita temporis compositione ex instantibus vt visum est. Ac tandem

tandem pleraque alia passim occurrunt, quæ ex dicta sententia lucem accipere possunt: quare ex eo etiam capite oppositæ præferenda videtur.

Obiicies, quantitas permanens non constat ex indiuisibilibus, ergo nec successiua, quale est tempus. Antecedens in Physica probabitur, consequentia verò suadetur à paritate rationis. Respondeo negando sequelam, ob discrimen apertum quod inter illas quantitates reperitur. Nam in quantitate permanente vnum indiuisibile additum alteri non facit maius; quia sunt simul: at in quantitate successiua secus res se habet; quia indiuisibilia non sunt simul, sed vnum succedit alteri; & ita ambo faciunt quid extensum, & maius.

Dico 2. *in sententia ponente in tempore instantia, & partes diuisibiles, congruentiùs dici tempus existere per suas partes, quàm per instantia.* Probatur, tum quia cum totum non distinguatur à suis partibus, nec habeat aliam entitatem actualem, quàm entitatem actualem earum, quæ ab existentia non distinguitur; repugnat tempus existere, & non existere per partes ex quibus essentialiter componitur. Tum quia intelligi nequit aliquam temporis partem ex futura fieri præteritam, nisi aliquando sit præsens: sicut non potest concipi quòd corpus aliquod moueatur localiter ab extremo in extremum, nisi transeundo per medium. Tum quia sicut in sententia, quæ in quantitate permanente ponit partes diuisibiles, & indiuisibilia eas partes copulantia, absurdè diceretur quantitatem permanentem non existere nisi per sua indiuisibilia, ita in sententia quæ in quantitate successiua constituit partes diuisibiles, cum indiuisibilibus eas partes copulantibus, immeritò dicitur quantitatem successiuam non existere, nisi ratione eiusmodi indiuisibilium. Eò vel

maximè quia quòd res aliqua sit, & existat potiùs per aliquid quod non est pars illius, quàm per partes ex quibus componitur, id à recta ratione prorsus alienum videtur. Quare vel nihil relinquendum in tempore præter instantia, vel fatendum tempus existere per suas partes, quouis modo id fiat.

ARTICVLVS IV.

De inceptione, & desitione rerum.

PRÆMONEO non omnia quæ existunt, & durant incipere aut desinere esse, Deus enim neque initium habuit, neque finem vnquam habiturus est; creaturæ verò omnes initium essendi habuerunt, sed aliæ in æternum sunt duraturæ, vt Angeli, cœli, & elementa, itemque homines post resurrectionem; aliæ verò sicut in tempore incœperunt, ita & in tempore desinent, vt mixta omnia. Est autem difficultas quomodo contingat hæc rerum inceptio, & desitio.

Philosophi communiter statuunt duplicem incipiendi, & desinendi modum, quorum priorem vocant intrinsecum, posteriorem verò extrinsecum. Prior modus incipiendi est per primum sui esse, ita vt dici possit, res est in hoc instanti, & immediatè ante non erat; qua ratione res permanentes incipere dicuntur. Posterior est per vltimum sui non esse, ita vt dici possit, res nunc non est, sed immediatè post erit, & hoc modo successiua incipere dicuntur.

Similiter prior modus desinendi est per vltimum sui esse, ita vt dici possit, res nunc est, & immediatè post non erit, quomodo permanentia desinere dicuntur; posterior verò per primum sui

non esse, adeo vt dici possit, res nunc non est, sed immediatè antea fuit, qui modus desinendi tribuitur rebus successiuis.

Et quidem quod res permanentes incipiant per primum sui esse, & desinant per vltimum sui esse, ea ratione probari solet: quia cùm res illæ habeant totum suum esse simul, & non per partes, vt successiuæ; necesse est assignari aliquod instans primum in quo esse incipiant, cùm antea non essent; & aliquod instans vltimum, post quod non amplius sint.

Quòd verò res successiuæ incipiant per vltimum sui non esse, & desinant per primum sui non esse, ea ratione ostenditur; quia cum res illæ habeant totum suum esse successiuè, & per partes, non possunt existere in instanti: quia instans est indiuisibile & totum, quò fit vt quandiu existunt, nullum instans à parte priori assignari possit ante quod non sint, neque vllum à parte posteriori post quod non sunt. Ex quo sequitur vt non debeant incipere intrinsecè, seu per primum sui esse, nec desinere intrinsecè, seu per vltimum sui esse; sed è contra debeant incipere extrinsecè, seu per vltimum sui non esse, ita vt verè dici possit, nunc, seu in hoc instanti non est motus, sed immediatè post erit; & desinere etiam extrinsecè seu per primum sui non esse, adeo vt verè dici possit, nunc non est motus, sed immediatè ante erat.

Verùm quia non omnes admittunt instantia, in quibus prædicta fundantur, rerum inceptio, & desitio paulò aliter, iuxta eorum sententiam, explicari potest. Ita nimirum vt res permanentes dicantur incipere secundum totum suum esse, in aliqua parte temporis ante quam non existebant; & desinere in alia temporis parte, post quam non amplius sint. Res verò successiuæ dicantur incipere in aliqua temporis parte, non quidem secun-

quoque existimant intellectum, & volunta-tem non distingui in homine à substantiæ animæ.

Quæritur 2. Quotuplex possit assignari rerum duratio.

Respondeo & dico 1. *Durationem posse generatim diuidi in permanentem, & successiuam.* Ratio est quia cum duratio non distinguatur ab existentia rei durantis, sicut aliquæ res sunt in sua existentia permanentes vt Deus, Angeli, cœli; aliæ successiuæ, vt motus; hinc sequitur aliam durationem esse permanentem, aliam successiuam.

Quo loco aduerte 1. hanc diuisionem non pugnare cum definitione durationis superius allata: quia cum diximus durationem esse permanentiam rei in suo esse, permanentia illa sumpta est pro quacunque perseuerantia in esse, siue ea sit permanens, siue successiua: hic verò quando diuidimus durationem in permanentem & successiuam, agimus de permanentia vt dicit partes omnes rei simul existentes, & distinguitur essentialiter à duratione successiua, quæ dicit partes post partes.

Aduerte 2. Non modo res incorruptibiles, sed etiam corruptibiles posse habere durationem permanentem pro aliquo tempore, vt patet; nam homo, equus, lapis, & similia permanenter durant, quatenus toto aliquo tempore existunt secundum omnes suas partes. Vnde distinguuntur à rebus successiuis, quòd hæ cùm sint in continuo fluxu, nunquam alicui tempori coexistunt secundum omnes suas partes, sed huic parti temporis secundum vnam partem, illi secundum aliam.

Dico 2. *Durationem posse iterum diuidi in æternitatem, æuum, & tempus.* Cuius diuisionis ratio

à nonnullis sic redditur: quot sunt modi quibus res in suo esse permanent, tot sunt durationes; at modi illi sunt tres, nam aliquid caret principio & fine, nempe Deus; alia habuere principium, sed finem non sunt habitura, vt Angeli,& cæli; alia denique & initium habuerunt, & finem habitura sunt, nempè omnia corruptibilia. Et quidem Deo competit prima duratio, quæ est æternitas: Angelis, & cœlis secunda, quæ dicitur æuum, corruptibilibus omnibus tertia, quæ tempus appellatur. Verùm hæc ratio diuisionis non satis concinna videtur, quia etsi supponeretur Angelos creatos esse ab æterno, aut aliquando finem habituros, eorum duratio non esset æternitas, aut tempus sed æuum.

Melius ergo cum alijs dici potest, aliquid esse quod habet absolutam necessitatem essendi, ita vt nulla potentia siue naturali siue supernaturali possit deficere; & hic est solus Deus, cuius duratio propria est æternitas. Alia esse quæ supernaturaliter quidem possunt deficere, non tamen naturaliter, vt Angeli, & cœli quorum duratio est æuum. Alia tandem quæ naturaliter deficere possunt, vt omnia corruptibilia quæ tempore mensurantur. Ex quo patet diuisionem prædictam esse adæquatam, & ad illam omnes rerum durationes reducendas esse.

Vbi nota 1. Inter res corruptibiles alias esse quæ continuò deficiunt, vt motus; alias quæ aliquandiu in suo esse perseuerant, vt homo, equus, lapis, aliaque composita substantialia: & priorum quidem durationem à Philosophis, & Theologis communiter vocari tempus, posteriorum verò æuum. Illi tamen congruentiùs loqui videntur, qui æuum solis re-

bus incorruptibilibus relinquendum existimant. Omnibus vero corruptibilibus siue aliquandiu permanentibus, siue successiuis tempus assignandum; cum vulgo res corruptibiles & temporales pro eodem sumantur & frequentissimè dici soleat talem hominem tanto tempore vixisse: sanctus quoque Thomas, 1. p. qu. 10. art. 4. ad 3. doceat tempus non solum mensurare ea quæ transmutantur actu, sed etiam quæ sunt transmutabilia. Fatendum tamen tempus esse magis propriè mensuram rerum quæ actu transmutantur, seu quæ in fluxu consistunt, qualis est motus, vt patebit ex temporis definitione infrà explicanda.

Nota 2. Durationem visionis beatificæ à plerisque vocari æternitatem participatam, durationem verò gratiæ, aliorumque donorum supernaturalium in hac vita, modum æternitatis participatæ, & durationem operationum Angelicarum, quæ aliquandiu durant, modum æui. Verum quia tot durationum multiplicatio confusionem parit, placet modus loquendi eorum qui visionem beatificam, & dona infusa ex natura sua incorruptibilia ad æuum, operationes verò Angelicas ad tempus reducunt. Cæterùm quia de æternitate, & æuo aliquid diximus lib. 1. Theol. specul. cap. 6. reliquum est vt hic de tempore pauca dicamus.

ARTICVLVS III.

De Tempore.

Quæritur 2. Quid sit tempus. Respondeo tempus ab Aristot. sic definiri 4. Physic. cap. 11. tex. 101. *Tempus est numerus motus se-*

cundum prius, & posterius. Dicitur 1. *numerus, seu mensura motus*, quod videtur intelligendum de numero numerante, & de mensura mensurante, quomodo soli tempori externo sumpto à conuersione cœlorum competit; quia tempus illud assumere solemus ad mensurandas res corruptibiles & successiuas, propter omnimodam illius certitudinem & inuariabilitatem. Poterit tamen ea definitio applicari durationi internæ motus, si numerus seu mensura passiuè accipiatur; quia tempus internum motus est id quo motus numeratur, seu mensuratur secundum partes priores, & posteriores.

Dicitur 2. *Secundum priùs & posteriùs*, vt intelligatur motum non mensurari à tempore, vt habet extensionem ad spatium, vel vt habet extensionem gradualem; sed quatenus habet successionem, seu alias partes priores, alias posteriores. Cæterùm definitio prædicta non competit propriè tempori, quatenus dici potest ex suprà dictis, mensura rerum corruptibilium secundum suam substantiam spectatarum, cùm in ea non sit propriè successio, seu prius & posterius sub ea ratione.

Obijcies 1. Tempus malè dicitur numerus, cùm tempus sit quantitas continua, & numerus discreta. Respondeo numerum hic non sumi pro quantitate discreta, sed pro multitudine partium vnitarum; qua ratione tempus est propriè numerus, eò quòd partes temporis motui applicatæ, illius successionem mensurant, & patefaciunt.

Obijcies 2. Numerus numerans est quid effictum ab intellectu: at tempus est ens reale; ergo non bene definitur numerus, si id intelligatur de numerante. Respondeo tempus

quidem externum, vt identificatur cum motu cœlorum, esse quid reale, & ab intellectu independens; vt autem sumitur præcisè in ratione numeri numerantis, vel mensuræ actiuæ, dicere ens rationis. Siquidem quòd duratio motus cœli in annos, menses, dies, & horas diuidatur ad mensurandos motus rerum sublunarium, id sanè opus est intellectus humani, adeoque merum ens rationis respectu durationis motus cœlestis.

Obijcies 3. Mensura debet esse notior mensurato: at tempus est ignotius motu; ergo non bene dicitur mensura illius. Respondeo tempus in se quidem esse nobis ignotius motu; in ratione tamen mensuræ esse quid notius, quatenus intelligimus quantitatem motus, per tempus quo peractus est.

Obijcies 4. Etiam quietem, vt est motus priuatio, tempore mensurari, adeoque tempus non rectè dici mensuram solius motus. Respondeo quietem mensurari tempore per accidens, motum verò per se, adeoque in definitione temporis solius motus mentionem faciendam esse: tempus enim numerat seu mensurat ratione partium priorum & posteriorum; quæ per se quidem motui, priuationi verò motus, non nisi per ordinem ad motum competunt.

Quæritur 2. Quomodo se habeat tempus ad motum. Quod vt clarius resoluatur,

Aduerte 1. Duplex esse tempus, vt patet ex dictis, aliud externum quod communiter sumitur pro duratione motuum cœlestium, vt per illam res sublunares earumque motus mensurantur; aliud internum quod cuilibet rei per se, vt permanet in suo esse, competit. Illud vnicum est & commune pro rebus omni-

bus mensurandis, hoc verò est multiplex, iuxta rerum quæ durare dicuntur varietatem. Vnde etsi sol sisteretur, sicque ex illius motu non possent mensurari res istæ inferiores, eæ tamen non desinerent durare intrinsecè quamdiu existerent, adeoque tempus proprium & internum habere.

Aduerte 2. Tempus externum adhuc distingui in reale & imaginarium: reale est duratio motus cœli, imaginarium verò est duratio illa quam concipimus ab æterno præcessisse motum cœli, quæque suo modo flueret etsi cœlum non moueretur. Vnde ratione talis temporis dicimus Deum potuisse creare mundum mille annis antequam illum creauerit; & si Deus, immoto cœlo, res sublunares conseruaret, diceremus aliquas existere eodem tempore, alias diuersis temporibus.

Aduerte 3. Hic quæstionem moueri de tempore interno cuiusque rei, nam quod tempus cœleste realiter distinguatur à rebus inferioribus, earumque motu, id nimis manifestum est. Dubitatur ergo an duratio interna motus ab illo realiter distinguatur.

RESPONDEO & dico 1. *Non esse ponendam distinctionem realem inter tempus internum & motum.* Probatur tum ex supradictis de indistinctione durationis à re durante, tum quia tempus internum nihil aliud facit quàm vt sit successio inter partes motus, seu vt vna fluat immediatè post aliam; in hoc autem fluxu non est necesse admittere vllam realitatem distinctam ab ipsis partibus fluentibus, cùm sine illa satis intelligi possit vnam partem fluere post aliam.

Confirmatur, nam ea est natura motus, vt habeat partes fluentes; ergo ex se & sine vlla

entitate superaddita dicit successionem, & moram; adeoque non distinguitur realiter à tempore interno. Eò vel maximè quia cùm motus sit ens imperfectissimum, & veluti quidam modus, absurdum videtur ei tribuere quendam modum realem à quo successionem partium recipiat.

Obijcies, motus potest esse diuinitus sine successione, ergo successio realiter à motu distinguitur; ergo & tempus internum, cùm à successione non distinguatur. Respondeo admisso antecedente de quo in Physica, negando consequentiam; quia etsi motus fieret simul, non propterea deesset illius partibus quædam realitas, sed tantùm aliqua denominatio prioris & posterioris, quam habent dùm vna alteri succedit.

Dico 2. *Quamuis præcedens assertio in aliquo motu falsa supponeretur, in motu tamen locali vt certam defendendam esse.* Ratio est, quia etsi successio ab aliquo motu tolli possit, non tamen à motu locali, vt loco citato ostendemus. Quare cùm eiusmodi motus non possit non fieri successiuè, hinc fit vt successio non modo realiter cum illo identificetur, sed etiam sit de essentia illius; adeoque vt tempus internum, quod à successione non distinguitur, à motu realiter distingui non possit.

Ex his autem collige, non immeritò tempus à Categoria quantitatis à nobis in Logica exclusum esse; cum non dicat extensionem aliquam propriam à motus partibus realiter distinctam, adeoque ad motum reduci debeat.

Quæritur 3. Qua ratione tempus existat: quod duobus modis tractari potest, primò absolutè & abstrahendo à communi sententia, quæ instantia indiuisibilia, & partes diuisibi-

les in tempore admittit Secundò ex hypothesi quòd vera sit sententia illa communis de compositione temporis ex instantibus, & ex partibus diuisibilibus.

Respondeo & dico 1. *Probabilius esse absolutè loquendo, tempus constare ex solis instantibus, adeoque per ea sola existere.* Probari potest 1. quia ex communi Aristotelis, omniumque hominum sensu, ex tempore nihil habemus præter instans, etsi illud totum successiuè habeamus. Quare tempus non nisi ex instantibus constat. Nec dicas, commune illud proloquium non debere intelligi de instanti Physicè indiuisibili, sed de indiuisibili moraliter spectato, seu de morula adeo breui vt respectu nostri se habere videatur per modum instantis indiuisibilis: hoc enim sine fundamento dictum videtur, & mox addenda probatione refelli potest.

Probatur 2. Nam quidquid est temporis, nunc est: at quidquid nunc est, est instans indiuisibile; ergo quidquid est temporis est instans indiuisibile: ac proinde in tempore nihil est præter instantia indiuisibilia. Maior certa est, nam in tempore præter id quod nunc est, accipi non potest nisi quod fuit, aut quod futurum est: at quod fuit, non ampliùs est, & quod futurum est, nondum est: adeoque nihil est temporis, nisi quod nunc est. Minor suadetur, nam quidquid ex tempore nunc est, simul totum est: at quod simul totum est ex tempore, est instans indiuisibile; cùm repugnet partem aliquam illius diuisibilem & successiuam esse totam simul. Vnde necessariò sequitur in tempore nihil esse præter instantia indiuisibilia. Confirmatur, nam præteritum aliquando fuit præsens, futurum erit aliquan-

do præsens, & nihil est præsens præter instans indiuisibile; cùm in parte diuisibili & fluxa aliquid iam non sit, & aliud nondum sit. Quare id omne ex quo tempus constat reducitur ad instans indiuisibile.

Respondebit fortè aliquis, non tantùm instans temporis, sed etiam aliquam illius partem incertam, & indeterminatam posse totam simul esse præsentem. Verùm id gratis dicitur, quia cum pars illa sit diuisibilis & successiua, repugnat quod tota simul existat. Aliàs pars quælibet temporis determinata vt hora, dies, annus posset tota simul existere; cum simultanea existentia illi non repugnet, quia est pars determinata, sed quia est ens successiuum, & in fluxu positum.

Probatur 3. Quia posita compositione temporis ex meris instantibus, multa facilè intelliguntur quæ aliàs ægrè explicari possunt. Imprimis intelligitur, quomodo Deus possit in instanti creare Angelum, eumque immediatè post illud instans annihilare. Intelligitur etiam, quomodo in rerum corruptione vna forma alteri immediatè succedat, vt formæ ligni in vno instanti destructæ, forma ignis in sequenti instante geniti; adeo vt materia nunquam sit destituta omni forma. Hocque valdè consentaneum est communi sententiæ quæ docet, res permanentes incipere & desinere in instanti, vt infrà dicemus. Intelligitur præterea, quomodo homo possit immediatè ante instans mortis elicere actum contritionis, qui tunc obligat; quique cùm sit supernaturalis & spiritualis, postulat ex se produci in instanti. Rursus quæ suprà diximus de continuitate alterationis carent difficultate posita temporis compositione ex instantibus vt visum est. Ac

tandem

tandem pleraque alia passim occurrunt, quæ ex dicta sententia lucem accipere possunt: quare ex eo etiam capite oppositæ præferenda videtur.

Obiicies, quantitas permanens non constat ex indiuisibilibus, ergo nec successiua, quale est tempus. Antecedens in Physica probabitur, consequentia verò suadetur à paritate rationis. Respondeo negando sequelam, ob discrimen apertum quod inter illas quantitates reperitur. Nam in quantitate permanente vnum indiuisibile additum alteri non facit maius; quia sunt simul: at in quantitate successiua secus res se habet; quia indiuisibilia non sunt simul, sed vnum succedit alteri; & ita ambo faciunt quid extensum, & maius.

Dico 2. *in sententia ponente in tempore instantia, & partes diuisibiles, congruentiùs dici tempus existere per suas partes, quàm per instantia.* Probatur, tum quia cum totum non distinguatur à suis partibus, nec habeat aliam entitatem actualem, quàm entitatem actualem earum, quæ ab existentia non distinguitur; repugnat tempus existere, & non existere per partes ex quibus essentialiter componitur. Tum quia intelligi nequit aliquam temporis partem ex futura fieri præteritam, nisi aliquando sit præsens: sicut non potest concipi quòd corpus aliquod moueatur localiter ab extremo in extremum, nisi transeundo per medium. Tum quia sicut in sententia, quæ in quantitate permanente ponit partes diuisibiles, & indiuisibilia eas partes copulantia, absurdè diceretur quantitatem permanentem non existere nisi per sua indiuisibilia, ita in sententia quæ in quantitate successiua constituit partes diuisibiles, cum indiuisibilibus eas partes copulantibus, immeritò dicitur quantitatem successiuam non existere, nisi ratione eiusmodi indiuisibilium. Eò vel

non esse, adeo vt dici possit, res nunc non est, sed immediatè antea fuit, qui modus desinendi tribuitur rebus successiuis.

Et quidem quod res permanentes incipiant per primum sui esse, & desinant per vltimum sui esse, ea ratione probari solet: quia cùm res illæ habeant totum suum esse simul, & non per partes, vt successiuæ; necesse est assignari aliquod instans primum in quo esse incipiant, cùm antea non essent; & aliquod instans vltimum, post quod non amplius sint.

Quòd verò res successiuæ incipiant per vltimum sui non esse, & desinant per primum sui non esse, ea ratione ostenditur; quia cum res illæ habeant totum suum esse successiuè, & per partes, non possunt existere in instanti: quia instans est indiuisibile & totum, quò fit vt quandiu existunt, nullum instans à parte priori assignari possit ante quod non sint, neque vllum à parte posteriori post quod non sunt. Ex quo sequitur vt non debeant incipere intrinsecè, seu per primum sui esse, nec desinere intrinsecè, seu per vltimum sui esse; sed è contra debeant incipere extrinsecè, seu per vltimum sui non esse, ita vt verè dici possit, nunc, seu in hoc instanti non est motus, sed immediatè post erit; & desinere etiam extrinsecè seu per primum sui non esse, adeo vt verè dici possit, nunc non est motus, sed immediatè ante erat.

Verùm quia non omnes admittunt instantia, in quibus prædicta fundantur, rerum inceptio, & desitio paulò aliter, iuxta eorum sententiam, explicari potest. Ita nimirum vt res permanentes dicantur incipere secundum totum suum esse, in aliqua parte temporis ante quam non existebant; & desinere in alia temporis parte, post quam non amplius sint. Res verò successiuæ dicantur incipere in aliqua temporis parte, non quidem secun-

dum totum ſuum eſſe ſimul, ſed ſecundum aliquam partem cui aliæ, & aliæ ſine mora vſque ad finem ſuccedant: deſinere autem in aliqua temporis parte, ita vt nihil earum poſtea ſuperſit.

Ex quo patet, totum diſcrimen in hac ſententia, inter modum incipiendi, & deſinendi rerum permanentium, & ſucceſſiuarum in eo conſiſtere, quòd permanentium inceptionem præcedit tempus in quo non ſunt, & poſt quod totæ ſimul exiſtunt; earum verò deſitionem ſequitur tempus, ante quod ſecundum totum ſuum eſſe exiſtebant. At ſucceſſiua immediatè poſt tempus præcedens earum inceptionem, incipiunt eſſe tantùm per aliquam ſui partem, & immediatè ante tempus quod earum deſitionem ſequitur, non niſi ſecundum aliquam ſui partem exiſtebant.

Suppoſita tamen ſententia de compoſitione temporis ex ſolis inſtantibus, dicendum videtur primo res permanentes non tantũ incipere, & deſinere intrinſecè, ſed etiam extrinſecè. Ratio eſt, quia immediatè antequam ſint, datur inſtans temporis in quo verum eſt dicere, nunc non ſunt, & immediatè poſt erunt. Et ſimiliter immediatè poſt earum deſitionem datur inſtans in quo verum eſt dicere, nunc non ſunt, & immediatè antea erant.

Dicendum ſecundò res ſucceſſiuas è contra non tantum incipere, & deſinere extrinſecè, ſed etiam intrinſecè. Siquidem verum eſt in hoc inſtanti eſſe motum, ſaltem inchoatiuè, & per aliquam partem ſui intrinſecam, & immediatè ante non fuiſſe. Verum quoque eſt in hoc inſtanti adhuc eſſe motum, ſecundum aliquid ſui, & immediatè poſt non fore.

Adde non poſſe intelligi, quomodo in ſententia communi res ſucceſſiuæ non incipiant, & deſinant, etiam intrinſecè. Probatur, quia cum

in ea dicitur, nunc non eſt motus, ſed immediatè poſt erit, aut falſum dicitur, aut immediatè poſt illud inſtans extrinſecum, dici verè poterit, nunc eſt motus, & immediatè ante non erat : ſicque motus incipit intrinſecè, non ſecus ac res permanens. Et ſimiliter quando dicitur, nunc non eſt motus, & immediatè antea fuit, in eo priori immediato verè poterat dici, nunc eſt motus, & immediatè poſt non erit: adeoque motus deſinit intrinſecè. Sed de his ingeniorum tormentis, adeoque de tota re Metaphyſica ſatis, ad maiorem Dei omnipotentis gloriam, & honorem.

FINIS.



THESES PHILOSOPHIÆ VNIVERSALIS, SEV METAPHYSICÆ.

EX PRÆFATIONE.


HILOSOPHIA vniuersalis varia sortitur nomina, ac præcipuè quatuor. Vocatur 1. Philosophia per Antonomasiam. 2. Sapientia. 3. Theologia naturalis. 4. Metaphysica, quod idem est ac vltra, seu post Physicam.

Metaphysica est propriè scientia.

Obiectum Metaphysicæ est ens reale, quatenus ens est. Ens autem vt est obiectum Metaphysicæ, non debet sumi ita præcisum à suis inferioribus, vt non includat saltem confusè suas species, qua ratione est nobilissimum.

Metaphysica est scientia speculatiua.

Metaphysica totaliter spectata non est vnus simplex habitus, sed complexio multorum habituum partialium.

Metaphysica non est propriè subalternans respectu aliarum scientiarum.

Quatuor causæ Metaphysicæ, vt & aliis

ſcientiis ſpeculatiuis poſſunt aſſignari, nempe, materialis, formalis, effectiua, & finalis.

Metaphyſica ex communi ſententia, non modo propter ſeipſam eſt valde conueniens, quatenus intellectum cognitione rerum præſtantiſſimarum exornat, ſed etiam ad alias ſcientias acquirendas eſt valde vtilis.

EX CAP. I. LIBRI I.

VNIVERSALE ſumitur generatim pro eo quod aliqua ratione dicit ordinem ad multa. *Art. 1.*

Eſſe in multis, & prædicari de multis, ſunt duæ rationes diſtinctæ in vniuerſali.

Tria requiruntur ad conſtitutionem vniuerſalis, 1. vt res quæ dicitur vniuerſalis, ſit aliqua natura realis & poſitiua. 2. vt ea natura ſit vna. 3. vt illa natura ſit ex ſe apta ineſſe multis per veram, & realem ſui multiplicationem in illis, ita vt ratio ſuperior prædicetur de inferiori, non tantum ſecundum aliquam ſui partem, ſed ſecundum ſe totam adæquatè, ſiue illa multiplicatio fieri poſſit per potentiam naturalem in rebus creatis exiſtentem, ſiue tantum virtute ſupernaturali.

Duæ ſunt generales ſententiæ, circa exiſtentiam vniuerſalium. Prima eſt vniuerſalia eſſe naturas realiter ſeparatas à ſingularibus, & extra illa exiſtentes, quales ſunt Ideæ Platonicæ, ſed hic modus refellitur, nihil enim exiſtit per ſe in rerum natura, quod non ſit ſingulare. *Art. 2.*

Ideæ non ſunt neceſſariæ ad veram ſcientiam de rebus creatis habendam, nec

ad procreationem rei imperfectæ quæ à simili non generatur.

Si Idea sumatur pro causa exemplari, sufficiunt Ideæ quæ sunt in mente diuina.

Art. 3. Vniuersalia existere à parte rei intelligi potest, vt natura sit vniuersalis, non quidem extra singularia, sed intra ipsa singularia. Sed & hic modus etiam refellitur, ad vniuersale enim requiritur vt habeat vnitatem multis communem, quam non habet natura quæ est in indiuiduis, sed potius multiplicitatem tali vnitati repugnantem.

Art. 4. * Non aliter indiuidua humana possunt dici à parte rei eiusdem speciei nisi quia conueniunt in natura humana.

Indiuidua humana habent vnitatem formalem, non omnia eandem, sed singula propriam ab vnitatibus aliorum distinctā.

Relatio identitatis qua indiuidua referuntur ad inuicem, fundatur in vnitate conformitatis, quæ est inter eorum naturas, non autem in vnitate reali quæ sit inter illas.

Art. 5. Nec placet tertius vniuersalium modus, vnitas scilicet præcisionis cum aptitudine essendi in multis, non realiter extra singularia, nec in natura iam contracta in suis inferioribus, sed secundum se, quatenus naturæ ordine præcedit contractionem sui ad inferiora.

EX CAP. II.

Art. 1. SECVNDA de vniuersalibus sententia statuit naturas non esse vniuersales, nisi per operationem mentis. Et hoc tribus modis, 1. est eorum qui putant fieri vni-

uersale per abstractionē intellectus agētis, cuius officium esse aiunt denudare phantasmata à conditionibus indiuiduantibus, ita vt species quæ repræsentabat hunc vel illum hominem singularem, repræsentet tantum hominem præcisè, & secundum se, sicque illum constituat in ratione vniuersalis. Verum hic modus reiicitur.

Secundus modus est eorum qui docent vniuersale resultare in natura per abstractionem præcisiuam intellectus possibilis. Sed & hic modus etsi longè probabilior & communior præcedenti, non satis solidè videtur excogitatus. *Art. 2.*

Nihil refert ad constitutionem vniuersalis, quod abstractioni præcisiuæ addatur cognitio comparatiua siue simplex, siue composita.

Tertius modus defendendi vniuersalia per mentis operam, eorum est, qui docent ea fieri non per præcisionem obiectiuam, sed per aliam, quam vocant formalem. Sed & hic modus refellitur. *Art. 3.*

Nullum datur vniuersale, siue à parte rei, siue per mentis operam eo sensu quo in scholis intelligi, & defendi solet.

Opinio negans vniuersalia fuit communis ante Aristotelem Negantibus nobis dari per mentis operam fauent Scotistæ: negantibus dari à parte rei subscribunt Thomistæ. *Art. 4.*

Etsi non sit scientia de singularibus, quatenus sunt corruptibilia, cum tamen non corrumpantur nisi quoad existentiam, nihil vetat quin de eorum prædicatis essentialibus vera scientia dari possit.

Destructo vniuersali non sequitur propositiones omnes fore identicas: ad propositionem enim identicam non sufficit, quod attributum sit idem realiter cum subiecto, sed requiritur vt idem sit prædicatum, & subiectum, etiam quoad voces.

Quæ tractanda supersunt de vniuersalibus consentaneè ad communiorem opinionem de vniuersalibus per mentis operam accipienda sunt.

Art. 5. Variæ proprietates vniuersalis à Philosophis afferri solent. 1. est, esse quoddam totum quod vocant potestatiuum. 2. vt sit prædicabile. 3. vt sit intelligibile. 4. vt dicatur posterius esse singularibus. 5. vt sit semper & vbique, non positiuè tamen, sed negatiuè. 6. vt dicatur esse æternum, & incorruptibile: quod etiam intelligi debet negatiuè.

EX CAP. III.

Art. 1. IN definitione generis, quâ dicitur id quod pluribus, & differentibus specie attribuitur in quæstione quid est, non definitur natura secundùm se, nec genereitas per se spectata, sed concretum ex natura & genereitate.

Natura substans genereitati est definitum materiale, & vt quod, genereitas vero definitum formale & vt quo.

Art. 2. In definitione generis vniuersale non habet locum generis, sicut nec subiectum, sed prædicabile, cùm nihil aliud assignari possit exclusis vniuersali, & subiecto.

Art. 3. Genus non requirit necessario plures species actu existentes; sed ad verum ge-

nus sufficiunt plures species possibiles, siue per potentiam Physicam, siue per potentiam Logicam.

Species est proximum, & immediatum generis correlatiuum. *Art.* 4.

Totale & adæquatum generis correlatiuum non sunt solæ species, sed species simul cum indiuiduis.

Genus refertur ad species & indiuidua, eadem relatione, non obstante diuersitate terminorum, quia vnus respicitur immediatè, & alter mediatè.

EX CAP. IV.

SPECIEI definitiones, quibus definitur id quod subiicitur generi, & de quo genus prædicatur in quid, sunt admittendæ. *Art.* 1.

Nec obstat quod genus à Porphyrio fuerit definitum per speciem, quia proprium est relatiuorum, vt vnum definiatur per aliud: genus autem, & species sunt relatiua.

Nec etiam obstat quod definitiones istæ competant indiuiduo, quia intelliguntur de subiicibilitate, & prædicabilitate præstantiori, quæ est immediata & proxima, qualis non competit indiuiduo, sed tantum speciei, cum prædicatio generis de indiuiduis, etsi sit immediata quoad voces, in re tamen sit mediata: nullum enim datur à parte rei indiuiduum genericum, seu quod non constituatur in aliqua specie, cùm repugnet genus immediatè contrahi per differentiam indiuidualem.

Species infima rectè definitur, quæ de multis numero differentibus prædicatur in quid. *Art.* 2.

Nec obstat quod sol, luna, & mundus sint veræ species, quæ tamen non prædicentur nisi de vnico indiuiduo, nihil enim repugnat creari alium solem, aliam lunam, alium mundum, qui cum sint possibiles, sufficit vt habeant rationem speciei.

Valde absurdum est ponere aliquam speciem vniuersalem cuius indiuidua sint impossibilia: Ex communi autem scholasticorum sententia, non repugnat multiplicatio numerica in eadem specie Angelica, imò de facto dantur plures Angeli solo numero distincti.

Quamuis definitio prædicta generi dicatur competere, cùm de multis numero differentibus prædicetur, nihil ad rem, cum genus prædicetur de indiuiduis tantum mediatè & incompletè, species verò immediatè & completè.

Art. 3. Duplex est species. Alia subalterna, alia infima.

Species subalterna duplicem habet habitudinem, alteram ad genus, alteram ad inferiora, & priori respectu dicitur species, posteriori vero genus, quia sic multa respicit specie distincta.

Species infima, seu specialissima habet duas habitudines distinctas: alteram ad genus, cui subiicitur, alteram ad indiuidua, de quibus prædicatur.

Etsi relationes prædictæ sint duæ, ambæ tamen eandem denominationem speciei infimæ tribuunt.

Art. 4. Non facilè intelligitur, quomodo abstrahatur conceptus communis indiuidui, ab omnibus indiuiduis, iuxta senten-

tiam communiorem, quæ præcisiones obiectiuas admittit, si autem agatur de præcisionibus tantum formalibus, dicendum videtur non repugnare, quod detur ratio communis indiuidui, ab hoc vel illo indiuiduo abstracta.

Etsi daretur conceptū illum communem, indiuidui abstrahi posse ab omnibus indiuiduis, non tamen concedendum esset conceptum illum esse vniuocum, sed tantum analogum.

EX CAP. V.

ADMITTENDÆ sunt de facto differentiæ simplices, quibus species infimæ constituantur. *Art. 1.*

Differentia inferior formaliter spectata, secundum gradum & perfectionem quam dicit, non includit in conceptu suo differentiam superiorem. *Art. 2.*

Nec obstat quod differentia superior prædicatur de inferiori in abstracto: de ea enim prædicatur tantum in sensu identico, seu materiali, non autem in formali.

Genus est extra conceptum differentiarum, & differentiæ extra conceptum generis, adeoque vnum ab alio perfectè præscinditur. *Art. 3.*

Nec dicas corporeitatem, & spiritualitatem esse differentias substantiales, adeoque includere rationem substantiæ, non enim sequitur, quia sicut modi substantiales, qualis est subsistentia, sunt substantiales, non tamen substantiæ, ita differentiæ prædictæ sunt substantiales, quia determinant & perficiunt substantiam, non tamen includunt propriè

rationem ſubſtantiæ completæ & prædicamentalis, qualis eſt illa quæ conſtituit ſummum genus.

Art. 4. Genus non poteſt vniuerſim deſumi præcisè à materia, nec differentia præcisè à forma.

Neque in ſubſtantiis materialibus genus ſemper poteſt deſumi præcisè à materia, & differentia à forma.

Genus & differentia deſumuntur à tota natura, aliter & aliter ſpectata.

EX CAP. VI.

Art. 1. PROPRIVM à Porphyrio definiri ſolet, id quod omni, ſemper, & ſoli ſpeciei conuenit, & cum ea reciprocatur. Poteſt etiam definiri, vt eſt quartum vniuerſale, quod ineſt multis, ſeu prædicatur de multis accidentariò, neceſſariò & per ſe.

Contra primam definitionem ne arguas in ea non debere fieri mentionem ſpeciei, cum Porphyrius quando eam inſinuat, ſpeciei non meminerit Id enim ex mente illius debet ſubintelligi, quia in aliis proprij acceptionibus ſpecies exprimitur.

Nec 2. arguas, malè in dicta definitione nomine ſpeciei ſpeciem infimam intelligi, cùm & ſubalternæ, & ipſa quoque ſumma genera ſua habeant propria, hâc enim definitione Porphyrius voluit tantum definire proprium ſtrictè, & maximè propriè ſumptum, quale non eſt niſi proprium ſpecificum.

Contra poſteriorem ne dicas, multa accidentia communia eſſe naturaliter inſeparabilia à ſubiectis ſuis, vnde ſequitur proprium non bene diſtingui ab accidente communi, quatenus dicitur multis com-

petere necessario & per se, consequentia enim ista nullius est roboris, quia illud dicitur tantum alicui competere necessariò, & per se, quod fluit ab illius essentia, at accidens proprium fluit à subiecti sui essentia, commune verò ex alia causa oritur.

Accidens rectè à Porphyrio definitur, quod adest, & abest sine subiecti interitu. *Art. 2.*

Subiectum accidentium, & proprietatum duobus modis potest spectari. 1. quoad existentiam. 2. quoad essentiam. Illud autem est discrimen inter accidens & proprium, quod accidens possit subiectum immutare & corrumpere, quoad existentiam, non quoad essentiam, proprium vero sine corruptione essentiæ abesse non possit.

Iterum definitur accidens à Porphyrio, quod neque est genus, neque differentia, nec species, nec proprium, semper autem in subiecto inhæret. Nonnulli eam definitionem improbant eò quod sit negatiua, sed cum per negationem describatur Deus, & materia prima, non incongruè accidens cum sit vltimum inter prædicabilia, per negationem definitur, maximè cum de quibus negatur, sint iam explicata, quâ ratione facilè omnes partes definitionis intelliguntur. Accedit quòd non est totaliter negatiua, cum addantur illa verba, semper autem in subiecto inhæret.

EX CAP. I. LIB. II.

ENS sumitur participialiter & nominaliter. Priori modo significat rem actu existentem. Posteriori essentiam *Art. 1.*

rei vel actu, vel potentia existentis, & hoc modo sumitur, cùm dicitur esse obiectum Metaphysicæ.

Ens non potest propriè definiri, eius tamen ratio potest vtcunque explicari per aliquam descriptionem, qualis est, quod, si sit participialiter sumptum, ratio illius formalis consistit in eo vt sit aliquid actu existens; si vero nominaliter, in eo, quod sit habens essentiam potentem realiter existere, siue actu existat, siue non.

Art. 2. Ens sumptum participialiter, seu vt dicit actualem existentiam, non prædicatur essentialiter de vlla creatura.

Ens sumptum nominaliter, seu vt dicit essentiam realem, prædicatur essentialiter de suis inferioribus.

Ens dicitur essentialiter de omnibus modis realibus, & ab intellectu minimè confictis.

Nec refert quòd modus vocari soleat entis modus, non enim est sensus modum non esse verum ens, sed tantum modificare ens, nequit autem quod nihil est aliquid modificare.

Ens prædicatur essentialiter de omnibus essentiis rerum.

Art. 3. Duplex est conceptus. Obiectiuus & formalis. Vterque potest esse dupliciter vnus, nempe re, aut ratione: & dupliciter præcisus, nempe re etiam & ratione.

Formalis conceptus entis est realiter & ratione vnus, & præcisus à conceptibus formalibus inferiorum entis.

Datur vnica ratio obiectiua entis respondens conceptui illius formali.

Conceptus entis obiectiuus est ratione,

præcisus à conceptibus obiectiuis rerum inferiorum.

Ens non est æquiuocum respectu Dei, & creaturarum. *Art. 4.*

Absolutè probabilius videtur ens non esse vniuocum respectu Dei & creaturarum, & quamuis ea de re grauis sit inter Philosophos controuersia, aliis cum Scoto idem nobiscum sentientibus, aliis cum Diuo Thoma id negantibus, quæstio magis ad voces quam ad rem ipsam videtur spectare, si enim constet quid per terminum vniuocum debeat intelligi, statim quid de proposita difficultate tenendum sit, concludetur.

Ens est analogum respectu Dei & creaturarum. Hæc autem analogia potest dici inæqualitatis, vel etiam attributionis, quæ à præcedenti reipsa non differt in hac quæstione. A nonnullis dicitur analogia proportionalitatis, sed nō propriè sumpta.

Ens sub respectu substantiæ, & accidentis non est æquiuocum, nec vniuocum, sed analogum.

Ens se habet æquiuocè respectu entis realis, & entis rationis.

EX CAP. II.

ENS deriuatur ab esse prout significat, nudam rationem essendi in abstracto: vulgò tamen apud Philosophos significat rationem primam, quâ res in tali specie, vel gradu entis constituitur, & ab aliis distinguitur, quæque est radix reliquorum. *Art. 1.*

Periculosum est, & sine fundamento, affirmare essentiam habere proprium quoddam esse actuale seclusa existentia, quod supponit æternitatem essentiarum

independenter à Deo: & quamuis vt hoc incommodum caueatur, nonnulli dicant esse illud essentiæ, à Deo pendere vt à causa exemplari, gratis hoc dicitur, quia res non dependent, ab intellectu diuino, nisi adiuncta voluntate, & omnipotentia, per quam ad extra operatur, quia aliàs rerum essentiæ essent actu dependentes à Deo, sine dependentia ab illius voluntate, iamque Deus ex necessitate naturæ tribueret esse quidditatiuum rerum essentiis quod est absurdum.

Art. 2. Existentia creaturarum non distinguitur realiter ab earum essentia, si enim essentia ab existentia realiter distingueretur, possent illæ diuinitus separatim existere & conseruari, adeoque essentia hominis conseruari sine existentia illius, & vice versa, quod est absurdum & impossibile.

Existentia in creatis aliquo modo distinguitur per rationem, ab essentia. Distinctio autem illa rationis se habet ex parte conceptus formalis, non vero ex parte conceptus obiectiui.

Art. 3. Gradus essentiales naturæ alicuius inter se non distinguuntur realiter, si enim ita distinguerentur, possent à se inuicem saltem diuinitus separari, & separatim existere, quod fieri nequit, quia repugnat quod homo non sit animal, quod animal non sit viuens, viuens non sit corpus &c.

Admittenda est quædam distinctio rationis inter gradus Metaphysicos, hæcque sufficit ad saluanda quæcumque de eorum distinctione afferri solent.

Art. 4. Differentia indiuidualis non addit naturæ communi solam negationem, sed præ-

terea aliquid positiuum, per quod res constituitur singularis.

Differentia indiuidualis non est collectio accidentium, quæ in alio non sint.

Differentia indiuidualis non est repetenda à causa productiua indiuidui, nec consistit præcisè in existentia rei singularis.

Differentia substantiæ non est subsistentia, neque accidentium inhærentia.

Substantia materialis non indiuiduatur formaliter per quantitatem, nec per materiam signatam, seu stantem sub certis dimensionibus quantitatis.

Nec materia, nec compositum indiuiduantur per formam.

Accidens non indiuiduatur per subiectum cui inhæret.

Principium formale, & proximum indiuiduationis in re qualibet singulari, est differentia positiua illi intrinseca, per quam species contrahitur ad tale indiuiduum; vocaturque generatim hæcceitas, & speciatim petreitas, pauleitas. &c.

EX CAP. III.

SVNT admittendæ quædam proprietates, seu passiones entis, quæ non sunt entitates reales ab ipso ente distinctæ, sed formaliter consistunt in negatione aliqua, aut relatione rationis, quod etsi non sufficiat ad rationem proprietatis, sufficit tamen ad rationem passionis latiori modo sumptæ. Art. 1.

Ens non potest quidem exactè definiri, potest tamen aliquo modo describi, & per illius descriptionem possunt illius proprietates demonstrari.

Proprietates entis non dicunt aliquas

formalitates positiuas, & reales ex natura rei ab ente distinctas, eique superadditas.

Nec obstat quod vnum, verum, bonum proprietates entis, dicunt aliquam entitatem realem: possunt enim hæ passiones tripliciter considerari. 1. fundamentaliter, 2. in concreto. 3. formaliter, vt passiones enti superadditæ, quâ ratione nihil positiuum includunt.

Proprietates entis non dicunt intrinsecè ipsum ens, & aliquid ei superadditum, sed formaliter spectatæ, nihil aliud dicunt, quàm ipsam negationem, aut relationem rationis enti superadditam.

Art. 2. Vnitas non dicit aliquid positiuum, sed tantum negationem diuisionis.

Vnitas aliquo sensu dicit priuationem, simpliciter tamen in negatione constituenda est.

Diuisio & multitudo, sunt forma negata per vnitatem.

Prius est quod res sit constituta in se vna, & indiuisa, quàm quòd comparetur cum aliis.

Art. 3. Veritas Entis consistit in conformitate illius cum intellectu.

Enti per se competit veritas fundamentalis, non tamen illa, quæ ab omnibus vt quædam passio entis constituitur.

Veritas entis dicit respectum ad intellectum in communi, siue sit creatus, siue increatus.

Ex hypothesi quod nullus esset intellectus, res quæ existeret, vera esset materialiter, non formaliter.

Triplex est veritas. Transcendentalis, signi, & cognitionis.

Falsitas non potest cadere in apprehensionem incomplexam, quâ concipitur aliquis terminus simplex.

Vt res dicatur falsa, ea debet esse causa vel occasio falsitatis intellectus.

Falsitas non est passio entis transcendentalis.

Triplex potest assignari bonitas, nempe, Moralis, Physica, & Metaphysica, seu transcendentalis. *Art. 4.*

Bonitas Metaphysica seu transcendens, rebus omnibus conuenit.

Bonitas transcendentalis entis, vt est passio illius, est intelligenda per ordinem ad aliud.

Passio entis debet esse aliquid superadditum enti, adeoque non debet esse aliquid reale. Nec inde colligi potest ens non esse bonum, nisi per operationem intellectus, sed tantum bonitatem quæ est passio superaddita enti, non illi competere nisi per operationem intellectus.

Nil vetat quin conuenientia cum voluntate, seu appetibilitas, sit passio entis æquè primò, ac conuenientia cum rebus aliis.

Tot modis potest dici malum, vt oppositum bonitati transcendentali, quot modis dicitur bonum ei oppositum.

Malitia non potest in rebus reperiri, quatenus dicit defectum perfectionis essentialis, potest tamen, quatenus alios defectus includit.

EX CAP. IV.

PER distinctionem realem intelligitur, distinctio quæ reperitur inter duas res, vel entitates, quarum vna à parte rei, & nemine cogitante, non est alia. *Art. 1.*

Distinctio realis etsi propriè sit tantum

inter res positiuas, à nonnullis tamen extenditur ad omnem distinctionem, quæ non oritur ex operatione intellectus.

Res vna positiua distinguitur ab alia realiter per propriam entitatem.

Certum distinctionis realis inter res aliquas signum, est, 1. quando duæ res possunt à se inuicem separari, & separatæ in diuersis locis existere.

2. Eæ res distinguuntur inter se, quæ ita se habent inuicem, vt vna sit producens respectu alterius, vnica scil. productione naturali, & alia producta.

3. perspicuum est ea realiter inter se distingui, quorum alterum altero corrupto existere potest.

Distinctio rei à modo dici potest realis.

Art. 2. Distinctio rationis illa est quæ fit per mẽtem nostram, cùm ea distinguit quæ à parte rei sunt vnum. Duplex est. Rationis ratiocinantis, & rationis ratiocinatæ.

Nonnulli docent per distinctionem rationis ratiocinantis eam posse intelligi, quæ consistit in vario modo rem eandem concipiendi, quoad explicitum & implicitum, quatenus eadem res concipitur duplici conceptu, quorum alter altero est clarior. Communiter tamen per hanc distinctionem ea intelligitur, quæ fingitur à nostro intellectu sine vllo fundamento ex parte rei.

Verum acceptio ista etsi sit communis, omnino voluntaria, & inutilis apparet.

Per distinctionem rationis ratiocinatæ ea intelligitur, quæ fit ab intellectu cum fundamento in re, ita scilicet vt eadem res conceptibus inadæquatis concipiatur, quibus veluti in varias partes dissecetur.

Probabilius est non tantum conceptus formales, sed etiam obiectiuos distingui.

Distinctio aliqua potest dici formalis variis modis. 1. quatenus formale idem est ac essentiale. 2. quatenus fundatur in formis realiter distinctis. 3. Ita vt illa distinctio reperiatur inter quasdam formalitates, actu quidem & à parte rei, seu ante omnem intellectus cogitationem, non tamen propriè realiter distinctas. *Art. 3.*

Præter distinctionem realem propriam, quæ est inter rem & rem, vel inter rem & modum, admittitur à Scotistis distinctio aliqua veluti inter illas media, quæ nec sit per rationem, nec tantum virtualis, sed actualis & à parte rei, nec tamen sit propriè realis, sed tantum formalis, vt pote consistens in duabus formalitatibus actu distinctis, quæ sunt vnum ens & vna res. Opposita tamen sententia, quæ ista media non admittit, vt est longè communior, ita & videtur probabilior.

EX CAP. V.

CAVSA vulgò definitur à quo aliud per se accipit esse. *Art. 1.*

Causa constituitur causa in actu primo, per potentiam communicandi esse effectui.

Causa constituitur causa in actu secundo, per actualem influxum in effectum, quo illi esse communicat.

Quatuor assignantur causarum genera, nempe materialis, formalis, efficiens, & finalis quæ sunt admittendæ, & quarum duæ priores sunt intrinsecæ composito Physico, duæ verò posteriores extrinsecæ. *Art. 2.*

Est distinctio formalis, seu essentialis in- *Art. 3.*

ter omnes causas in ratione causandi.

Non tamen repugnat quod eadem res possit plures ex iis causalitatibus exercere.

Quoad ordinem causandi, prima est causa finalis, secunda efficiens, tertia materialis, & vltima formalis.

Quoad ordinem dignitatis, prima est causa efficiens, secunda materialis, tertia formalis, quarta finalis.

Causæ prædictæ sub aliis respectibus possunt considerari, sicque inter earum causalitates alius ordo dignitatis à nonnullis constituitur, quod satis congruum videtur.

Causas sibi esse mutuò causas affirmat Aristoteles.

Art. 4. Inter causam, & effectum potest poni simultas naturæ, prioritas naturæ, & prioritas temporis, iuxta varios modos quibus spectari, & inter se conferri possunt.

Omnis causa, formaliter vt causa, est nobilior suo effectu vt effectus est.

Finis interdum est nobilior effectu suo, interdum ignobilior.

Causa efficiens principalis interdum est nobilior effectu, interdum æquè nobilis.

Materia collata cum forma materiali, quæ est effectus illius, est vno respectu ea nobilior, & alio ignobilior.

Eadem causa potest diuersos effectus habere, nec non & oppositos.

Art. 5. Non potest naturaliter idem idem effectus, simul produci à pluribus causis totalibus: supernaturaliter verò potest.

Idem effectus à pluribus causis diuisim, & secundũ se non potest produci naturaliter.

Nihil

Nihil repugnat quin effectus ab vna causa productus, ab alia supernaturaliter produci potuerit.

EX CAP. VI.

CAVSA efficiens definitur ab Aristotele, id vnde mutationis, aut quietis primum est principium, qualis causa est is qui consulit, & Pater filij, & vno verbo id quod efficit, eius quod fit, & quod immutat, eius quod immutatur. *Art. I.*

Verum clarius definiri potest, id à quo, tanquam à primo principio, est motus, aut quies.

Causa efficiens diuiditur præcipuè 1. in causam primam & secundam. 2. in causam per se & per accidens. 3. in Physicam & Moralem. 4. in vniuocam & æquiuocam. 5. in vniuersalem & particularem. 6. in principalem & instrumentalem.

Causalitas causæ efficientis in actu primo, est potentia agendi; in actu verò secundo est actio, quâ talis effectus producitur.

Causæ creatæ aliquid verè operantur; & oppositum sine manifesto errore sustineri non potest. *Art. 2.*

Agentia creata non operantur per accidentia, tanquam per causas principales, quando producunt aliquam substantiam, nec immediatè operantur per proprias formas substantiales, quando substantiam aliquam producunt, sed tantum per accidentia ipsis ad agendum concessa. Interdum tamen per proprias formas substantiales, influunt immediate ad productionem accidentium, interdum verò mediatè.

Art. 3. Deus concurrit immediatè, concursu simultaneo ad singulas operationes rerum creatarum.

Deus non præmouet causas naturales ad agendum, influxu quodam reali, & Physico, in iis recepto.

Art. 4. Non est recurrendum ad causam primam, vt reddatur ratio, quare causæ secundæ habeant potiùs effectum vnius speciei quam alterius. Neque etiam quoad hoc ad Deum recurrendum.

Quod talis actus in indiuiduo fiat potius, quam alius, id ex variis circunstantiis repetendum est.

EX CAP. VII.

Art. 1. STRICTE loquẽdo finis non videtur dicendus causa Physica & realis. Non propterea tamen recedendum à communi sententia, quæ finem ponit inter causas veras & reales.

Finis causat secundum esse reale.

Duplex assignari potest finis causalitas, Alia in actu primo: alia in actu secundo.

Actualis causalitas finis non est quid realiter distinctum ab actione agentis, quæ fit propter ipsum.

Art. 2. Omnis causa alteri, vt principali subordinata, potest dici aliquo modo instrumentalis. Sumitur tamen magis propriè instrumentum pro causa alteri subordinata in genere causæ efficientis.

Non est de ratione instrumenti, vt non moueat nisi motum à causa principali per aliquid reale in eo receptum.

Instrumentum non debet necessario habere aliquam operationem propriam, antecedenter ad eam quam elicit virtute causæ principalis.

Nomine exemplaris, seu Ideæ vulgò intelligitur forma illa intellectualis, ad cuius similitudinem agens per intellectum intendit producere aliquem effectum externum. *Art. 3.*

Exemplar, seu Idea communiter definitur, forma, quam effectus imitatur ex intentione agentis intellectualis.

Duplex admittenda est Idea. Alia formalis, alia obiectiua.

Exemplar non est obiectum ipsum quod faciendum est, sed aliud, ad cuius imitationem fieri debet.

Exemplar videtur reducendum ad causam efficientem.

Per casum intelligitur effectus aliquis insolitus ex causa naturali, præter illius inclinationem ortus. *Art. 4.*

Effectus casualis reperitur in rebus, respectu causarum creatarum, non autem respectu Dei.

Per fortunam intelligitur effectus raro contingens præter intentionem agentis.

Effectus fortuiti licet sic dicantur respectu causarum secundarum, non tamen respectu Dei.

Reiicitur opinio quâ ab antiquis Philosophis nomine fati intelligitur causa aliqua casui, & fortunæ omnino opposita, quâ scilicet res omnes fiant ex absoluta determinatione, & necessitate. Et in eo sensu fatum reiiciendum est, admittendum vero si sumatur pro dispositione in rebus creatis, à Deo posita, qua fit vt causæ naturales effectus suos naturaliter, & necessariò, causæ verò contingentes & liberæ, effectus suos

contingenter & liberè, infaillibiliter tamen operentur.

EX CAP. VIII.

Art. 1. CVM Metaphysica agat per se de ente reali, ad eam quoque spectat agere de ente rationis.

Nomine entis rationis non intelligitur aliquid realiter existens, in ratione seu intellectu, nec aliquid ab intellectu productum, sed aliquid quod existit tantum obiectiuè in intellectu.

Datur ens rationis in vltimo sensu prædicto.

Ens rationis omnino pendet ab operatione intellectus, ita vt neque quoad essentiam, neque quoad existentiam, sit independenter ab intellectu.

Ens rationis non est in rebus extra intellectum, sed tantum in intellectu.

Ens rationis est obiectum ab intellectu effictum, seu non ens conceptum ab intellectu, per modum entis.

Art. 2. Appetitus non potest facere ens rationis, quamuis latè sumptum pro ente ficto, & distincto ab ente reali.

Nullus sensus siue externus, siue internus potest efficere ens rationis.

Solus intellectus efficit ens rationis modo prædicto acceptum.

Ens rationis dupliciter potest ab intellectu cognosci. 1. per cognitionem directam. 2. per cognitionem reflexam: non fit tamen propriè per hanc posteriorem cognitionem.

Per tres vulgares mentis operationes possunt fabricari entia rationis; affirmatiuè scilicet, vel negatiuè.

Non poteſt fabricari ens rationis ab intellectu diuino, ſi propriè loqui velimus.

Angelus non poteſt fingere entia rationis quoad res naturales, quarum claram, & perfectam habet notitiam, poteſt tamen quoad res ſupernaturales.

Ens rationis primò diuidi ſolet in fundatum, & non fundatum. 2. in ens rationis primæ & ſecundæ intentionis. 3. à nonnullis diuiditur in relationem, (quâ intelligitur reſpectus quidam rationis per mentem alicui rei afflictus, reſpectu termini, ad quem à parte rei nullo modo refertur) priuationem & negationem, quæ duobus modis accipi poſſunt. 1. vt ſunt mera priuatio, & negatio alicuius formæ. 2. vt concipiuntur ab intellectu per modum alicuius formæ poſitiuæ, quo ſenſu dicuntur entia rationis. *Art.* 3.

Denominationes extrinſecæ à nonnullis inter entia rationis conſtituuntur, & reducuntur ad relationem rationis, ſed male.

EX CAP. I. LIB. III.

COMMVNIS ſententia eſt quidditatem ſubſtantiæ in eo conſiſtere quod ſit ens per ſe exiſtens. *Art.* 1.

Eſſe, ſeu exiſtere per ſe non eſt aliquid entitati ſubſtantiæ ſuperadditum.

Nec dicas eſſe in alio, eſſe modum ſuperadditum accidenti, & idcirco eſſe per ſe, eſſe modum ſuperadditum ſubſtantiæ: Non enim ſequitur, quia cum ex fide conſtet accidens poſſe actu ſeparari à ſubiecto, hinc manifeſtum eſt, eſſe in alio, eſſe modum quendam diſtinctum ab entitate accidentis, at vero cum non conſtet ſubſtan-

tiam posse esse in alio vt in subiecto inhæsionis, hinc merito concluditur modum essendi per se non distingui à substantia.

Art. 2. Negari non potest quin natura substantialis exigat ex se propriam subsistentiam, per quam dicatur ens subsistens.

Subsistentia est modus quidam positiuus naturæ superadditus, & ab ea distinctus.

Subsistentia creata dupliciter se habet erga naturam, quam afficit, eam enim modificat, & vltimò terminat reddendo incommunicabilem alteri supposito: cum autem prior ille modus intrinsecè dicat imperfectionem, à Verbo non potest suppleri, secundus verò cùm nullam imperfectionem inuoluat, à Verbo suppleri potest, sicque non opus est vt subsistentia creata magis quam modaliter distinguatur à natura; contra arguentes eò quòd Verbum non possit supplere defectum modi, cùm hoc dicat imperfectionem, subsistentiam non esse modum, sed potius realitatem distinctam à natura.

Art. 3. Materia habet propriam subsistentiam partialem.

Probabilius videtur etiam formam habere propriam subsistentiam partialem.

Non est ponenda in toto subsistentia aliqua simplex, distincta à subsistentiis partialibus materiæ & formæ.

Art. 4. Subsistentia emanat immediatè ab ipsa substantia & natura, cum qua suppositum constituit.

Duæ actiones requiruntur ad productionem suppositi, quarum aliâ producatur natura ab agente, aliâ subsistentia à natura.

Causa materialis subsistentiæ non alia est

quam natura quam afficit, & cuius est modus.

Effectus formalis subsistentiæ non est facere naturam per se existentem, nec eam reddere potentem operari, sed eam constituere vltimò completam, vt sit omnino perfecta & terminata, quoad suum esse substantiale. Et hic est effectus formalis, primarius, & positiuus subsistentiæ, vnde sequitur alius effectus formalis negatiuus, nempe reddere naturam incommunicabilem alteri supposito.

Subsistentia distinguitur modaliter ab existentia. *Art. 5*

Is ordo constituendus est inter existentiam & subsistentiam, vt existentia priùs competat naturæ, quam subsistentia sit vltima perfectio naturæ adueniens.

Subsistentia, hypostasis, personalitas & suppositum, parum inter se differunt.

Actiones dicuntur esse suppositorum denominatiuè, non verò effectiuè, seu elicitiuè.

EX CAP. II.

ACCIDENS sumi potest Logicè & Metaphysicè. Priori modo complectitur, quicquid est extraneum alicui, etiamsi in se sit substantia. Posteriori verò dicitur tantum de accidentibus, quatenus sunt entia quędā realiter à substantia condistincta. *Art. 1.*

Accidens posteriori modo sumptum definitur, ens in alio, seu ens inhærens alteri.

Duobus modis concipi potest accidentis essentia consistere in inhærentia: 1. aptitudinaliter: 2. actualiter.

Non est de essentia accidentis quod actu inhæreat subiecto: inhærentia autem

aptitudinalis est de eius essentia.

Art. 2. Negari non potest, quin actualis inhærentia addat aliquid reale supra entitatem accidentis.

Inhærentia distinguitur tantum minori realitate, seu modaliter ab accidente, & nihil est aliud quàm modus vnionis, quo accidens inexistit subiecto, sicut subsistentia est modus, quo natura vltimò completur in se, & terminatur.

Art. 3. Accidens potest conseruari extra subiectum sine modo existendi positiuo.

Diuisio accidentis in accidentia categorica, non est ita immediata, quin potuerint aliæ tradi magis immediatæ in membra pauciora, quæ vlterius in nouem accidentia prædicamentalia subdiuiderentur: diuisio tamen accidentis in nouem accidentium categorias est commodior, & doctrinæ causa retinenda; non est tamen accidentis strictè sumpti.

Accidens in tota prædicamentorum amplitudine non est vniuocum. Potest tamen dici respectu quantitatis & qualitatis.

Art. 4. Formæ omnes accidentales educuntur è subiecto in quo recipiuntur. Et hæc assertio procedit non modo de productione caloris, frigoris, aliarumque qualitatum, siue primarum, siue secundarum, quæ Physicæ, & reales appellantur, sed etiam de productione specierum intentionalium, nec non, & de formis artefactorum.

EX CAP. III.

Art. 1. QVALITAS ab Aristotele, describitur, id à quo denominamur quales. Nomen autem qualitatis valde impropriè tri-

buitur accidentibus aliorum prædicamentorum.

Quidam, vt illius essentia distinctiùs exprimeretur, illam sic definiunt, qualitas est accidens absolutum per se primò institutum ad intrinsecè ornandam, & perficiendam substantiam, tum in existendo, tum in agendo.

Alij sic. Qualitas est accidens absolutum à quantitate distinctum.

Alij sic. Qualitas est accidens entitatiuum, subiectum ad modum substantialis formæ determinans.

Alij sic. Qualitas est accidens prouenicns à forma in esse quieto.

Duobus modis concipi potest qualitatem aliquam esse difficilè, aut facile mobilem à subiecto. 1. ex natura sua. 2. ex conditione subiecti in quo reperitur. *Art. 2.*

Habitus ex natura sua difficilè mobilis à subiecto, specie distinguitur à dispositione, quæ ex natura sua à subiecto facilè amoueri potest.

Habitus ex sola conditione subiecti, difficilè mobilis, non differt specie à dispositione, quæ ex natura sua à subiecto facilè auelli potest.

Potentia naturalis, & impotentia specie distinguuntur ab habitu, & dispositione. *Art. 3.*

Impotentia sumpta pro forma positiua potentiæ opposita, qua aliquid ægrè operari, aut resistere potest, specie à potentia distinguitur.

Duplex assignari potest potentia. Alia Actiua: Alia Passiua. Potentia actiua duplex est, alia naturalis, alia supernaturalis, seu obedientialis. *Art. 4.*

Potentia passiua etiam diuiditur in naturalem & supernaturalem, seu obedientialem.

Probabilius videtur non esse ponendam potentiam obedientialem generatim ad quoscumque effectus, sed tantum cum quadam restrictione & limitatione.

Potentia obedientialis actiua non spectat ad cathegoriam qualitatis.

Art. 5. Cum duplex assignetur qualitas, scilicet secundum rem, & simul secundum modum: & secundum rem duntaxat, non autem secundum modum, passio ex Aristotele, non est qualitas prioris generis, sed posterioris.

Qualitates duobus modis possunt agere in sensum: 1. realiter in eo producendo qualitates similes, 2. intentionaliter per emissionem specierum intentionalium, & hoc sensu posteriori colores ex Aristotele possunt dici qualitates patibiles, non priori.

Patibilis qualitas, & passio non distinguuntur inter se specie.

Art. 6. Ij magis accedunt ad mentem Aristotelis qui docent primo formam, & figuram non pro eodem sumi. 2. figuram habere locum tantùm in Mathematicis, formam vero in reliquis.

Forma & figura non distinguuntur inter se specie.

Art. 7. Densum dicitur, cuius partes sibi inuicem propinquæ sunt. Rarum autem, cuius partes à se inuicem distant.

Læne est illud, cuius partes in rectum quodammodò positæ sunt. Asperum verò, cuius pars alia eminet, alia superatur.

Rarum & densum, asperum & læne sunt qualitates, quorum illa ad tertiam, ista vero ad quartam speciem qualitatis videntur pertinere.

EX CAP. IV.

QVÆCVMQVE relatiue opponuntur, idipsum quod sũt, oppositorũ dicitur. *Art.* 1.

Contraria dicuntur, quorum alterum necesse est in iis inesse, in quibus natura comparatum est vt insint; atque inter hæc contraria non datur medium. Sunt tamen contraria aliqua quorum non est necesse alterum in iis inesse, & in iis datur medium.

Quædam media nomine proprio explicantur, quædam nonnisi per negationem vtriusque extremi.

Priuatio & habitus circa idẽ aliquid sunt.

Vt aliquid dicatur priuatum habitu, duo requiruntur. 1. vt subiectum sit capax habitus. 2. vt non habeat habitum quando à natura habere debet.

Priuantia distinguuntur à relatis, nec non à contrariis, siue immediatis, siue mediatis.

Contradictoriè opposita illud maximè proprium habent, quod alterum eorum de quacumque re, siue existente, siue non existente dicitur.

Oppositum non prædicatur de quatuor oppositis supradictis æquiuocè, nec vniuocè, sed tantum analogicè secundum magis & minus. *Art.* 2.

Diuisio prædicta oppositorum est adæquata.

Oppositio interdum latè sumitur pro quacumque repugnantia inter se conue-

niendi, quomodo complectitur disparata substantiarum completarum, quas repugnat eidem competere; propriè verò sumitur pro repugnantia, cum certo termino, vt patet in quatuor membris propositis: Et inde sequitur disparata non esse reponenda inter opposita.

Art. 3. Res semel corrupta non potest eadem numero viribus naturæ restitui.

Res corrupta permanens potest eadem numero restitui per potentiam Dei absolutam.

Etsi probabilis sit communis sententia, quæ statuit res successiuas, quæ desierunt, non posse easdem numero diuinitus restaurari, id tamen non caret difficultate.

Art. 4. Quinque assignantur proprietates contrariorum. Prima est. Quicquid bono contrariatur, est malum. 2. Si vnum contrariorum est in rerum natura, non est necesse existere alterum. 3. Contraria non possunt esse simul in eodem subiecto. 4. Contraria versantur circa idem genere, aut specie subiectum. 5. Contraria vel sunt in eodem genere, vel in diuersis generibus.

EX CAP. V.

Art. 1. QVIDAM habitus admittendi sunt.

Habitus est qualitas de se permanens & stabilis, quæ potentiæ tribuit facilitatem agendi.

Art. 2. Habitus sunt in intellectu & voluntate.

Appetitus sensitiuus est capax habitus, saltem in homine.

Habitus communiter ponitur in sensibus hominis internis, non tamen in externis, neque in facultatibus animæ vegetatiuæ.

Negari non potest quin manus, & pedes

longo vſu acquirant magnam facilitatem ſe mouendi localiter. Negari etiam vix poteſt, quin mutatio in iis facta dicat aliquam entitatem poſitiuam in iis receptam.

Habitus poſſunt produci in brutis.

In rebus inanimatis, & purè corporeis non ſunt habitus.

Actus noſtri concurrunt aliquo modo ad productionem eorum habituum qui à nobis acquiruntur. *Art. 3.*

Actus concurrunt effectiuè, ſeu in genere cauſæ efficientis ad productionem habitus.

Per quemlibet actum habitus productiuum aliquid habitûs producitur.

Interdum poteſt produci habitus perfectus per vnicum actum, vt plurimum tamen multi actus requiruntur ad productionem perfecti habitus.

Dubitari non poteſt quin habitus augeatur per actus intenſiores. *Art. 4.*

Probabile eſt habitum poſſe augeri per actus æquè, aut minus intenſos.

Habitus dupliciter augeri poteſt: intenſiuè & extenſiuè.

Extenſio habitus ſcientiæ ad nouas concluſiones, fit per additionem aliorum, & aliorum habituum partialium, qui ſimul cum præcedenti faciunt vnum habitum ſcientiæ per aggregationem, & vnitatem ordinis.

Extenſio habituum moralium, non fit per additionem habituum partialium ſpecie à prioribus diſtinctorum.

Non eſt dubium quin omnes habitus corrumpantur, quando deſtruitur ſubiec-

tum, cui inhærent proximè, & per actus & habitus contrarios: Non destruuntur autem per solam actuum cessatiorem.

Art. 5. Habitus non se habet tantum dispositiuè, seu passiuè per modum subiecti ad modum recipiendum.

Negari non potest quin habitus aliquo modo concurrat ad agendum: Concurrit autem effectiuè.

Habitus acquisitus non modò tribuit facilitatem, & promptitudinem potentiæ ad agendum, sed etiam effectiuè, & realiter concurrit ad ipsam substantiam, seu entitatem actûs.

Art. 6. Habitus variis modis diuidi solent. 1. in infusos & acquisitos. 2. in speculatiuos & practicos. 3. in virtutes & non virtutes. 4. in morales & intellectuales.

Quinque vulgò assignantur habitus intellectuales. Nempe intellectus, scientia, sapientia, prudentia & ars. Hæc autem diuisio est adæquata si agatur de habitibus, quibus per se intellectus perficitur.

Habitus intellectiui à nonnullis non distinguuntur à speciebus intelligibilibus, quod durum videtur.

Nomine intellectus intelligitur habitus à potentia intellectiua realiter distinctus, & per varios actus acquisitus.

Nomine scientiæ propriè intelligitur, habitus per veram demonstrationem generatus.

Nomine scientiæ potest significari, vel congeries plurimarum, aut omnium scientiarum in vno homine, vel excellentia cuiuslibet scientiæ aut artis, vel maximè propriè, scientia omnium excellentissima, scilicet Theologia.

Nomine prudentiæ intelligitur habitus cum vera ratione actiuus circa ea quæ homini bona vel mala sunt.

Ars est habitus cum vera ratione effectiuus.

Duobus modis habitus aliquis potest dici Moralis. 1. quia est elicitiuus actus moralis & liberi. 2. quia actus moralis fit ex voluntatis præscripto seu directione.

EX CAP. VI.

ACCIDENTIA sunt duplicis generis : quædam enim ita inhærent subiecto, vt non dicant ordinem ad aliud subiectum, simili, vel diuerso accidente informatum. Alia vero ita subiectum afficiunt, vt simul dicant ordinem ad aliud subiectum, simili, vel diuerso accidente instructum. Accidentia autem prioris generis dicuntur absoluta, posterioris verò relatiua. *Art. 1.*

Cõmune est omnibus accidentibus dicere *in*; Relatio vero non modò dicit *in*, sed & *ad*: quod non est ita intelligendum, vt relatio quatenus accidens dicat *in*, & quatenus tale accidens non dicat *in* sed *ad*, sed ita vt relatio vt acccidens, & vt tale accidens inhæreat subiecto, sicque vtroque modo dicat *in*; id tamen non impediat quin relatio vt relatio, dicat *ad*.

Distinguuntur in relatis, Relatio, relatiuum, correlatiuum, subiectum, extremum, fundamentum, ratio fundandi, & terminus.

Probabilius videtur non debere admitti distinctionem realem, inter relationem & fundamentum.

Art. 2. Relatio identitatis fundatur immediatè in ſubſtantia.

Relatio poteſt eſſe ſubiectum relationis.

Poteſt poni in Deo relatio realis in tempore reſpectu creaturarum.

Art. 3. Certum eſt relationem tranſcendentalem non exigere neceſſario terminum realiter exiſtentem. Negari tamen non poteſt, quin aliqua relata tranſcendentalia illam exigant.

Relatio tamen prædicamentalis ex natura ſui requirit terminum actu exiſtentem.

Neceſſaria eſt diſtinctio realis inter fundamentum, & terminum relationis.

Diuerſæ ſunt relationes, quando termini diuerſimodè reſpiciuntur.

Multiplicandæ ſunt relationes iuxta varietatem terminorum, ſi illi non ſint inter ſe connexi, aut ſubordinati.

Art. 4. In relatis non mutuis, & mutuis relatio terminatur ab abſolutum, non ad reſpectiuum. Si quidem omnino per accidens eſt ad relationem terminandi, quod terminus ſit correlatiuus, ſeu quod fundet relationem ad relatiuum, à quo reſpicitur.

EX CAP. VII.

Art. 1. ACTIO vulgo definitur, actus agentis, vt agens eſt. Paſſio autem, actus patientis vt patiens eſt.

Actio, & paſſio non ſunt duæ entitates realiter inter ſe diſtinctæ, ſed vnica ſub diuerſis formalitatibus concepta. Et non diſtinguuntur realiter à motu, ſed tantum ratione.

Actio eſt quid diſtinctum ab agente ſecundum ſe ſpectato, & ab effectu qui per illam producitur.

Actio

Actio transiens non est subiectiuè in agente, sed in patiente.

In dubio an agens debeat esse proximè coniunctum subiecto in quod agit, vel immediatione tam suppositi quàm virtutis; vel saltem immediatione virtutis, respondetur alteram ex his præsentiis in causis ordinis naturalis, spectata vi naturæ, imò, & absolutè necessariam esse. *Art. 2.*

Agens naturale non potest naturaliter agere in distans, non agendo per medium, potest tamen supernaturaliter.

Aliquid potest duobus modis intelligi agere in seipsum, nempe vel actione vniuoca, vel æquiuoca. *Art. 3.*

Idem non potest agere in seipsum actione vniuoca, potest tamē actione æquiuoca.

Ea dicuntur similia quæ conueniunt in vna qualitate eiusdem speciei, vt in calore aut frigore. Ea verò dicuntur perfectè similia, quæ æquè intensè qualitatem illam participant, vt si ambo habeant quatuor gradus caloris, aut frigoris. *Art. 4.*

Simile non potest per se loquendo, & cæteris paribus, agere in sibi perfectè simile. Neque etiam cæteris imparibus, simile potest agere in simile.

Actio semper fit à proportione maioris inæqualitatis, adeo vt virtus agentis excedat resistentiam passi. *Art. 5.*

Non omnis agens agendo repatitur, nec omnis patiens patiendo reagit, tamen extra casus aliquos datur mutua reactio, & repassio inter agens, & patiens.

EX CAP. VIII.

NOMEN alterationis tribus modis sumi potest. 1. generatim pro quacum- *Art. 1.*

que mutatione accidentali. 2. minus latè pro mutatione ad qualitatem. 3. strictiùs & magis Philosophicè sumitur pro motu à qualitate Physica, ad qualitatem ei oppositam, siue extremam, siue mediam.

Alteratio distinguitur à generatione, tum ratione termini à quo: tum ratione termini ad quem: tum ratione subiecti: tum ratione modi quo fit.

Sublata generatione deficeret alteratio corruptiua, seu tendens ad corruptionem, non autem perfectiua.

Art. 2. Duobus modis intelligi potest alteratio fieri continuè: vel quoad intentionem gradualem, vel quoad extensionem.

Alteratio fit continuè quoad productionem qualitatis, necnon & quoad extensionem subiecti.

Art. 3. Aliud est qualitatem in subiecto extendi, aliud in eo intendi. Dicitur extendi, quando ab vna parte subiecti ad aliam transit. Dicitur intendi, quando in eadem parte subiecti magis intenditur.

Qualitatis intensio duobus modis considerari potest: 1. ex parte alterationis quâ qualitas perficitur, 2. ex parte ipsius qualitatis per alterationem productæ.

Qualitatem intendi non est idem, ac nouam qualitatem aduenire perfectiorem præcedente, hancque per illius aduentum destrui.

Intensio qualitatis non consistit in mera ratione contrarij, nec in maiori radicatione illius in subiecto, sed fit per additionem gradus ad gradum.

Gradus omnes intensionis sunt inter se similes & homogenei, quoad speciem, nec non & quoad indiuiduum, adeo vt nullus sit ordo essentialis inter illos, & qui posteriori loco producitur, æquè possit quantum est ex se, priori produci. *Art. 4.*

EX CAP. IX.

VBI non est modus quidam realis & intrinsecus rei vbicatæ, à quo habet formaliter vt sit præsens tali aut tali loco, sed res quælibet est formaliter loco præsens per seipsam immediatè. *Art. 1.*

Duratio non est propriè, & formaliter existentia rei, sed potius illius permanentia in esse. *Art. 2.*

Duratio non est entitas realiter distincta à re durante. Potest autem generatim diuidi in permanentem & successiuam, & iterum in æternitatem, & æuum, & tempus.

Tempus est numerus motus secundum prius & posterius. *Art. 3.*

Duplex est tempus. Aliud externum. Aliud internum. Hoc vero est multiplex iuxta rerum quæ durare dicuntur, varietatem. Illud subdiuiditur, in reale & imaginarium.

Non est ponenda distinctio realis inter tempus internum & motum, saltè localem.

Probabilius est absolutè loquendo, tempus constare ex solis instantibus, adeoque per ea sola existere.

In sententia ponente in tempore instantia, & partes diuisibiles congruentius dicitur tempus existere per suas partes, quam per instantia.

Non omnia quæ existunt & durant, incipiunt aut desinunt esse. *Art. 4.*

Duplex incipiendi & desinendi modus. Intrinsecus & extrinsecus. Prior est per primum sui esse. Posterior, per vltimum sui non esse. Priori ratione res permanentes dicuntur incipere, posteriori successiuæ.

Prior desinendi modus est per vltimum sui esse; posterior per primum sui non esse. Supposita sententia de compositione temporis ex solis instantibus, res permanentes non tantum incipiunt, & desinunt intrinsecè, sed etiam extrinsecè. Res verò successiuæ è contra, non tantum incipiunt, & desinunt extrinsecè, sed etiam intrinsecè.

Finis Thesium Metaphysicæ.





